GALLIAE NARBONENSIS

PROVINCIAE ROMANAE HISTORIA

DESCRIPTIO INSTITUTORUM EXPOSITIO.

SCRIPSIT

ERNESTUS HERZOG,
TUBINGENSIS.

ACCEDIT

APPENDIX EPIGRAPHICA.

LIPSIAE.
IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI.
MDCCCLXIV.

LIPSIAE TYPIS B. G. TEUBNERI.

GVILIELMO HENZENO

ROMANO

THEODORO MOMMSENO

BEROLINENSI

LEONI RENIERO

PARISIENSI

HVNC LIBRVM GRATO ANIMO DEDICAT ET VT BENEVOLE

ACCIPIANT COMMENDAT

AVCTOR.

Quicunque disciplinam historiae et antiquitatum Graecarum et Romanarum, qualis proximis his annis pertractata est, diligentius est persecutus, eum non fugerit, quantum incrementi hae scientiae, quantum commodi Romanae inprimis aetatis imperatoriae cognitio ceperit ex collectis per omnem orbem antiquum monumentis inscriptis. Iam vero qui viri illustres nostra aetate inceperunt veterum inscriptionum collectiones nova ratione componere, viderunt huius instituti utilitatem non minimam in eo esse positam, ut relicta ratione corporum Gruteriani et Muratoriani in disponendis inscriptionibus geographicus servetur ordo, ut per provincias atque oppida tam ex ipsis monumentis colligantur quam in editionibus ordinentur tituli antiqui, eaque ratione praecipue ad imperium Romanum adhibita, qui legunt, quasi itinere per imperium facto facile cognoscere possint, et quae cuique imperii parti peculiaria et quae totius imperii communia fuerint instituta. At quamquam incohata tantum est haec collectio, tamen vel quae hodie cognita est inscriptionum Romanarum copia satis probat, habuisse quidem singulas imperii Romani partes propria quaedam instituta et inprimis magnum esse discrimen inter Graecas provincias orientales et Latinas partes occidentales, sed intra utramque ex maximis his partibus minoribus partibus plura communia inter se esse quam diversa, unde fit, ut in uniuscuiusque provinciae titulis totius imperii quaedam insit imago. Unde natum nobis est consilium, quod in colligendis historiae Romanae fontibus tam utiliter susceptum est, ad ipsam historiam transferendi et unam aliquam eligendi provinciam, cuius praemissa historia externa ex scriptorum testimoniis colligenda interna, ut ita dicam, historia

sive institutorum ratio describeretur ex inscriptionibus per oppida ordinatis, ut et quae propria fuissent huic provinciae inde perspiceretur et totius imperii Romani condicio una quasi imagine ut minore et angustiore ita magis perspicua et expressa oculis proponeretur. Apparuit autem, si qua esset provincia, quae simul materiem daret augendae rei epigraphicae, colligendis monumentis inscriptis nondum ad unum corpus coactis, eam reliquis esse praeferendam. Talis autem est provincia Gallia Narbonensis, insignis non solum ornatioribus Romanae artis monumentis, sed insignis etiam magna copia lapidum inscriptorum, qui iam Scaligeri aetate virorum doctorum in se converterunt oculos, hodie autem diligenter quidem per singula eius regionis oppida in museis congeruntur et conservantur, a nemine tamen una collectione sunt editi. Simul cum alia quoque commoda praebere videretur Narbonensis, sita in parte imperii occidentali, ubi quae inter barbaras gentes inciderunt instituta Romana, efficaciora erant quam in provinciis Graecis, circumscripta finibus neque nimis latis neque nimis angustis, accessu facilis et visentibus commoda utpote omnibus peregrinandi adminiculis optime instructa, non dubitavimus, hanc eligere, cuius inspectis monumentis ac collectis per singula oppida inscriptionibus et historiam perscriberemus institutaque exponeremus et inscriptiones, quaecunque pro documentis essent adhibendae, peculiari appendice collectas ederemus. Erat quidem haec provincia sub imperatoribus pacata sive inermis utpote senatoria indeque non solum carebat militari illo administrationis provincialis apparatu, qui in provinciarum Caesaris imagine tam insignem obtinet locum et tam multa suppeditat monumenta, sed etiam per omnem fere aetatem imperatoriam aliena erat a rebus memorabilioribus in orbe Romano gestis. At et ob id ipsum commodior nobis visa est ad cognoscendos institutorum mere civilium effectus et militaria Romani imperii instituta bellaque ab imperatoribus gesta saepius iam pertractata sunt et magis cognita.

Et collectio quidem illa epigraphica quomodo sit confecta, infra ad ipsam appendicem exponetur; reliquo autem

libro haec habemus quae hoc loco praemittamus: dispositio libri ipso quod exposuimus consilio ea erat indicata, ut prior dissertationis pars versaretur in describenda historia provinciae a primis dominationis Romanae initiis usque ad id tempus, quo quae inter Pyrenaeum et Alpes, montem Cebennam et sinum Gallicum intererat regio, desiit esse una provincia sive usque ad aetatem Diocletiani, pars posterior in describendis institutis provincialibus. Cum vero instituta provincialia ex eo tantum tempore uberius possint describi, ex quo monumenta extant inscripta, sive ex aetate imperatoria, superioris temporis institutorum expositionem breviorem commodissimum iudicavimus ita immiscere parti historicae, ut singula prioris partis capita clauderet imago status provinciae, qualis quoque tempore erat, unde factum est, ut pars posterior tota relinqueretur institutis municipalibus et provincialibus, quibus inde a Iulio Caesare usque ad Diocletianum administrata est haec provincia. Praeterea ad historiam provinciae quod attinet, ipsius rei ratio videbatur flagitare, ut quo luculentior esset Romanae aetatis descriptio initiis provinciae Romanae praemitteretur prooemium agens de rebus in Gallia meridionali ab antiquissimis temporibus usque ad Romanorum adventum gestis ad eumque finem non solum ex rerum auctoribus sed ex nummis quoque desumerentur, quaecunque possent esse pro documentis.[1]) Institutorum deinde descriptionis maxima quidem pars hauriri potuit ex inscriptionibus nostris, et municipalis inprimis res admodum explicita iis continetur; neque tamen defuerunt, quae ut plena eveniret descriptio, aliunde essent repetenda: in quibus, si quantum fieri potuit, Orellianam potissimum collectionem inscriptionum respeximus ab Henzeno maxime auctam et diligentissime retractatam, et lecturis id commodissimum fore censuimus et ipsi rei suffecturum.[2]) Qua in parte non fugit nos inesse

1) Nummorum provinciae Narbonensis collectionem utilissimam confecit De la Saussaye, Numismatique de la Gaule Narbonnaise. Paris et Blois 1842.

2) Tertium Orelliani operis volumen ab Henzeno confectum ita

quandam inaequalitatem inde natam, quod quaedam quaestiones, etiamsi minoris momenti sunt, longius tamen tractandae erant, quia fortuito casu specialia extant documenta ad eas pertinentia, aliae autem, quae maioris sunt momenti, breviter tantum videbantur exponendae, quia propria provinciae deerant testimonia; at hanc inaequalitatem, quam in hoc documentorum statu non licet evitare, facilius utique tuleris, quam longiorem de iis rebus expositionem, de quibus non quales fuissent, sed quales esse potuissent, esset dicendum. Unam vero descriptionis partem, cui non desunt testimonia, si consulto totam omisimus, eam scilicet, quae pertinet ad monumenta artis, difficilius hoc videatur excusandum. At quamquam neque nescimus, in huius potissimum provinciae imagine aegre desiderari quae per eius oppida splendent templa, amphitheatra, theatra, arcus, monumenta sepulcralia ornatiora, statuariae artis opera, neque supervacuum iudicamus, postquam multi viri docti et inter ipsos Francogallos et inter nostrates de his rebus egerunt, de origine potissimum horum monumentorum et ex artis ratione et ex historia provinciae disserere, tamen cum id fieri non possit nisi propositis horum omnium monumentorum imaginibus diligenter confectis, haec sola difficultas suffecit abiciendo tali consilio. Interea de his omnibus rebus qui volunt edoceri, hodie quoque commodissime adibunt Millinum[3]), cum quo conferant, quae e nostratibus collegit per eam regionem Bernh. Stark.[4])

Et universae Galliae et Narbonensis provinciae historiam atque instituta nemo, qui in his studiis est versatus, nescit tractata iam esse duobus libris merito celebratis, quos inter Francogallos conscripsit vir illustris Am. Thierry.[5])

tantum citavimus, ut Henzeni nomini numerum apponeremus inscriptionis.

3) Millin, Voyage dans les départements du Midi de la France. Paris 1804—1811.

4) Stark, Staedteleben, Kunst und Alterthum in Frankreich. Jena 1855. Starkii libro supplementa addidit Waagen in Gerhard, archaeol. Zeitung XIV. 1856 p. 195—206.

5) Amédée Thierry, Histoire des Gaulois depuis les temps les plus

Nos si hoc libro partem eorum, quae Thierry tractavit, suscepimus retractandam, non veremur ne id tantum consecuti simus, ut acta ab alio iterum egerimus: namque et latius Thierryi consilium effecit, ut meridionalis Galliae, ex quo in ulteriore Romani inceperunt consistere, minus explicite ratio haberetur, et nos adhibitis documentis, quae Thierryo non praesto erant, adiutique incrementis, quae Romanarum antiquitatum scientia proximis his annis cepit, ex magna parte aliis quam ille scriptor nisi sumus fundamentis.

Quae huius libri fundamenta et adminicula hoc loco respicientes non possumus non gratias agere quam maximas omnibus iis, quae haec nostra studia liberaliter adiuverunt. Et primo quidem loco nominandi mihi sunt viri celeberrimi Th. Mommsen Berolinensis, cui quantum debeant, quicunque historiae Romanae et rei epigraphicae operam dant, inter omnes constat, cuiusque liberali institutioni nos quoque, si quid in his studiis profecimus, grato animo attribuimus, W. Henzen Romanus, ut omnibus, qui proximis his annis sedem illam Capitolii scientiae antiquitatis dedicatam viserunt, amicus suadendo et adiuvando nunquam non paratus, ita nobis quoque amici magistrique loco summe venerandus, Léon Renier Parisiensis, disciplinae nostrae in patria sua princeps, qui visuros Galliam pridem Narbonensem consilio, commendatione, auctoritate quam liberalissime nos adiuvit et ad faciendum iter instruxit. Nec minus grato animo recordamur insignem benignitatem et comitatem, quam cum aestate anni 1861 per Galliae meridionalis oppida peregrinaremur, praestiterunt nobis viri dignissimi et antiquitatis thesaurorum in patria sua conservatorum peritissimi Rouard Aquensis, Deloye Aveniensis, Long Deensis, Germer Durand Nemausensis, Tournal Narbonensis, Barry Tolosanus. Denique ne praetermittam, qui reversum in patriam benevolentissime inve-

reculés jusqu'à l'entière soumission de la Gaule sous l'administration romaine. Paris 1828. Idem, Histoire de la Gaule sous la domination romaine. Paris 1840.

runt, clarissimos viros Halmium Monacensem et Starkium Heidelbergensem, ex quibus ille, qua eximia est liberalitate, facilem bibliothecae Monacensis usum nobis praebuit, hic quae ipse in eadem regione collegit, libenter et amicissime suppeditavit.

Tradituri autem iam hoc opus virorum doctorum iudicio non contendimus, tam plene consilio proposito nos satis fecisse, ut nihil nos fugerit, quod de Narbonensis provinciae rebus latet in auctoribus inscriptionibusve; at altera ex parte qui examinabunt hunc librum, eos speramus inventuros esse, quaecunque recepimus, non temere esse composita, sed ex documentis quam plenissime legentium indicio subiectis certa via ac ratione deducta.

Scripsimus Tubingae mense Augusto MDCCCLXIV.

E. Herzog.

I.

GALLIAE NARBONENSIS

PROVINCIAE ROMANAE HISTORIA

DESCRIPTIO INSTITUTORUM EXPOSITIO.

De Galliae meridionalis ante Romanorum dominationem historia prooemium.

Quo tempore primum Romanorum exercitus Alpes eo consilio transierunt, ut quod inter Italiam et Hispaniam interesset, suae ditionis facerent, regio illa, quae ab Alpibus ad Pyrenaeos montes, a montibus Cebennicis ad oram maritimam pertinet, iam pridem desierat famae esse incognita. Erat tum divisus is terrae tractus inter colonos Graecos atque Gallos sive Celtas ea ratione, ut illi quidem, qui pro capite Massiliam habebant, oram maritimam, Galli terram potissimum interiorem tenerent; atque sicut quidquid commercii per illas regiones fiebat, penes Graecos erat, quorum naves per omnes maris mediterranei portus commeabant, ita Galli bellica fama inclaruerant invasionibus in Italiam factis et stipendiis in exterorum regum exercitibus meritis. At neque Galli erant indigenae, neque Graeci primi mercatorum vel colonorum modo oram illam adierant, et quamquam quae ante Gallorum Graecorumque adventum in hac regione gesta sunt, fabulae potius commentis quam historiae lumine videntur illustrata, tamen ne de illa quidem remotiore aetate desunt, quae pro certis possint affirmari. Habuerat igitur iam sua fata Transalpina haec regio, cum post initium saeculi ab urbe condita septimi Romani in animum inducerent, imperio suo eam adicere, neque adeo integrum Romani solum illud invenerunt, ut non ratio iis habenda esset eius rerum status, qui antea fuerat; neque enim tantum Graeci patriae cultum et humanitatem in colonias suas transtulerant, sed Galli quoque quo propiores Massiliae erant, eo pacatiores et cultiores habebant sedes suas. Itaque cum in animo nobis sit, describere, quae attulerint in

illam terram Romani, quae publica introduxerint instituta, quem morum cultum, melius id intellegemus, si priorem huius provinciae statum breviter antea pertractaverimus. Accedit, quod ne Romanis quidem, quo tempore ipsi primum trans Alpes iverunt, primum cum Transalpinis res fuit, ut qui et longae amicitiae consuetudine iuncti essent Massiliensibus et propter Hispaniae provinciae vicinitatem inde a bello Punico Hannibalis haberent, quod ad eum tractum, qui medius interest inter Hispaniam et Italiam, oculos converterent. Itaque hac quoque caussa adducimur, ut priusquam ipsum illud, quod propositum nobis est, adeamus, quae de antiquissima Galliae meridionalis historia memoriae tradita sunt, hoc loco colligamus.

Quicunque veterum auctorum de antiquissimis Galliae incolis scripserunt, consentiunt, per oram maritimam, quae inter Hispaniam et Italiam est, ante Celtas habitasse **Ligyes** sive quod latinum eorum nomen est **Ligures**. Itaque ut posterioris quidem aetatis scriptores geographici, ubi populos extrema terrarum obtinentes recensent, nominant Aethiopes, Indos, Scythas, Celtas [1], ita Hesiodus [2] testibus Eratosthene et Strabone nominavit Aethiopes, Scythas, Ligures, atque Hecataeum Milesium [3], qui vixit saeculis a. Ch. n. sexto et quinto, non solum a sinistra Rhodani, ubi postea quoque Ligures erant, sed etiam inter Rhodanum et Pyrenaeos montes Ligurum sedes posuisse, inde apparet, quod Elisyces, qui circa Narbonem habitabant, Ligurum gentem esse dicit. Quin etiam sunt, qui Thucydidis [4] quodam loco nitentes ne Ligures quidem satis habeant primos regionis illius incolas invenisse, sed **Iberes**. Quod enim Thucydides de Sicilia insula verba faciens refert, Sicanos re vera esse Iberes, qui nomen quidem traxerint a Sicano flumine Iberico, a Liguribus autem e

1) Ex. gr. Scymnus Chius, orb. descriptio vv. 170 sqq.

2) Strabo VII. p. 300 Cas. *Ἡσίοδος μάρτυς ἐν τοῖς ὑπ' Ἐρατοσθένους παρατεθεῖσιν ἔπεσιν·*

Αἰθίοπάς τε Λιγύς τε ἰδὲ Σκύθας ἱππημολγούς.

Λιγύς τε restituit Kramer ex codicum lectione *λιγυστὶ δέ*.

3) Steph. Byz. *Ἐλίσυκοι, ἔθνος Λιγύων. Ἑκαταῖος Εὐρώπῃ.* (= Klausen, Hecat. frag. 20.)

4) Thucyd. 6. 2: *Σικανοί — ὡς ἡ ἀλήθεια εὑρίσκεται, Ἴβηρες ὄντες καὶ ἀπὸ τοῦ Σικανοῦ ποταμοῦ τοῦ ἐν Ἰβηρίᾳ ὑπὸ Λιγύων ἀναστάντες.*

sedibus suis expulsi sint, id illi ita interpretantur ut Iberiam illam velint esse Galliam, Sicanum autem fluvium nihil aliud quam quae postea fuit Sequana.[5]) Cum vero neque constet inter viros doctos, neque possit omnino decerni, quid sint Thucydidis illi Iberes et fluvius ille Sicanus, utrum in Hispania an in Gallia eos collocaverit Thucydides, illa scriptoris rerum Graecarum opinio nullius momenti nobis hic est. Quod autem apud Strabonem[6]), cui Avienus[7]) videtur assentiri, legimus, ab antiquis Iberiam appellatam esse eam, quae a dextra Rhodani sita est, partem Galliae, id, collatis iis quae ex Hesiodo et Hecataeo attulimus, si omnino in eiusmodi nominum ratione historica fides potest quaeri, sic fortasse intellegas, Iberibus, Hispaniae incolis, quondam contigisse, ut expulsis Liguribus usque ad Rhodanum proferrent sedum suarum fines, neque tamen ita, ut non pars Ligurum pristinas sedes in his quoque locis retineret. Neque minus hac ratione explicaveris, quod periplus ille qui Scylacis quidem Caryandensis nomen prae se fert, temporibus autem Philippi II, regis Macedonici, attribuitur[8]), refert quidem, a finibus Hispaniae usque ad Rhodanum habitare Ligures mixtos Iberibus, sed eodem loco omnem illum orae tractum Ligurum nomine designat.[9]) Atque si confers quod orbis illa descriptio, quae Scymni Chii[10]) vulgo dicitur, quod Silius Italicus,[11]) Dio

---

5) Cfr. C. Müller, Geogr. graeci min., p. 17 (not. ad Scylacis periplum §. 3).

6) Strabo III. p. 166 Cas.: *ἐπεὶ καὶ Ἰβηρίαν ὑπὸ μὲν τῶν προτέρων καλεῖσθαι πᾶσαν τὴν ἔξω τοῦ Ῥοδανοῦ καὶ τοῦ ἰσθμοῦ τοῦ ὑπὸ τῶν Γαλατικῶν κόλπων σφιγγομένου, οἱ δὲ νῦν ὅριον αὐτῆς τίθενται τὴν Πυρήνην κ. τ. λ.*

7) Avien., or. marit. vv. 608 sq.: *huius* (sc. Rhodani) *alveo Ibera tellus atque Ligyes asperi intersecantur.*

8) Müller, Geogr. graeci min. prolegg. p. XXXIII sqq.

9) Scylacis Car. peripl. §. 3: *ἀπὸ δὲ Ἰβήρων ἔχονται Λίγυες καὶ Ἴβηρες μιγάδες μέχρι ποταμοῦ Ῥοδανοῦ. Παράπλους Λιγύων ἀπὸ Ἐμπορίου μέχρι Ῥοδανοῦ ποταμοῦ δύο ἡμερῶν καὶ μιᾶς νυκτός.*

10) Scymn. Chius vv. 199—202: *εἶτ' Ἴβηρες οἱ προσεχεῖς· ἐπάνω τούτων δὲ κεῖνται τῶν τόπων Βέβρυκες· ἔπειτα παραθαλάττιοι κάτω Λίγυες ἔχονται καὶ πόλεις Ἑλληνίδες.*

11) Silius Ital. Punic. 3, 442 sqq.

Cassius[12]), Zonaras[13]) in ea Galliae meridionalis parte, ubi postea Narbo fuerit, olim habitasse dicunt Bebryces, Avienus[14]) autem et Steph. Byz.[15]) eosdem Bebryces annumerant Iberibus, hanc ipsam Bebrycum gentem Iberes illos fuisse concedas, qui Pyrenaeos montes transgressi inter ipsos Ligures novas sedes quaesiverint.

Sicut autem e communi Iberum nomine Bebrycum gens emergit, ita quaeritur, num inter Ligurum quoque nomen, quod et ipsum nationi satis numerosae inhaeret, distingui possint singulae gentes. Iam vero si Theopompus Chius teste Stephano Byzantino[16]) Arbaxanos, Eubios, Ipsicuros Liguribus attribuit, hoc quidem parum proficimus, cum praeter mera gentium nomina Stephanus nihil tradat. Contra supra vidimus Hecataeum Elesyces sive Elisycos habuisse pro gente Ligustica; quod pugnare quidem videtur cum Avieno dicente, Elesycum caput fuisse Narbonem[17]), quae urbs iam ab Hecataeo emporium dicitur Celtarum, ita tamen potest explicari, ut Hecataei tempore urbem Narbonem tenuisse accipiamus Celtas, Elesyces sive Ligurum a Celtis devictorum reliquias oram quae adiacebat maritimam.

---

12) Tzetz. ad Lycophr. Cass. 516: *Δίων δὲ Κοκκειανὸς τοὺς Ναρβωνησίους Βέβρυκας λέγει, γράφων οὕτως· τῶν πάλαι μὲν Βεβρύκων, νῦν δὲ Ναρβωνησίων ἐστὶ τὸ Πυρηναίον ὄρος.* Quod autem idem Tzetzes ad vers. 1305 dicit: *Βέβρυκες ἔθνος Γαλατῶν, μεταξὺ Πυρήνης καὶ Κεραυνίων* (lege *Κεμμένων*) *καὶ Ἰβηρίας κείμενον, οἳ καλοῦνται Ναρβωνήσιοι*, Galli (*οἱ Γαλάται*) terrae potius situm quam nationis originem hic designant.

13) Zonaras 8, 21: *τὸ ὄρος τοῦτο* (sc. *τὸ Πυρηναῖον*) *ἐκ τῆς θαλάσσης τῆς πάλαι μὲν Βεβρύκων, ὕστερον δὲ Ναρβωνησίων ἀρξάμενον ἐς τὴν ἔξω τὴν μεγάλην διατείνει.*

14) Avienus, ora marit. vv. 472. 485.

15) Steph. Byz.: *Βεβρύκων ἔθνη δύο τὸ μὲν πρὸς τῷ Πόντῳ ἐν τῇ Ἀσίᾳ, τὸ δὲ παρὰ τοῖς Ἴβηρσιν ἐν τῇ Εὐρώπῃ.*

16) Steph. Byz.: *Ἀρβαξανοὶ ἔθνος Λιγυστικόν. παρέπλεον δὲ τὴν χώραν τὴν πρώτην ἔρημον, ἣν ἐνέμοντο Ἰψίκουροι καὶ Ἀρβαξανοί.* — Id.: *Ἰψίκουροι ἔθνος Λιγυστικὸν Θεόπομπος τεσσαρακοστῷ τρίτῳ· ἣν ἐνέμοντο Ἰψίκουροι καὶ Ἀρβαξανοὶ καὶ Εὔβιοι, Λίγυες τὸ γένος.* Id.: *Εὔβιοι ἔθνος Λιγυστικόν· εἴρηται ἐν τῷ περὶ τῶν Ἀρβαξανῶν.*

17) Avien., or. marit. 584 sq.: *gens Elesycum prius loca haec tenebat atque Narbo civitas erat ferocis maximum regni caput.* De Avieni fontibus cfr. Uckert, Geogr. d. Griech. u. Roem. 2, 1, p. 473 sqq.

Utique Avieni auctoritas, qui saeculo p. Ch. quarto librum suum conscripsit, quamquam saepe e fontibus fide dignis hausit, tamen non ea est, quam Hecataeo praeponamus, immo fortasse in iis, quae affert, ipse nihil aliud quam Hecataeum male excripsit. Si denique eosdem Elesyces Herodotus[18]) dicit cum Iberibus et Liguribus anno a. Ch. 480 Terilli Himerae urbis tyranni contra Gelonem et Syracusios bellantis mercenarios fuisse, is quidem Elesyces a Liguribus distinguit, sed ea aetate Ligurum nomine iam non omnes orae illius accolae appellabantur, sed ii tantum, qui a sinistra Rhodani ripa habitabant. Quidquid id est, post Herodotum extinguitur memoria Elesycum ut gentis etiam tum extantis atque et haec gens et ea Bebrycum pars, quae cis Pyrenaeum consederat, aut a Gallis videntur extinctae aut cum Gallis et Iberibus Pyrenaeicis penitus commixtae. Itaque Polybius[19]) Carthaginiensium in Sicilia mercenarios non Iberes, Ligures, Elesyces, sed Iberes, Ligures, Celtas enumerat, ut appareat, eos qui per oram Hispaniae et Galliae mercenarios tum conquirebant, inter Pyrenaeos et Rhodanum iam non Elesyces sive Ligures sed Celtas deprehendisse. Et ne monumenta quidem ulla, quae Ligurum antiquissimorum mores quodammodo illustrent, ad nos pervenerunt[20]), ac nisi quae de iis Liguribus, qui a sinistra Rhodani ripa et ultra Alpes considebant, narrantur, ad omnem Ligurum gentem referas, id tantum inveneris traditum, nationem illam valde bellicam et ita barbaram fuisse, ut ne eos quidem, qui commercii caussa per illam regionem commeabant et qui a reliquis gentibus sacrosancti habebantur, illaesos per suos fines migrare permitterent.

Namque iam ea aetate, qua omnis ora maritima Ligurum erat, exteri mercatores coeperant venire in has regiones, atque etiamsi e fabulis potissimum de Herculis per Galliam migrationibus hoc

18) Herod. 7, 165. cfr. Forbiger, Handbuch der alten Geogr. I. 71. N. 14.

19) Polyb. 1, 17: *οἱ δὲ Καρχηδόνιοι* (anno a. Ch. 263) — *ξενολογήσαντες πολλοὺς μὲν Λιγυστίνους καὶ Κελτούς, ἔτι δὲ πλείους τούτων Ἴβηρας, ἅπαντας εἰς τὴν Σικελίαν ἀπέστειλαν.*

20) Uckert quidem (Geogr. d. Griech. u. Roemer 2, 2, 229. N. 24) lapidum quosdam cumulos singulari modo congestos, quos prope Aquas Sextias repertos esse dicit, Liguribus tribuit, at hoc prorsus incertum est.

eruendum est, tamen non potest esse dubium, quin lateat in his fabulis vera aliqua historia. Referunt Diodorus Siculus[21] et Dionysius Halicarnassensis[22], Herculem inde a finibus Hispaniae omnem maris mediterranei oram permigrantem ex Iberia pervenisse in Galliam sublatisque saevis indigenarum moribus, sublata potentium tyrannide et crudeli peregrinos occidendi consuetudine ad humaniorem vitae cultum, ad pacis artes, ad communem in urbibus vitam homines instituisse, quin etiam ipsum in mediis Galliis Alesiam urbem condidisse, quae ab illa inde aetate pro sacrosancta urbe et metropoli Galliae ab indigenis habita sit. Quibus peractis cum in Italiam Hercules pergere voluerit, prope Alpes in Ligures eum incidisse, qui denegato per suos fines transitu armata manu iter eius impedire sint conati, dimicantem vero contra eos cum tela defecerint, ab invocato Iove imbre lapidum esse adiutum, quibus pro telis utens impios hostes fugaverit. Et haec quidem de imbre lapidum fabula, quam ab Aeschylo in Prometheo soluto tractatam esse tradunt Dionysius et Strabo[23], admodum trita videtur fuisse apud scriptores veteres, inventa scilicet, ut campi illius, qui inter Massiliam et Arelatem situs ingenti lapidum mole scatet et hodie dicitur *champ de la Crau*, ratio explicaretur. Omnis vero de Herculis et per oram maritimam et per interiores terras itineribus narratio quid significet melius intellegas, si confers quae legimus in libro illo de mirabilibus auscultationibus, qui Aristotelis esse dicitur.[24] Viam enim esse refert eius libri auctor, ex Italia in Galliam ducentem ad Celtoligures et Iberes, quae appelletur via Herculis. Qua si quis sive Graecorum sive indigenarum commeet, eum iter facere sub tutela accolarum, qui curam agant, ut secura sit peregrinatio, atque eos poena afficiant, in quorum finibus iniuria facta sit viatori. Quae Herculis via et per barbaras gentes migratio quid

21) Diod. 4. 19.

22) Dion. Hal. 1, 41.

23) Strabo 4, p. 183.

24) De mirab. auscultat. c. 86: Ἐκ τῆς Ἰταλίας φασὶν ἕως τῆς Κελτικῆς καὶ Κελτολιγύων καὶ Ἰβήρων εἶναί τινα ὁδὸν Ἡράκλειαν καλουμένην· δι᾽ ἧς ἐάν τε Ἕλλην, ἐάν τε ἐγχώριός τις πορεύηται, τηρεῖσθαι ὑπὸ τῶν παροικούντων, ὅπως μηδὲν ἀδικηθῇ. τὴν γὰρ ζημίαν ἐκτίνειν, καθ᾽ οὓς γίνηται τὸ ἀδίκημα. cfr. Ritter, Vorhalle europ. Völkergesch. p. 361.

potest significare nisi commercii usum et per oram maritimam et per remotiores interioris terrae partes propagatum, quo mitiores et pacatiores facti sint hominum animi moresque, quo qui per agros degere consuerant, in urbes convocati et ad civilis vitae mores sint instituti? Verum si perpendis, Herculem illum, ut mythologi comparatis veterum fabulis invenerunt, Asiaticum sive Phoenicem potius esse quam Graecum, et confers singularem illam Diodori de Alesia fabulam, si confers deinde quod Thierry[25]), rerum Gallicarum apud Francos scriptor, dicit, inveniri per interiorem Galliam Phoenicum nummos vel in locis remotioribus ab ora maritima, fieri posse concedas, ita olim ad hos situs mercandi caussa commeasse Phoenices, ut ab littore septentrionem versus secundum Rhodanum et Ararim fluvios iter facerent, Alesiae autem mansionem quandam et insigniorem commercii cum indigenis stationem instituerent. Quae opinio eo quoque videtur confirmari, quod variis aliis argumentis utentes viri docti invenisse sibi videntur, ab antiquissimis temporibus mercatores commeasse ab ora secundum Rhodanum ad interiora Galliae, unde sive Rhenum transgressi in Germaniam commigrarent usque ad oram maris Germanici sive secundum Seqnanam in Galliam septentrionalem et Britanniam.[26]) At plus quam par est ex eiusmodi argumentis concludere videtur Thierry[27]), si de coloniis dicit Phoenicum in media Gallia constitutis, si viam, quae postea Aurelia et Domitia fuit, a Phoenicibus primum stratam esse vult et metalla instituisse eos putat per montes Pyrenaeos, Cebennam et Alpes. Contra emporia quaedam per hos inter Pyrenaeos et Alpes situs fuisse, quibus niterentur ii, qui in interiorem terram commeabant, unde exirent, quo referrent ea, quae a barbaris comparaverant, nemo negabit. Quin etiam unum eiusmodi emporium, si Moversium[28]) audis, virum rerum Phoeniciarum longe peritissimum, pro certo potest indicari, oppidum Ruscino situm ad radices montis Pyrenaei, cuius nominis non solum etymon punicam prodat originem, sed etiam

25) Thierry, Hist. des Gaulois I. p. 20.

26) Lindenschmidt, Die vaterländ. Alterthümer der hohenzoll. Sammlung. Mainz 1860. p. 164 f.

27) Thierry loco supra cit.

28) Movers, Die Phoenizier 2, 2 p. 644 sq. 654 sq.

aliud exemplum in mediis Poenis extet, quoniam unus ex portibus urbis Carthaginis et ipse appellatus sit Ruscino. Coloniam autem Movers Ruscinonem putat esse Tyriorum, quippe qui inde ab saeculo a. Ch. undecimo usque ad saeculum nonum florens in ora Hispaniae occidentali habuerint imperium. Ultra Ruscinonem vero progressos esse Phoenices Movers negat; nam, quod Stephanus Byzantinus[29]) urbem insulamque Alonem nominat coloniam Massiliensium, scriptor ille rerum Phoeniciarum conditam hanc quidem esse censet a Phoenicibus, quoniam Alone nihil aliud sit, quam nomen Dei Phoenicis, quod habes in nominibus Kartalon, Abdalon, neque vero sitam eam esse prope Massiliam, sed in Hispania, ubi prope promontorium Dianium ad sinum Illicitanum Alonem fuisse Mela testatur.[30])

Origines igitur historiae eius regionis, de qua agit hic liber, quantum nos quidem per tantam temporum obscuritatem discernere possumus, versari videntur in nominibus Ligurum et Phoenicum. Quam primam aetatem sequitur aetas Celtarum sive Gallorum et Graecorum. Refert autem Festus Avienus, Ligures olim in septentrionali quoque Gallia habitasse, pulsos autem ab Celtis ad oram maris mediterranei pervenisse.[31]) Quae prima Celtarum in Galliam irruptio quo tempore inceperit, non constat, at quando ad oram meridionalem et Rhodani ostia penetrarint illi advenae, si non certo concludere, suspicari tamen licet. Verisimile enim est, Celtas eodem fere tempore cis Cebennam consedisse, quo Pyrenaeos transgressi Hispaniam invaserunt. Quod autem et Strabo[32]) dicit post Tyrios a Celtis occupatam esse Iberiam et Varro apud Plinium[33]) post Phoenices

29) Steph. Byz.: *Ἀλωνίς, νῆσος καὶ πόλις Μασσαλίας ὡς Ἀρτεμίδωρος.*

30) Mela 2, 6: *Sequens* (sinus) *Illicitanus Alonem habet.* Prope Massiliam Alonem collocat Walkenaer, Géogr. anc. des Gaules 1, 280.

31) Fest. Avien., ora marit. 133—145.

32) Strabo III. p. 158 Cas.: *εἰ συνασπίζειν ἐβούλοντο ἀλλήλοις* (*οἱ Ἴβηρες*), *οὔτε Καρχηδονίοις ὑπῆρξεν ἂν καταστρέψασθαι ἐπελθοῦσι τὴν πλείστην αὐτῶν ἐκ περιουσίας, καὶ ἔτι πρότερον Τυρίοις, εἶτα Κελτοῖς* etc.

33) Plin. hist. nat. 3, 3: in universam Hispaniam M. Varro pervenisse Iberos et Persas et *Phoenices Celtasque* et Poenos tradit.

Celtas in universam Hispaniam pervenisse tradit, Movers[34]) recte videtur concludere, Tyriorum imperium revera dissolutum esse Celtarum incursionibus, idque nullo alio tempore probat fieri potuisse, quam sive sub finem octavi sive initio septimi a. Ch. n. saeculi; eodem igitur fere tempore Galliae oram meridionalem Celtae coeperant occupare.

Neque quae hic ex Hispania repetivimus, pugnant cum iis, quae de rebus in ipsa Gallia gestis traduntur. Legimus apud Livium[35]), Phocaeenses, cum ad Ligurum oram appulsi novas sedes ibi quaererent, ab indigenis autem propellerentur, ope Celtarum, qui Belloveso duce in Italiam irrupturi tum illic vagabantur, obtinuisse, ut in Salyum finibus considerent. Pervenerunt autem Phocaeenses in Galliam anno fere a. Ch. 600. Iam vero etiamsi recte Mommsen[36]) hoc Bellovesi cum Phocaeensibus foedus ad posteriorum commenta reiciendum censeat, qui quae in fabulis sine certa temporum notatione relata invenerint, proprio ingenio ad certam temporis rationem redacta verae historiae instar tradiderint, id saltem pro vero accipias, Phocaeenses cum Massiliam conderent, finitimos ei orae, ad quam appulerunt, praeter Ligures invenisse Celtas. Ex altera parte si, ut supra vidimus, etiam quinto a. Ch. saeculo et Elesyces Ligures et Bebryces Iberes per eam oram degebant, si igitur nondum prorsus finita erat Galliae occupatio, habes ibi terminum, qui nimis longe ultra sextum saeculum recedere vetat. Ergo Gallicae quoque res videntur permittere, ut extremo saeculo octavo vel initio saeculi septimi Celtarum in hac parte adventum tribuamus.

Habes igitur iam ab una parte Celtas, ab altera Graecos. Contra Phoenices ab hac ora iamiam abstinuerunt; namque Ruscino ubi ab hoc inde tempore commemoratur, non nisi Gallicum oppidum est, et per se quoque apparet, inter eas Tyriorum colonias, quae Celtarum irruptione eversae sunt, omnium primum novis advenis succubuisse eam, quae extrema ideoque hostibus maxime exposita erat. Ex Graecis autem eodem fere

34) Movers, Die Phoenizier 2, 2 p. 654 f.

35) Liv. 5, 34.

36) Mommsen, Roem. Gesch. 1, 300 N. cfr. Niebuhr, Roem. Gesch. 2, 258.

tempore advenerunt et Phocaeenses Iones et Rhodii. Et illos quidem, qui audacia navigationum per maria Siculum et Tyrrhenum tum omnibus Graecis praestabant, sub quinquagesimam quintam fere Olympiadem sive anno circiter 600 a. Ch. n. pervenisse ad oram Galliae et iam tum Massiliam condidisse, quamquam diversa inter se scriptores veteres de ea re tradunt, nunc tamen recte vulgo accipitur.[37] Massilienses autem quoad poterant amicitia et foedere indigenis iuncti, ubi armis petebantur,

37) Frequens est apud veteres scriptores commemoratio originum Massiliae, sed ita inter se differunt, ut alteri anno fere 600 a. Ch. n., alteri a. 536 conditam eam tradant. Et illam quidem traditionem primus diserte sequitur Timaeus apud Scymnum Chium 210—214, annum indicans ante pugnam Salaminiam 120, qui annus est a. Ch. 600, a quo non abhorret Eusebius, qui in Chronicorum libro Olympiadem indicat quadragesimam septimam (Chron. bip. II. p. 191 Aucher), neque ab his differt Iustinus 43, 3, si Tarquinio Romae regnante Phocaeenses Massiliam dicit condidisse; nam Tarquinius is est Priscus; item huc referas Aristotelis librum deperditum de republica Massiliensium (apud Athenaeum 13, 36 et Harpocrat. s. v. *Μασσαλία*) et Plutarchum (Solon. 2), ut qui de Massiliae originibus disserentes eandem illam de Proto sive Euxeno Phocaeensium duce fabulam, quam Iustinus habet, tradant; denique conferas etiam Antiochum apud Strab. VI. p. 252, ubi, si sequeris lectionem codicum: *Φησὶ δ' Ἀντίοχος Φωκαίας ἁλούσης ὑφ' Ἁρπάγου — πλεῦσαι πρῶτον εἰς Κύρνον καὶ Μασσαλίαν* pro *Ἀλαλίαν*, Massilia Harpagi aetate supponitur iam condita. Ab altera parte omnes eos habes, qui tum demum Massiliam conditam volunt, cum Phocaea Asiae ab Harpago expugnata esset, sive post annum 536. Qui sunt potissimum Isocrat. Archid. p. 195 Wolf, Hygin. apud Gell. N. Att. 10, 16. Ammian. Marc. 15, 9. Isidor. Orig. 15, 1, 63. Revora autem distinguendam esse primam Massiliae originem ab adventu eorum Phocaeensium, qui Harpagum fugerunt, iam Harpocration vidit dicens (s. v. *Μασσαλία*): *Ἰσοκράτης μὲν φησιν ἐν Ἀρχιδάμῳ ὡς Φωκαεῖς φυγόντες τὴν τοῦ μεγάλου βασιλέως δεσποτείαν εἰς Μασσαλίαν ἀπῴκησαν· ὅτι δὲ πρὸ τούτων τῶν χρόνων ἤδη ὑπὸ Φωκαίων ᾤκιστο ἡ Μασσαλία, καὶ Ἀριστοτέλης ἐν τῇ Μασσαλιωτῶν βασιλείᾳ δηλοῖ.* Utramque denique traditionem male confusam habes apud Solin. 2, 52, qui dicit: Phocaeenses quondam fugali: Persarum adventu Massiliam urbem Olympiade quadragesima quinta condiderunt. — Nuper de Massiliae historia egerunt: Iohannsen, veteris Massiliae res et instituta Kiel 1817. Brückner, historia reip. Massil. etc. Goettingae 1820. Ternaux, Hist. reip. Mass. Goett. 1826. Dederich in Rheinisch. Mus. IV. (1836) p. 99—125. C. F. Hermann, Griech. Staatsaltertb. §. 79, N. 28. Curtius, Griech. Gesch. 1, 368 sq. Schwegler, Roem. Gesch. 1, 681—683.

armis vim arcentes cum ad ostia Rhodani, ut dicit Iustinus[38], in finibus Segobrigiorum solide constitissent, brevi tempore per illos situs inclaruerunt, atque cum sexaginta fere annis post sive anno a. Ch. 536 Phocaeensibus in Ionia accidisset, ut ab Harpago, Cyri regis duce, misso ad Iones subiciendos ex patria expellerentur et occidentem versus fugerent, pars quidem in Lucania Veliam condidit, alii vero Massiliam se converterunt atque tantum incrementi huic coloniae attulerunt, ut denuo tum condita videretur Massilia.[39] At ab altera quoque parte secundum Hispaniae littus navigans alia Graecorum gens ad Pyrenaei radices pervenit: Rhodii enim anno fere 578 ex Sicilia pulsi primum cum Cnidiis Liparam insulam occuparunt, deinde longius provecti prope fines Gallicos Rhodam coloniam, quae hodie *Rhodas* est, condiderunt.[40] Neque vero per longum tempus ibi consistere et nomen suum propagare potuerunt, atque quod Plinius usque ad Rhodanum eos provectos esse tradit, et ibi quoque Rhodam urbem condidisse ac flumini ipsi nomen invenisse, in eo haud dubie erravit.[41] Immo Strabone auctore ne

38) Iustin. 33, 3. Quomodo Massilienses modo pace et prudenti consilio modo armis et strenua fortitudine cum indigenis egerint, belle indicant veteres fabulis de nuptiis Protidis sive Euxeni Phocaeeensium ducis cum Nanni indigenae regis filia (Aristot. apud Athen. 13, 36. Iustin. 43, 3. Plutarch. Solon. 2) et de Comani Ligurum regis insidiis Catumandique finitimarum gentium ducis somnio (Iustin. 43, 4. 5).

39) Cfr. quae n. 37 citavimus.

40) Strabo 14, 654: *ἀφ' οὗ καὶ μέχρι Ἰβηρίας ἔπλευσαν* (οἱ Ῥόδιοι), *κἀκεῖ μὲν τὴν Ῥόδον ἔκτισαν, ἣν ὕστερον Μασσαλιῶται κατέσχον*, quem excripsit Eustath. ad Dionys. v. 504 dicens: *ὁ δὲ Γεωγράφος φησὶ καὶ ὅτι πλεύσαντες οἱ Ῥόδιοι μέχρις Ἰβηρίας ἔκτισαν ἐκεῖ πόλιν Ῥόδον.* — Cfr. Curtius, Griech. Gesch. 1, 366 sq. Momms. 1, 135 sq.

41) Legis apud Plinium h. n. 3, 5: *Agatha quondam Massiliensium et regio Volcarum Tectosagum atque ubi Rhoda Rhodiorum fuit: unde dicitur multo Galliarum fertilissimus amnis*; quod videtur confirmari duobus his locis, Hieronym. comment. epist. ad Galat. 2, 3: *oppidum Rhodam coloni Rhodiorum locaverunt, unde Rhodanus nomen accepit*, et Isidor. Orig. 13, 29: *Rhodanus Galliae fluvius ab oppido Rhoda cognominatus, quam coloni Rhodiorum locaverunt.* At primum triplex hoc testimonium ad unum redigendum est, quippe cum aperte Isidorus Hieronymum, Hieronymus

Rhodam quidem Hispanicam potuerunt retinere, sed mox permiserunt eam Massiliensibus[42], qui cum prope Rhodam Emporium urbem condidissent, facili negotio oppidum illud destitutum a patria suis coloniis adiecerunt; unde fit, ut idem Strabo alio loco[43] Rhodam appellet oppidulum Emporitanorum, cuius a Rhodo insula originem vix sint, qui memoriae traditam acceperint. Interim Massilia et situs opportunitate adiuta et strenua incolarum constantia et fortitudine sustentata melios inter barbaros in dies aucta est, atque ut hodie per omnem orbem commercii fama inclarescit, ita etiam veteris historiae tempore post breve tempus gloria rerum gestarum, abundantia opum, industria terra marique exercita coeperat florere.

Qualis autem ea aetate, qua primum et Celtae et Graeci suas sibi sedes pararant, sive initio fere saeculi a. Ch. quinti Galliae meridionalis status fuerit, quam quisque partem tenuerit, optime perspicuum est ex Hecataeo, a quo primo incipit contemporanea Graecorum de hac regione relatio: Considebant in medio Celtae, qui e septentrionibus venientes cunei instar immiserant se inter Ligures et Iberes, illis ultra Rhodanum, his in Pyrenaeum repulsis, ora maritima autem per urbem Massiliam occupata. Neque enim solum Narbo ab Hecataeo dicitur urbs Celtica, sed omnis quae inter Pyrenaeum et Rhodanum est regio, dicitur ἡ

Plinium excripserit; deinde ipsum Plinium confudisse Rhodam Rhodiorum cum Rhodanusia Massiliensium pridem fuerunt qui monuerint; cum enim in recensendis Hispaniae oppidis Rhodam omiserit, non duas in illa regione Rhodas Rhodiorum colonias videtur cognovisse, sed unam illam, quae ibi erat, falso loco posuisse, idque eo magis fieri potuit, quod Rhodanusia quoquo alio nomine Rhoda videtur apud Strabonem esse appellata, si quidem, ubi codices habent: *τὴν δὲ Ῥόην Ἀγάθην* legis: *τὴν δὲ Ῥόδην καὶ Ἀγάθην*; nam hoc saltem Strabonis loco Rhodanusia tantum potest intellegi. cfr. Scymn. Chium v. 207 f.: *οἱ Μασσαλίαν κτίσαντες ἔσχον Φωκαεῖς Ἀγάθην Ῥοδανουσίαν τε, Ῥοδανὸς ἣν μέγας ποταμὸς παραῤῥεῖ.* Quod autem de origine vocabuli Rhodani dicit Plinius, id manifestum est, suo Marte sed iniquo eum invenisse, cum quae Rhodano adiacebat urbs, ipsa a fluvio nomen acceperit, non fluvius ab urbe.

42) Cfr. not. 40.

43) Strabo 3, 160: *ἐνταῦθα δ' ἐστὶ καὶ ἡ Ῥοδόπη* (sic codices; lege *Ῥόδη*), *πολίχνιον Ἐμποριτῶν, τινὲς δὲ κτίσμα Ῥοδίων φασί.*

Κελτική[44]), atque praeter Narbonem commemoratur etiam oppidum Celticum *Νύραξ*, quod ubi fuerit ignotum est.[45]) Inter Rhodanum deinde et Alpes non nisi ea pars, quae littori adiacet, nota erat Hecataeo; cum autem et Massiliam et Monoecum[46]), qui in confiniis erat regionum Transalpinae et Cisalpinae, urbes dicat *τῆς Λιγυστικῆς*, probat Liguriam tum appellatam esse omnem oram maritimam, quae a Rhodano Italiam versus tendit. In interiori autem terra, quamquam nihil diserte traditum est, tamen ex illa de Belloveso traditione concludas, iam tum Celtas eo progressos esse, ut in sinistra quoque Rhodani ripa non solum quae ipsi Rhodano adiacebant occuparent, sed etiam per Isarae et Druentiae valles usque in interiora Alpium procederent, Liguribus autem saltus tantum illos et inculta montium relinquerent, quae inter Druentiam et oram sita sunt. Deinde cum constet, Monoecum fuisse coloniam Massiliensium, Ampelus autem, quam idem Hecataeus urbem Ligusticam nominat,[47]) quamquam alias ignota nomine tamen Graeco prodatur et ipsa colonia fuisse Massiliensium, denique cum in dextra Rhodani ripa ne unum quidem Massiliensium emporium Hecataeus videatur cognovisse, conieceris, advenas illos Phocaeenses satis tum habuisse, primum omnium ipsam metropolim firmare tutarique, deinde per oram quidem Liguriae quaedam instituere emporia, quae consolidarent quasi Graecorum per hanc maris partem commercii privilegium, ultra Rhodanum autem abstinuisse eos ad id tempus firmius insistere. Quod ipsam rerum naturam iis commendasse nemo non videt; primum enim priusquam quae cis Rhodanum proxime vicina erant, satis tuta essent a Liguribus, Celtarum quoque inimicitiam subire non potuerunt, deinde si Narbo erat Celtarum emporium, id non ita intellexeris, Massiliensibus non licuisse et ipsis Narbonem per ostia Ataeis fluvii commeare ibique quae ex mediterranea Gallia conge-

---

44) Hecat. fragm. 19 (Klausen): *Ναρβὼν ἐμπόριον καὶ πόλις Κελτική.* cfr. fr. 22: *Μασσαλία, πόλις τῆς Λιγυστικῆς, κατὰ τὴν Κελτικήν, ἄποικος Φωκαίων.*

45) Frgm. 21: *Νύραξ, πόλις Κελτική.*

46) Frgm. 23: *Μόνοικος, πόλις Λιγυστικη.* De Massalia cfr. n. 44.

47) Frgm. 24: *Ἄμπελος, πόλις τῆς Λιγυστικῆς.*

rebantur merces coëmere, quas per mare in alias terras pervehèrent.

Ceterum per aliquod tempus et Massilienses et Celtae potius ultra Pyrenaeos et Alpes videntur tetendisse quam proxima commoda esse secuti. Massilienses quidem vixdum nacti, ubi aliquo modo consisterent, denuo naves conscendentes auxilio reliquorum Phocaeensium ante omnia obtinere studebant, ut universum maris Gallici commercium quasi suam usurparent provinciam, a qua omnes reliquas nationes quam longissime arcerent. In hoc autem conatu ubi primum sive Pyrenaeum praetergressi ad Hispaniae oram pervenerunt sive Italiam versus commearunt, necesse erat manus consererent cum Carthaginiensibus, qui quasi hereditario iure Tyriis succedentes eo ipso tempore per Hispaniae oras et per insulas Sardiniam et Corsicam non solum emporia disponere, sed ipsa territoria quae littori adiacebant, coeperant occupare. De quo inter Graecos et Poenos certamine, quod vehementissime sine dubio per illa aequora gestum est, haec fere nobis tradita sunt: Primum Pyrenaei radices transvecti Phocaeenses in Hispaniae ora condiderunt Emporias [48], deinde audacius in dies vagantes pervenerunt prope ad fretum Herculis; quam enim Scymnus Chius et Strabo extremam Phocaeensium occidentem versus coloniam dicunt, Maenaca sita est ad oram Hispaniae Baeticae sive, ut Scymnus indicat, prope unam ex insulis, quae columnae Herculis vocabantur. [49] Quin etiam si

---

48) Plin. hist. n. 3, 4: *Emporiae, geminum hoc veterum incolarum et Graecorum, qui Phocaeensium fuere soboles.*

49) Scymn. Chius 146—149: *μιᾷ τούτων δὲ* (sc. *τῶν Ἡρακλέους στηλῶν*) *Μασσαλιωτικὴ πόλις ἐστὶν ἐγγύς, Μαινάκη καλουμένη· αὕτη πρὸς Εὐρώπην δὲ τῶν Ἑλληνίδων πόλεων ἐσχάτην ἔχει θέσιν.* Strabo 3, p. 156: *ταύτην* (sc. *τὴν Μαλάκην*) *τινὲς τῇ Μαινάκῃ τὴν αὐτὴν νομίζουσιν, ἣν ὑστάτην τῶν Φωκαϊκῶν πόλεων πρὸς δύσει κειμένην παρειλήφαμεν, οὐκ ἔστι δέ· ἀλλ' ἐκείνη μὲν ἀπωτέρω τῆς Κάλπης ἐστί, κατεσκαμμένη, τὰ δ' ἴχνη σώζουσα Ἑλληνικῆς πόλεως, ἡ δὲ Μάλακα πλησίον μᾶλλον, Φοινικικὴ τῷ σχήματι.* Confudit autem Malacam et Maenacam Avien. or. marit. v. 426 sq. Quod deinde Steph. Byz. Maenacam urbem Celticam dicit, id Müller in geogr. graec. min. ad Scymn. Ch. l. l. recte inde explicat, quod Stephanus sicut Scymnus omnia sua ex Ephoro habeat, Ephorus autem totam Hispaniam referat ad Celticam regionem. Dicit autem Stephanus: *Μάκη, Κελτικὴ πό-*

huc refers quae Herodotus[50]) tradidit de Arganthonii, Tartessiorum regis, erga Phocaeenses favore, Massilienses quoque usque ad Baetis fluvii ostia navigasse accipias. Citra fretum Herculis autem atque citra Maenaeum tria Massiliensium oppidula nominat Strabo[51]), sita inter Carthaginem novam et Sucronem fluvium, quorum nobilissimum sit Hemeroscopium cum Dianio sive Artemisio adiacenti templo Dianae; secundum erat fortasse Alone, quod Massiliensium oppidum dicit Stephanus et ad Illicitanum sinum collocat Mela; tertii nomen ignotum est. Quae emporia nonnisi perpetuo cum Carthaginiensibus certamine condi potuerunt atque saepenumero a Phocaeensibus, qui Massiliam condiderint, victos esse Poenos dicit Thucydides.[52]) Verum paullatim insurgunt Carthaginienses per omnes maris occidentalis partes, consistunt in Sicilia, occupant Baeticam ab utraque parte freti Gaditani, Sardiniam insulam anno fere a. Ch. 550 incipiunt occupare, a Corsica ipsi quidem abstinent, Phocaeenses autem pugna apud Alaliam anno 537 commissa inde pellunt et committunt hanc insulam Etruscis.[53]) Quo factum est, ut Massilienses gradatim repulsi de stationibus Hispanicis eo redigerentur, ut exceptis Emporiis nonnisi Gallicum mare in sua quasi ditione retinerent, ceterum autem satis haberent, extra hos fines socios quosdam sibi conciliare, sicut in Latio Romanos, in inferiore Italia Velienses, qui et ipsi Phocaeensium coloni erant.

Coloniarum autem, quas Massilienses per maris Gallici et

λις· εὕρηται καὶ Μαινάκη Κελτικὴ πόλις, ubi volunt, vocabula *Μάκη* et *Μαινάκη* locum inter se mutare, quia Steph. inter *Μαιδοὶ* et *Μαίναλος* hanc urbem recenset. Ceterum Maenacam dicunt hodie esse *Almunecar*.

50) Herodot. 1, 163.

51) Strabo 3, 159: *μεταξὺ τοῦ Σούκρωνος καὶ τῆς Καρχηδόνος τρία πολίχνια Μασσαλιωτῶν εἰσιν οὐ πολὺ ἄποθεν τοῦ ποταμοῦ· τούτων δ᾽ ἐστὶ γνωριμώτατον τὸ Ἡμεροσκοπεῖον ἔχον ἐπὶ τῇ ἄκρᾳ τῆς Ἐφεσίας Ἀρτέμιδος ἱερὸν σφόδρα τιμώμενον, ᾧ ἐχρήσατο Σερτώριος ὁρμητηρίῳ κατὰ θάλατταν.*

52) Thucyd. 1, 13: *Φωκαῆς δὲ Μασσαλίαν οἰκίζοντες Καρχηδονίους ἐνίκων ναυμαχοῦντες.* cfr. Pausan. 10, 8, 4: *οἱ δὲ Μασσαλιῶται — γενόμενοι ναυσὶν ἐπικρατέστεροι Καρχηδονίων τήν τε γῆν ἣν ἔχουσιν ἐκτήσαντο καὶ ἐπὶ μέγα ἀφίκοντο εὐδαιμονίας.*

53) Mommsen, Roem. Gesch. 1, 133—136.

Ligustici oram condiderunt, haec erat ratio: Extrema quae contra Carthaginienses ab una, contra Etruscos ab altera parte conconstituta sunt loca, fuisse videntur Emporiae in Hispania, Troezen in Italia. Et Emporiae quidem, quae hodie dicuntur *Empurias*, satis celebres erant apud antiquos et pro firmo non solum maritimi sed etiam interni cum indigenis commercii praesidio in terra fertili et bonis portibus[54]) insigni atque fama satis florebant usque ad Romanorum aetatem. Troezen autem non nisi a Charace, saeculi p. Ch. n. secundi vel tertii scriptore ut Massiliae in Italia statio recensetur, neque, ubi fuerit, accuratius indicatur.[55]) Tamen in Liguria Italica eam sitam esse inde concludas, quod vix credibile est, ultra Apenninum progredi Graecis licuisse per Etruscos, qui usque ad quartum a. Ch. saeculum praepotentes erant per haec aequora. Postea autem destitutam a Massiliensibus esse hanc stationem inde apparet, quod Strabo (4, 202) Monoecum pro extremo Massiliae portu recenset.[56]) Deinde ad tutandum mare Ligusticum, quod piratae Ligures infestabant, omnium primum insulas illas littori Ligustico oppositas occuparunt, quae apud Graecos sunt Stoechades, Planasia, Leron[57]), apud nos *îles d'Hyères* et *îles de Léron;* praeterea autem ubicunque per illam oram, quae inter inculta pleraque et petrosa hic et illic amoenissima et fertilissima loca ostendit,

54) Strabo 3, p. 159 sq.: *αὐτὸ δ'* (sc. *Ἐμπόριον*) *ἐστὶ Μασσαλιωτῶν κτίσμα ὅσον διακοσίους* (? codd. *τετρακισχιλίους*; cfr. Kramer ad hunc locum) *διέχον τῆς Πυρήνης σταδίους καὶ τῶν μεθορίων τῆς Ἰβηρίας πρὸς τὴν Κελτικήν· καὶ αὕτη δ' ἐστὶ πᾶσα ἀγαθὴ καὶ εὐλίμενος.* cfr. quae idem Strabo paullo inferius dicit de divisione urbis inter indigenas et Graecos ac supra n. 48.

55) Steph. Byz.: *Τροιζήν ἔστι καὶ ἄλλη Τροιζὴν ἐν Μασσαλίᾳ τῆς Ἰταλίας, ἣν Χάραξ Τροιζηνίδα χώραν φησί.* Uckert legi vult: *τῆς Μασσαλίας ἐν Ἰταλίᾳ*, id quod probatur loco Eustathii ad Iliad. 2, 561 (p. 287, 12) *ἔστι δὲ καὶ ἑτέρα Τροιζὴν ἐν Ἰταλίᾳ Μασσαλιωτική.* cfr. Müll., frg. hist. graec. 3, p. 645.

56) Strabo 4, p. 202: *ὁ δὲ τοῦ Μονοίκου λιμὴν ὅρμος ἐστὶν οὐ μεγάλαις οὐδὲ πολλαῖς ναυσίν, ἔχων ἱερὸν Ἡρακλέους Μονοίκου καλουμένου· ἔοικε δὲ ἀπὸ τοῦ ὀνόματος καὶ μέχρι δεῦρο διατείνειν ὁ Μασσαλιωτικὸς παράπλους· διέχει δ' Ἀντιπόλεως μικρῷ πλείους ἢ διακοσίους σταδίους.*

57) Strabo 4, p. 184: *Πρόκεινται δὲ τῶν στενῶν τούτων ἀπὸ Μασ-*

portus aliquis et terra colonis idonea erat, ibi constituebant stationem et vineam oleamque serebant.[58]) Atque quam mature vineam in illam regionem introduxerint, inde concluseris, quod, ut supra vidimus, Hecataei iam aetate oppidum erat in ora Ligustina nomine *Ἄμπελος*, quod Massiliensibus tantum potest attribui. Sunt autem eiusmodi stationes, ut ab occidente incipiamus, portus Herculis Monoeci, Nicaea, Antipolis, Athenopolis, Olbia, Tauroeis, Citharista, fortasse etiam portus Heraclea Caccabaria Porbaria.[59]) A dextra deinde Rhodani ad ipsa fluminis ostia sitam fuisse Rhodanusiam nomen indicat; praeterea vero in hac parte locorum natura ferebat, ut rariores essent stationes. Neque enim tantum littus per hunc tractum sterile est et condendis oppidis parum commodum, sed etiam portus rari sunt atque Narbo et Ceitarum et Graecorum in hac parte commercio prope solus sufficiebat. Itaque praeter Emporias unam tantum Massiliensium coloniam ibi invenimus, Agatham[60]),

---

σαλίας ἀρξαμένοις αἱ Στοιχάδες νῆσοι, τρεῖς μὲν ἀξιόλογοι, δύο δὲ μικραί· γεωργοῦσι δ' αὐτὰς Μασσαλιῶται· τὸ δὲ παλαιὸν καὶ φρουρὰν εἶχον ἱδρυμένην αὐτόθι πρὸς τὰς τῶν ληστηρίων ἐφόδους εὐποροῦντες καὶ λιμένων· μετὰ δὲ τὰς Στοιχάδας ἡ Πλανασία καὶ Λήρων ἔχουσι κατοικίας. cfr. Plin. hist. nat. 3, 11.

58) Strabo 4, 179: *χώραν δ' ἔχουσιν ἐλαιόφυτον μὲν καὶ κατάμπελον, σίτῳ δὲ λυπροτέραν διὰ τὴν τραχύτητα.*

59) Citharista a Caesare quidem (bell. civ. 2, 4) dicitur castellum Massiliensium, a Stephano autem *πόλις Κελτικὴ Μασσαλιητῶν ἄποικος*, a Plinio hist. n. 3, 5 simpliciter portus. Eodem loco Plinius Athenopolim commemorat, quam item recenset Mela 2, 5. Reliquas colonias nominat Strabo IV. p. 184. Portus Heraclea Caccabaria et ex Itinerario Antonini maritimo p. 505 notus est et, ut videtur, ex Plinio, qui dicit hist. nat. 3, 5: *sunt auctores, et Heracleam oppidum in ostio Rhodani fuisse.* Num eandem Stephanus quoque (s. v. *Ἡράκλεια τῆς Κελτικῆς*) commemoret, ut conicit Uckert, Geogr. d. Griech. u. Roem. 2, 2, 418, prorsus incertum est. Ex quibus locis quae hodie dicuntur *Monaco, Nizza, Antibes, Tarente,* ad hunc usque diem nomen retinuerunt, fortasse etiam Olbia et Citharista, si quidem vere collocantur in locis hodiernis *Eoubes* et *Ceireste*. Athenopolim et Heracleam variis locis quaerunt inter sinus, qui dicuntur *golfe de Napoule* et *golfe de Grimaud.* cfr. Uckert 2, 2, 427—429.

60) Steph. Byz.: *Ἀγάθη πόλις Λιγύων ἢ Κελτῶν. Σκύμνος δὲ Φωκαέων αὐτήν φησιν ἐν τῇ Εὐρώπῃ.* Plin. h. n. 3, 5: *Agatha, quon-*

quae sita in prominenti littore cum insula Blascone (*Brescou*) ad tuendam ibi navigatorum securitatem constituta est. Qui vero in ipsis confiniis Hispaniae et Galliae situs erat portus Veneris (*Port Vendres*), cuius Graecum nomen apud Stephanum est *Ἀφροδισιάς*[61]), oppidi sive stationis instar non videtur esse constitutus, sed pro refugio potius fuisse navigantibus. Emporitanorum autem per hanc orae partem opes auctae aliquantum sunt, cum Rhodam finitimam sive ipsi sive Massilienses cum iis in suarum coloniarum numerum reciperent, novis haud dubie colonis eam firmantes.[62]) Denique Massiliensium stationibus adnumeranda sunt loca sedis incertae Azania et Cyrene, quae a Stephano Byzantino recensentur.[63])

Quo modo dum Massilienses universo littore, quod a Pyrenaeo ad Alpium radices tendit, ad commercii sui usum potiuntur, Celtae oculos longe alio converterant et perpetua vagandi cupidine ex sedibus suis excitati perruptis Alpium claustris per complura saecula non desierant descendere in Italiam. Ut omittamus longinquas Gallorum expeditiones, quibus in Graeciam et Asiam minorem perducti sunt, inde ex eo tempore, quo primum Livius Bellovesum in regionem Transpadanam irrupisse tradit[64]), usque ad ann. a. Ch. n. 179 annales rerum Romanarum non desinunt tradere de Transalpinorum in Italiam expeditionibus, sive acciti erant a Celtis circa Padi ripas considentibus sive ultro bella praedamque quaesituri exierunt.[64a]) Ita illa Senonum, qui sedes cis Alpes sibi quaerentes ultra Padum progressi erant, contra Clusium expeditio, qua usque ad delendam Romam pervenisse eos constat, nihil erat nisi finis ingentis illius motus, qui a fabuloso Bellovesi illo itinere incipiens usque ad quartum a. Ch. saeculum eo successu est continuatus, ut quidquid inter Alpes et Apenninum interest, tum Galliae adiceretur. Postea

---

dam Massiliensium. Idem 3, 11 et Strabo 3 p. 181 nominant insulam Blasconem.

61) Steph. Byz.: *Ἀφροδισιὰς πόλις Ἰβηρίας πρὸς τοῖς Κελτοῖς.*

62) Cfr. supra not. 40. 43.

63) Steph.: *Ἀζανία — ἔστι καὶ Μασσαλίας ἄλλη, ὡς Φίλων. — Κυρήνη — ἔστι καὶ Ἰβηρίας καὶ Μασσαλίας ἄλλη.*

64) Liv. 5, 34. cfr. supra not. 36.

64a) De priori Celtarum historia cfr. Polyb. 2, 15 sqq.

autem Romanis contigit quidem, ut a regione saltem cis Apenninum sita Gallos, quoties eo progredi conarentur, repellerent, sed priusquam non ipsi ad Alpes accesserant, expeditionibus illis Gallicis, quae a Cisalpinis vocatae identidem movebantur, finem imponere non potuerant. Ita efferatam illam gentem, quae, cum anno a. Ch. 299 ab Etruscis Romae bellum illaturis acciretur, agri partem ab Etruscis petiit, ut tandem aliqua certa sede consisteret, Transalpinam fuisse dicit Polybius[65]), neque minus ad id bellum, quod inde ab a. 238 Boii Cisalpini cum Romanis habuerunt, Transalpinos ab illis auxilio vocatos esse, Livius et Polybius diserte tradunt.[66]) Quarum in Italiam expeditionum eas quoque civitates participes fuisse, quae in meridionali Gallia sedes habuerunt, non solum facile potest conici, sed etiam aperte traditur. Nam et Plutarchus dicit, eas Celtarum gentes, quae Italiam postea invaserint, diu inter Pyrenaeos et Alpes habitasse, et Plinius refert, Cenomanos, qui postea circa Cremonam et Brixiam consederunt, Catone auctore olim in Volcis iuxta Massiliam habitasse.[67]) Qui autem inter Bellovesi exercitus partes a Livio recensentur Bituriges, Arverni, Aedui cum circa Cebennam montem sedes haberent, haud dubie meridionalis quoque Galliae gentes, quas in clientela habebant, secum duxerunt. — Verum hae inter Transalpinos et Italiam rationes prorsus mutatae sunt post bellum Hannibalis: quamquam enim non eo perducti sunt Transalpini, ut ipsi cum Romanis confligerent, tamen summi ad omnes Gallicas nationes momenti erat eius belli exitus, quoniam, ut iam inter primum et secundum cum Carthaginiensibus bellum superior esse coeperat Romanorum trans Padum res, ita victo Hannibale Romani cum ab una parte usque ad Alpes progressi essent, ab altera Hispaniam omnem suae ditionis fecissent, iam clausos tenebant fines Transalpinorum, neque iam is erat rerum status, ut Gallorum in Italiam, sed ut Romanorum potius in Galliam imminerent expeditiones. At tum quidem de traiciendis Alpibus, priusquam Transpadana Gallia prorsus pacata

65) Liv. 10, 10. Polyb. 2, 19.
66) Liv. epit. 20. Polyb. 2, 21. cfr. Mommsen, R. G. 1, 528.
67) Plutarch. Camill. 16. Plinius h. n. 3, 23.

esset, Romani non cogitabant, sed eo magis summo rigore insistebant, ut Italia iam denegata esset Gallicis gregibus. Atque ita iam fractus esse videtur Transalpinorum in Italiam impetus, ut non amplius belli inferendi, sed pacatas tantum sedes quaerendi caussa quaedam gentes Alpes transgredi conarentur, tam demissa mente, ut veniam conatus peterent a Romanis. At ne hoc quidem iis concessum est; nam duos eiusmodi conatus a. 186 et 179 factos Romani ita repulerunt, ut ipsi trans Alpes de ea re mitterent rationem petituri a principibus earum civitatum auctoribusque eiusmodi consiliorum.[68])

Qua ratione factum est, ut Celtae quoque, sicut Massilienses, ad certos quosdam fines reducti cogerentur, circumscriptas suas sedes pace colere et ad proxima quaeque potius oculos convertere quam ad expeditiones externas. Iam vero cum iis, qui tam late hucusque vagati erant, intra fines admodum angustos quaerendum esset, quo quisque modo commode consideret, perpetua bella inter eos fuisse coniceres. Quod minime videtur accidisse: immo cum neque Massilienses mediterranea Galliae occupare tenderent, neque Celtae maritima usurparent commercia, factum est, ut mutua inter Graecos et Gallos pax non turbaretur atque quo quaeque Gallica gens propior erat Massiliae, eo magis speciem saltem quandam Graeci moris assumeret. Nos vero cum adhuc descripserimus, quo modo utraque natio sedes suas invenerit, eo iam progrediemur, ut exponamus, quae utriusque fuerit condicio et quas habuerint inter se commercii rationes, hoc modo imaginem daturi Galliae meridionalis, qualis fuerit a peracto fere secundo bello Punico usque ad Romanorum in hac regione adventum.

Atque, ut incipiamus a Graecis, omnium primum communem Graecarum coloniarum rationem et consuetudinem hic quoque invenimus. Graeci enim sicut nusquam ita colonias condiderunt, ut territoriis occupandis et regnis constituendis inservirent, ita ne publica quidem instituta sua cum aliis quam cum Graecis communicare unquam studuerunt. Itaque Massilienses tenebant quidem omnes illas quae a Massilia originem ceperant colonias Graecas arctissime sibi iunctas habebantque barbaros

68) Liv. 39, 22. 54 sq. 40, 53. Mommsen, R. G. 1, 643.

finitimos sive Ligures sive Gallos ita sibi obnoxios, ut Massiliae vel arma metuerent vel amicitiam foedusque libenter colerent, sed neque colonos omnes pro subditis vel agrum eorum pro integra territorii sui parte habebant, neque barbaris certam quandam reipublicae formam censebant imponendam. Namque etiamsi minores ex illis stationibus, sive commercii emporia erant sive castella ad arcendos barbaros constituta, non verisimile est propriam et secretam a Massiliensibus rempublicam habuisse, tamen Emporiae, quae maxima Massiliensium colonia erat, et Rhoda atque Agatha internas res proprio iure videntur administrasse neque alio modo urbi, cui originem debebant, esse astrictae, quam ut comiter eam observarent. Nam cum de Emporiis Livius dicat, Graecos eius urbis incolas sub umbra Romanae amicitiae latuisse eamque sicut minoribus viribus quam Massilienses ita pari fide coluisse[69]), aperte Emporitanis externas amicitias colendi tribuit consilia a Massiliensibus libera, eoque magis concludendum est, internas res suo arbitrio administrare iis licuisse. Quod confirmatur testimonio nummorum: videmus Emporias Rhodamque nummis uti, qui non solum proprio iure et nomine sed etiam notis diversis et inter se et a Massiliensium notis signabantur, pondus autem habebant aequum inter se, diversum a Massiliensibus.[70]) Deinde qui per Pyrenaeos montes et Aquitaniam frequentes inveniuntur nummi a barbaris signati non ad Massiliensium sed ad Emporitanorum exempla formati sunt[71]), unde concludas, proprium suum ut ita dicam territorium habuisse illas in Hispania colonias, ubi quasi privilegio quodam Massilienses interioris commercii fructum iis concesserint, quo territorio continebantur non solum Celtiberi, Pyrenaeorum incolae, Aquitani, sed etiam Galliae quae postea Narbonensis fuit pars occidentalis, quippe cum illi nummi satis frequentes inveniantur prope Tolosam[72]); atque quod ad oppidum Lutevam (*Lodève, dép. de l'Hérault*) repertus est thesaurus nummorum

69) Liv. 34, 9.

70) Nummos Emporiarum habes Mionnet, descr. des médailles grecques et romaines 1, 41. 43. Rhodae 1, 48. 7, planche LXIII. 1.

71) Mommsen, Gesch. des roem. Münzwesens p. 678.

72) Mommsen l. l. p. 678. n. 49.

notae Hispanicae, ponderis Massiliensis [73]), ibi fere terminos ponas, apud quos Massilienses ab una, Emporitanorum et Rhodiorum ab altera parte commercium erat contiguum. Contra Agatha colonia nummos concessos habebat nominis quidem proprii, ponderis autem et notae Massiliensis. [73a]) Reliquae vero Massiliensium coloniae maritimae omnino nullos habuisse videntur nummos; nam qui extant Antipolitanorum nummi aenei, sub Romanorum ditione signati sunt. [74]) Unde apparet, omnes illos per mare Ligusticum colonias stationes potius fuisse commercii ab ipsis Massiliensibus cum barbaris faciendi, quam oppida suis viribus nitentia sive eas re vera pro partibus fuisse territorii Massiliensis. — Quae Graecarum urbium inter se libertas, ut nequaquam obstitit, quominus coloniae religiosa quadam pietate metropolim colerent, ita magnopere contribuit ad propagandum per omnes maris interni oras Graecorum nomen. Quod vero barbaris Graeci libertatem non invidebant, id ad commercii quidem usum multo commodius erat, verum, ut humaniora instituta in naturam verterent barbaris, illa Graecorum ratione non potuit perfici. At ipsa Massiliensium civitas quam bene sit administrata, quam sapienter et reipublicae gubernaculum et morum privatorum regimen ibi sit institutum, Graeci aeque ac Romani scriptores summis laudibus illustrant. [75]) Divisa enim erat universa civitas in duas partes, quarum una quidquid honoris erat in republica usurpabat, altera mera tantum civitate gaudebat. Et illi quidem, qui timuchi appellabantur, numero semper definito sexcenti erant senatumque hac lege constituebant, ut qui senatores essent, per omnem vitam eam dignitatem retinerent, eligerentur autem neque

73) Mommsen l. l. p. 678 n. 49.

73a) Si quidem recte De la Saussaye quos p. 90 sq. recenset nummos Agathae tribuit. Quod vero Mionnet 1, p. 78. n. 194 sq. Rhodanusiae quoque attribuerat nummos, id t. 7 p. 66 ipse correxit.

74) De la Saussaye p. 110—113.

75) Massiliensium remp. constat proprio libro descriptam esse ab Aristotele; cuius cum non nisi fragmenta quaedam extent a posterioris aetatis scriptoribus servata, instituta illius urbis repetas necesse est praesertim ex Strabone 4 p. 179. Arist. Polit. 5, 5. 6, 4. Valer. Max. 2, 6, 7—9. Cicerone de rep. 1, 27 sq. pro Flacco 26, 63, quibus singularia quaedam ex aliis scriptoribus excerpenda accedunt. Praeterea cfr. supra not. 37.

libero populi suffragio, neque ex iisdem semper familiis, sed ita, ut quotiescunque supplendus erat numerus, dignissimus quisque tam ex senatorum, qui tum erant, familiis quam ex iis municipibus, qui patrem avumque ingenuos civesque habuerant, cooptaretur. Praeterea ne nimis magna esset optimatium potentia, instituerant, ne patri filioque neve duobus fratribus simul liceret timuchis esse. Senatus deinde sibi quidem summam reipublicae retinebat, expedienda autem quae quoque die exequenda erant negotia publica mandabat quindecimviris, sive quindecim primis, cum quibus ex. gr. Caesar priusquam obsidionem urbis susciperet, de pace et amicitia se egisse dicit.[75a]) Ex quindecimviris autem eligebantur triumviri gerendis rebus maioribus, inter triumviros denique unus eminebat, penes quem summus in civitate honos esset. Qui honores utrum perpetui an certo tempore definiti fuerint, Strabo memoriae non tradidit. Leges autem, quibus administrabatur respublica, Strabo dicit communes urbium Ionicarum, easque publice omnium oculis esse propositas, de quibus legibus haud dubie in Aristotelis libro deperdito longius agebatur. His addas, quod Valerius Maximus singulares quosdam Massiliensium mores memoriae tradens laudat in iis disciplinae gravitatem, prisci moris observantiam, studium vel in minimis rebus omnia antiquae consuetudinis momenta servandi, atque insigne habes exemplum civitatis, in qua optimatium dominatus ut sapienter temperatus ita firma et constanti manu reipublicae gubernaculum tenens nec facile novans instituta publica longius quam alibi parem se ostendit rebus gerendis. Quae universae administrationis sapientia cum a veteribus scriptoribus satis laudaretur, de singulis institutis varia sunt eorum iudicia, itaque Aristoteles quidem id potissimum sapienter institutum censet, quod plebeiis, qui suffragii iure carerent, ius tamen honorum non esset denegatum ideoque sapienter cautum, ne senatus auctoritas in factiosam familiarum quarundam dominationem verteret, Cicero autem, quamquam non negat, summa iustitia a delectis illis principibus rempublicam esse rectam, et omnem civitatem magnis laudibus effert, tamen in ea condicione, in qua plebs erat Massiliensium, iudicat inesse similitudinem quandam

75a) Caes. de b. c. 1, 35.

servitutis. Verum mira haec in Ionica civitate constantia et veterum institutorum tenacitas fortasse aeque atque in legum virtute et principum sapientia posita erat in externa civitatis illius condicione: Romanorum libera respublica ideo potissimum debuit everti, quod ea reipublicae forma, quae non nisi ad unius urbis administrationem erat conformata, non iam suffecit regendo orbi terrarum; Massiliae vero habes civitatem, quae intra modicum externi successus cursum retenta et ad certos quosdam neque vero nimis angustos fines redacta per quinque fere saecula contenta erat fines illos anxie tueri, quidquid fructus inde exigendum esset, exigere, maritima commercia foederibus potius quam longinquis expeditionibus augere, reliqua, quae non ipsius reipublicae interessent, privatae mercatorum suorum industriae, quae in remotissima terrarum Pytheam perduxit et Euthymenem, permittere. Quo modo factum est, ut per omne illud tempus, quo per Italiam et Hispaniam terra marique de summa rerum inter Romanos et Carthaginienses certaretur, media inter dimicantium arma in extremo illo maris interni sinu quasi in tutissimo portu pace ac tranquillitate gauderet Massilia atque intacta et aucta potius quam imminuta ex illo periculo exiret. Ab hac inquam externa reipublicae condicione, quae aeque civium vires strenue exercebat atque opes modice augebat, tamquam a fonte repetas internos illos optimatium Massiliensium successus, quibus effectum est, ut haec respublica numquam civilibus turbis exercita usque ad eam aetatem, qua superioribus Romanorum armis succubuit, nulla labentis disciplinae indicia exteris proderet.

Cuius urbis moenia ubi egressus eris, statim animadvertes, quam exiguo territorio moenibus contiguo Massilienses fuerint contenti. Diximus supra, non fuisse Graecorum, mediterraneas regiones occupare, sed haec colonia ne suburbicariam quidem regionem latiorem sibi vindicavit. Namque orientem versus a primis inde montibus, qui non longe aberant a Massilia, considebat gens Salyum sive Salluviorum[76]), quam liberam a Massiliensium imperio fuisse docent bella illa, quae postea cum Romanis, Massiliensium foederatis, gesserunt. Occidentem vero et

76) De variis huius nominis apud Graecos Romanosque scriptores formis cfr. Ukert, Geogr. 2, 2, 293. 295.

septentrionem versus incidimus in Volcas, quos Livius[77]) Hannibalis aetate ad utramque ripam Rhodani inferioris dicit habitasse; cum autem ne Massilia quidem longe abesset a Rhodano, si plana quae intererant inter flumen et urbem, divisa erant inter Volcas et Massilienses, horum partem admodum apparet fuisse angustam. Contra septentrionem versus si Stephanum[78]) confers, duo invenis fuisse Massiliensium oppida, Aveniouem et Cabellionem, ex quibus illa sita est ad confluentes Rhodani et Druentiae, haec in dextra Druentiae ripa non longe remota a confluentibus illis sive ab Avenione. Desumpsit quidem Stephanus, quae de Cabellione refert, ex Artemidoro Ephesio, cuius aetate Romani iam constiterunt in illa regione, ut indicare possis, Romanorum tantum beneficio loca illa Massiliensium fuisse, sicut alias regiones mediterraneas beneficio Romanorum postea acceperunt. At et verisimilius est, ex antiquioribus scriptoribus ipsum Artemidorum sua repetivisse et horum oppidorum situm si consideras, facile tibi persuaseris, iam ante Romanorum adventum illas stationes a Massiliensibus solide esse occupatas. Neque enim solum opus iis erat quibusdam locis, quo emendi vendendique caussa convenirent cum barbaris quae per radices Alpium degebant civitatibus, sed etiam ad tutandam Rhodani et Druentiae navigationem praesidiis quibusdam indigebant, quibus Ligures famosos rapacitate domarent. Ad utrumque usum aptissima erat Avenio, ut quae et sita esset ad confluentes Rhodani Druentiaeque in colle utrique flumini imminente atque ad construendum castellum maxime idoneo et simul omnibus civitatibus Gallicis, quae accolebant rivos ab Alpibus in Druentiam et Rhodanum defluentes *Calavon*, *Sorgues*, *Ouvèze* aliosque, commodissimum esset forum. Cabellio autem, quae sub Romanis quoque nautarum Druenticorum statio erat, tuendae Druentiae navigationi optime inserviebat. Uterque denique locus haud ita longe remotus ab ipsa Massilia ut facile auxilium a colonia petere poterat, ita et ipse praesidio erat ca-

---

77) Liv. 21, 26.

78) Steph.: *Αὐενίων, πόλις Μασσαλίας πρὸς τῷ Ῥοδανῷ. — Καβελλιών, πόλις Μασσαλίας. Ἀρτεμίδωρος ἐν πρώτῃ γεωγραφουμένων.*

piti. Utebantur igitur Massilienses his mediterraneis stationibus prorsus eodem modo atque coloniis illis littori adiacentibus, quae et commercii caussa et ad arcendas Ligurum rapinas erant dispositae. Quo autem iure haec oppida erga Massiliam fuerint, de eo infra erit quod dicamus.

Iam vero si ad ipsas gentes barbaras pergimus, incipientes a Salluviis, cum quibus primis res fuerat Phocaeensibus, invenimus Ligures eos appellari a Plinio, Gallos a Livio, Celtoligures ab aliis[79]), atque suo quisque iure diversis nationibus hanc gentem tribuit. Erant enim origine Ligures, deinde cum Celtae usque ad montium quos illi tenebant radices progressi essent, montes quidem sibi servabant, neque vero fieri potuit, quin duae gentes moribus haud magnopere differentes paullatim inter se miscerentur, sicut a parte opposita iidem Celtae mixti sunt cum Iberibus; erant autem hi Celtae illi, quos Volcas dici vidimus a Livio.[79a]) — Porro cum Salluvii interiorem magis terram tenerent occupatam, orae et Massiliensium coloniis maritimis supersedebant Oxybii et Deciates, quos item Ligures dicit Plinius eosque praeter Salluvios celeberrimos eorum Ligurum, qui ultra Alpes consederint. Celebres autem erant cum strenua armorum consuetudine tum maxime rapinis, quas terra marique ita exercebant, ut non solum Gallicum sinum sed remotiora quoque maria infestarent. Qui vero eorum in montibus se tenebant, eos duram tristemque vitam egisse referunt Diodorus et

---

79) Plinius 3, 7: *Ligurum celeberrimi ultra Alpes Salluvii, Deciates, Oxybii.* Liv. epit. 60: *M. Fulvius Flaccus primus Transalpinos Ligures bello domuit, missus in auxilium Massiliensibus adversus Salluvios Gallos, qui fines Massiliensium populabantur.* Strabo IV. p. 204: τοὐντεῦθεν (sc. ἀπ' Ἀντιπόλεως) δ' ἤδη μέχρι Μασσαλίας καὶ μικρὸν προσωτέρω τὸ τῶν Σαλύων ἔθνος οἰκεῖ τὰς Ἄλπεις τὰς ὑπερκειμένας καί τινας τῆς αὐτῆς παραλίας ἀναμὶξ τοῖς Ἕλλησι. καλοῦσι δὲ τοὺς Σάλυας οἱ μὲν παλαιοὶ τῶν Ἑλλήνων Λίγυας καὶ τὴν χώραν, ἣν ἔχουσιν οἱ Μασσαλιῶται, Λιγυστικήν, οἱ δ' ὕστερον Κελτολίγυας ὀνομάζουσι, καὶ τὴν μέχρι Λουερίωνος (sic codd.; *Δρουεντίας D'Anville. Λουενίωνος Mannert*) καὶ τοῦ Ῥοδανοῦ πεδιάδα τούτοις προςνέμουσιν, ἀφ' ἧς οὐ πεζὴν μόνον, ἀλλὰ καὶ ἱππικὴν ἔστελλον στρατιὰν εἰς δέκα μέρη διῃρημένοι.

79a) Not. 77.

Strabo[80]), occupatos sive laborando agrorum sterili solo sive caedendis arboribus, ex quibus quamquam ad maritimos usus aptissimae erant, ipsi tamen parum fructus caperent. Praeterea per vilissimas habitationes dispersi neque in oppidis habitabant neque omnino civilium institutorum erant participes nec nisi belland caussa quaedam habebant communia. Commemorat quidem Polybius[80a]) oppidum Aegitnam Oxybiorum situm prope fluvium Apionem, at iam inde, quod Romanorum tempore nusquam repetitur hoc nomen, videas nihil aliud quam vicum apertum eum fuisse. Aeque oppidum Deciatium, quod inter Antipolim et Nicaeam fuisse dicit Mela[80b]), a nullo alio commemoratur et Romanorum quoque aetate nonnisi pro vico contributo videtur fuisse.

A Ligurum deinde finibus, quorum quae ultra Varum habitabant tribus recensere nostrum non est, si traiecto fluvio, qui hodie est *Verdon*, septentrionem versus progrederis, quantum quidem memoriae proditum est, Gallica omnia sunt, neque tamen ante Romanorum in ea regione adventum describi potest, quomodo singularum gentium, quae inter Druentiam et Rhodanum regionem illam fluviis montibusque divisam occuparant, fines accurate sint distinguendi. Livius quidem iam Bellovesi iter describens Tricastinorum nomen commemorat, Hannibalem vero per Allobroges, Tricastinos, Vocontios, Tricorios proficiscentem facit[81]), contra Polybius non nisi Allobroges cognovit eosque divisos sub compluribus principibus.[82]) Manifestum autem est, apud Polybium potius quam apud Livium, qui suae tantum aetatis statum descripsit, inveniri, quae ante Romanorum expeditiones extra ipsam Galliam inclaruerint Celticae gentes, neque temere pro certo potest admitti, eodem loco quo postea gentes illas iam Hannibalis aetate consedisse, immo si quae Polybius de Hannibalis per Allobrogum fines itinere affert, sequeris, suspi-

80) Strabo 4 p. 202. Diod. Sic. 5, 39.

80a) Polyb. 33, 4.

80b) Mela 2, 5 extr.: *Nicaea tangit Alpes, tangit oppidum Deciatium, tangit Antipolis.*

81) Liv. 21, 31.

82) Polyb. 3, 50: *ἕως μὲν γὰρ ἐν τοῖς ἐπιπέδοις ἦσαν, ἀπείχοντο πάντες αὐτῶν οἱ κατὰ μέρος ἡγεμόνες τῶν Ἀλλοβρίγων.*

cari possis, Allobroges, qui postea ultra Isaram habitabant, tum non solum in dextra, sed a sinistra quoque Isarae ripa sedes habuisse.[83] Allobroges utique inter illius regionis gentes Gallicas longe tum celeberrimos fuisse, inde quoque apparet, quod etiam apud Apollodorum Atheniensem, qui iam Romanae dominationis initia vidit, Allobroges solos invenisse videtur Stephanus.[84] Contra apud eundem Apollodorum incipit commemorari Aëria urbs, quam cum Strabo appellet urbem Cavarum, qui inter Druentiam et Isaram considebant, Artemidorus autem altam dicat et aëri expositam[85]), qui regionis illius gnari sunt, omnes prope Rhodanum colles et quidquid montium inter Druentiam et Isaram est perquisiverunt, ubi oppidum illud commode collocarent, sed suum quisque locum invenit.[86] Id tantum videtur posse concludi, prope Rhodanum illud oppidum situm esse, quia facilius inde explicaveris, cur ex oppidis mediterraneis solum hoc latius inclaruerit. — Iam vero si descenderis de montibus Subalpinis meridiem occidentemque versus, pervenies in plana, quae Rhodanum inferiorem ab utraque parte circumdant, sive in regionem Volcarum. At neque Volcarum in duas partes, Arecomicos et Tectosages, divisio neque aliud ullum nomen gentis Celticae trans Rhodanum habitantis ante Romanorum imperium nobis traditur. Nam Livius de Ruscinone quidem dicit et Illiberi, dicit etiam de compluribus regulis Gallorum circa radices Pyrenaei habitantium, gentium tamen nomina praeter Volcas nulla habet; Polybius autem Ruscinonem quidem et Illiberim et ipse novit, sed ubi Hannibalis expeditionem describit, ne Volcas quidem nominat satis habens referre, eorum Celtarum, qui inter Pyrenaeos et Rhodanum habitarint, Hannibalem

---

83) Cfr. Uckert 2, 2, 590 sq.

84) Steph.: *Ἀλλόβρυγες, ἔθνος δυνατώτατον Γαλατικόν, ὡς Ἀπολλόδωρος.*

85) Steph.: *Ἀερία — ἔστι καὶ Κελτικὴ πόλις Ἀερία, ὡς Ἀπολλόδωρος ἐν Χρονικῶν τετάρτῳ.* Strabo 4 p. 185: *εἰσὶ δὲ ἐν τῷ μεταξὺ πόλεις καὶ Αὐενιὼν καὶ Ἀραυσίων καὶ Ἀερία, τῷ ὄντι φησὶν Ἀρτεμίδωρος ἀερία διὰ τὸ ἐφ' ὕψους ἱδρῦσθαι μεγάλου.*

86) Iis, quos citat Uckert 2, 2, 442 n. 1 adde Délacroix, Statist. du dép. de la Drôme p. 10 sq., qui Aeriam fuisse vult prope *Château neuf calcernier*, inter Arausionem et Avenionem.

alios vi, pecunia alios obnoxios sibi reddidisse.[87]) Quam inter Cebennam, Rhodanum, oram et Pyrenaeum regionem tam ignotam fuisse iisdem scriptoribus, qui, ut Polybius et Apollodorus, Aeduos, Arvernos, alias mediterraneae Galliae gentes cognoverant[88]), facile explicaveris, si quae tum commercii ratio in illa regione fuerit, perpenderis. Supra vidimus, divisam eam fuisse in duas partes, ex quibus una Graecis in Hispania coloniis obnoxia erat, altera Massiliensibus; quo factum est, ut iter continuum quo mercatores tum ab Alpibus ad Pyrenaeos commearent, non extaret; qui vero ex Italia in Hispaniam proficiscebantur, navibus ibant, quin Romani quoque, postquam provincia facta est Hispania, per mare semper eo se conferebant. Praeterea ne mercatores quidem Massilienses per singula Gallorum oppida commeabant, sed satis habebant, Narbone, quae ipsi apportarant, vendere, quae Galli, emere. Nihilo vero minus dummodo ad supplenda rara scriptorum testimonia nummos auxilio vocemus, non omni caremus de illius aetatis Gallia meridionali notitia. Atque ut inverso ordine a Pyrenaeis iam incipiamus, mitto primum incertos illos Longostaletorum nummos, qui, reperti prope Tolosam, et Graecis litteris inscripti sunt et Celtibericis adhuc non explicatis, pro nota autem habent caput Mercurii[89]), mitto quoque incertiores etiam nummos Libicorum Massiliensibus quidem notis litteris autem Celtibericis insignes, de quibus ne id quidem constat, ubi reperti sint[90]); insisto potius in ea Volcarum parte, quae Massiliensibus erat obnoxia. Et universae quidem Volcarum gentis nummi qui ante Romanorum aetatem signati sint, non extant; nam quos habemus Volcarum Arecomicorum nummos, ii latinis litteris sunt inscripti.[91]) At

87) Polyb. 34, 10 Beck. (= Athen. p. 332, A). *Πολύβιος ἐν τῇ τετάρτῃ καὶ τριακοστῇ τῶν ἱστοριῶν μετὰ τὴν Πυρήνην φησὶν ἕως τοῦ Νάρβωνος ποταμοῦ πεδίον εἶναι, δι' οὗ φέρεσθαι ποταμοὺς Ἰλλίβεριν καὶ Ῥόσκυνον, ῥέοντας παρὰ πόλεις ὁμωνύμους κατοικουμένας ὑπὸ Κελτῶν.* 3, 41. *Ἀννίβας δὲ παραδόξως τοὺς μὲν χρήμασι πείσας τῶν Κελτῶν τοὺς δὲ βιασάμενος ἧκε μετὰ τῶν δυνάμεων δεξιὸν ἔχων τὸ Σαρδόνιον πέλαγος ἐπὶ τὴν τοῦ Ῥοδανοῦ διάβασιν.*

88) Cfr. Forbiger, Alte Geogr. 1, 214. 240 sq.

89) De la Saussaye p. 186—192.

90) Ibid. p. 92—95.

91) Ibid. p. 148 sq.

emergit ex communi Volcarum nomine oppidum Baeterrae, ad quod pertinent nummi illi aenei, quos BHTAPPATIC vocabulo inscriptos exhibent Mionnet et De la Saussaye.[92]) Sed fortasse ex eo ipso, quod alios huius aetatis nummos barbaros in ea regione non novimus, liceat concludere, quidquid nummorum commercii usus per illos tractus postulaverit, et ab ipsa Massilia et ab Agatha provenisse, ideoque Volcarum gentem arctius quam alias cum Massiliensibus esse coniunctas, si quidem arctissima duarum civitatum coniunctio ea est, ut altera alterius nummis utatur. Inde si transimus ad gentes Subalpinas Massiliae finitimas, apud Ligures quidem nummos invenimus omnino nullos, ut qui rudiores essent, quam qui eiusmodi morem reciperent; sed eae ipsae gentes Gallicae, quae prope ante portas Massiliae consederant, propriis nummis utebantur. Sunt autem eae gentes Glanici[93]), quorum civitas hodie est *St. Remy (dép. des Bouches du Rhône)*, Caenicenses[94]), qui prope fluvium Caenum sive *Arc* colebant, Avenio oppidum.[95]) Quorum nummos, qui a Baeterrensibus eo differunt, quod argentei sunt, ante Romanorum dominationem signatos esse inde conspexeris, quod excepta arte omnia in iis Graeca sunt ad Massiliensium exemplum formata. Inter quos Glanicos et Caenicenses manifestum est non magis quam Baeterrenses et Avenienses gentem aliquam singularem fuisse, sed singulorum oppidorum incolas; Avenienses autem supra vidimus in Massiliensium fuisse ditione. Quae si perpenderis, melius iam perspicias, qua ratione cum his civitatibus egerint Massilienses. Erant omnes quodam modo Massiliensibus obnoxiae, sed neque reliquis neque Aveniensibus, quamquam praesidium ibi videntur collocasse, quan-

92) Mionnet 1 p. 66. De la Sauss. p. 183 pl. XXII., qui in aversa parte leonem depictum videt. At imago admodum rudi arte confecta aeque taurum Massiliensem, qualem habes in huius urbis nummis De la Sauss. pl. VI. nn. 283 sqq., potest imitari. De origine dicit De la Sauss.: *Quelques antiquaires les ont attribuées aux rois de Galatie, mais une provenance bien constatée les a fait définitivement laisser à Béziers.* In uno ex iis nummis, ubi legis HTAPPATIS littera S Romanae dominationis initia videtur prodere.

93) De la Sauss. p. 96 pl. XIII.

94) Ibid. p. 103 pl. XIII.

95) Ibid. p. 137 pl. XVI.

dam libertatem Graeci invidebant eo conspicuam, quod proprio nomine nummos signare iis licebat. Prorsus libera vero condicione erant gentes illae Alpinae, quae eadem nummorum ratione utebantur, Rigomagenses et Segobii[96]), ex quibus illi inter Diniam (*Digne*) et civitatem Saliniensem (*Castellane*) videntur fuisse, hi, qui in celebri arcus Segusiani inscriptione nominantur[97]), in Cottiis Alpibus habitabant. Quae gentes, cum item Massiliensium nummos ita imitarentur, ut eorum signis et ponderi sua nomina adicerent, tamen, cum remotiores a Graeca urbe essent, nulla nisi commercii ratione poterant ei esse iunctae. Deinde quoniam eiusmodi nummi hodie quoque etiam extra Galliae meridionalis fines reperiuntur, per Rhodani cursum, per valles Alpinas usque ad regionem Tridentinam, in Italia denique secundum Padi ripas[98]), notant veterum mercatorum Massiliensium itinera eo memorabiliora, quia singularem quendam tractum sequuntur. Cum enim antiquissimae de quibus memoriae traditum est mercatorum viae non ab occidente ad orientem, sed a meridie sive ab ora maris interni septentrionem versus ad oram freti Gallici marisque Germanici ducerent, hi Massiliensium nummi orientem versus ferunt, ut videas, primos Massilienses quod medium interest inter maria Tyrrhenum et Adriaticum, mercandi caussa perquisivisse.

Reveniamus autem ad gentes illas in ipsa Gallia meridionali considentes atque videamus iam, qui eorum fuerit vitae cultus, quae civilia instituta, quae gerendae reipublicae ratio. Neque desunt nobis veterum scriptorum relationes de moribus Gallorum, atque quae Posidonius, citatus a Strabone et Athenaeo, Iulius Caesar, Diodorus Siculus, Strabo de hac re nobis tradiderunt, iis, qui nostra aetate Gallorum res[99]) scripserunt, satis amplam materiem praebuerunt ad delineandam huius gentis imaginem satis explicatam. Qui quae de omnium Gallorum in-

96) De la Sauss. p. 114 pl. XIV. (Rigomagenses). p. 121 pl. XIV. (Segobii).

97) Notitia provinc. Gall. (Dom Bouquet, Rer. Gall. script. I. p. 122 —124), ubi civitas Rigomagensium recensetur inter Diniam et Solliniam sive Saliniam. — Orelli 626.

98) Mommsen, Gesch. des roem. Münzwesens p. 397 sq.

99) Cfr. Thierry 2, 51 sqq. Uckert 22, 211 sqq. Mommsen, Roem. Gesch. 1, 298—300. 3, 212 sqq.

dole morumque disciplina, et vitae usu atque consuetudine nobis tradiderunt, latius repetere neque nostrum est neque ipsi rei esset consentaneum, quia ex quo Massiliensium commercia cum iis gentibus, quae cis Cebennam montem et circa Rhodanum considebant, inceperant, iam non omnia, quae de septentrionalibus Gallis tradita sunt, pertinent ad meridionales. Nam ea quidem, quae de generali Gallorum corporis habitu animique indole, de proceris validisque corporibus, de armorum gerendorum habilitate veteres scriptores afferunt, quae dicunt de bellica eorum fortitudine, de generoso quodam animi impetu ad magnas res ferente, de naturali quadam facundia et bonitate, de insigni in quibusdam artibus dexteritate, neque vero minus de eorundem levitate, inconstantia, vanitate, discordiarum amore etc., ea omnia Gallorum meridionalium non minus propria fuisse quam reliquorum, per se intellegitur: contra quae feritatis et prorsus barbari moris signa commemorata invenis, ea iam hac aetate ad meridionales Gallos non possunt referri. Ex altera autem parte ne nimis magni quidem aestimanda esse, quae de Graeci moris apud Gallos nitore narrat Trogus[100]), ex iis iam apparet, quae supra de Graecarum coloniarum ratione cum indigenis agendi diximus, et in iis praesertim rebus, quae ad constituendas respublicas pertinent, nullius prope momenti erat Graecorum exemplum.

Hac enim ratione Gallicae civitates, quae inter Pyrenaeum et Alpes erant, ante Romanorum adventum constitutas tibi fingas: divisa erat haec quoque Gallicae nationis pars in gentes sive civitates, quae non per urbes habitabant, sed, nisi bellorum necessitas intra moenia se tenere eos cogebat, per vicos dispersae. Praeerat cuique genti rex sive regulus, id quod vides ex Livio, qui Hannibalem Pyrenaeos transgressum de itinere suo agentem facit cum regulis civitatum Gallicarum.[101]) Gentes au-

100) Iustin. 43, 4: *Ab his* (Massiliensibus) *Galli et usum vitae cultioris deposita et mansuefacta barbaria et agrorum cultus et urbes moenibus cingere didicerunt. Tunc et legibus non armis vivere, tunc et vitem putare, tunc olivam serere consueverunt, adeoque magnus et hominibus et rebus impositus est nitor, ut non Graecia in Galliam emigrasse, sed Gallia in Graeciam translata videretur.*

101) Liv. 21, 24.

tem maiores in complures partes divisas esse concluseris ex relatione Polybii de Hannibalis per Allobroges itinere.[102] Atque regnabant illi reguli, antequam eodem fere tempore, quo Romani in Galliam venerunt, regna in factiosam optimatium dominationem converti coeperant, per omnem vitam iure hereditario; nam ex. gr. apud Arvernos Luerium regem filius excepisse dicitur Bituitus.[103] Neque vero hae gentes sive qui eas regebant, pari inter se iure gaudebant et agendi libertate, sed minores civitates maiorum astrictae erant clientelae, atque quae Caesar de clientelarum et factionum ratione dicit, qualis extra provinciam inter Gallicas civitates fuerit[104], ea ad meridionalem quoque Galliam referenda esse exemplis potest probari. Neque enim solum quaecunque inter Pyrenaeum, Cebennam et Rhodanum colebant gentes, teste Strabone[105] in Arvernorum clientela erant, sed etiam ab altera Rhodani ripa inter eos, qui usque ad Alpes habitabant, minorum gentium patroni erant Allobroges, ipsi autem Allobroges non minus quam Volcae in clientela erant Arvernorum. Itaque cum Salyes a Romanis invaderentur, ad Allobroges confugit eorum rex, Allobroges autem ob receptum regem et ipsi a Romanis bello lacessiti auxilium petiverunt ab Arvernis. Consistebat enim mutuum clientium et patronorum officium haud dubie in eo potissimum, ut ad bella, quae hi gerebant, illi auxilia mitterent, contra patroni clientes ab hostium invasionibus defenderent. Quae autem inter civitates intercedebant factiones et clientelae, eaedem in quaque civitate extabant inter potentiores et inferiores. Erant enim in omnibus civitatibus Gallicis, si Druides exceperis, de quibus agere nostrum non est, duo hominum genera, equites et plebeii, hi colendis agris et pascendo pecori occupati, illi armorum consuetudini et bellicis consuetudinibus vacantes. Quidquid autem in civitate potentiae erat praeter reges, id equites usurpabant, cum plebeii prope servorum loco habiti contenti essent, potentium clientelis

102) v. supra n. 82.

103) Strabo 4. p. 191.

104) Caes. b. g. 6, 11.

105) Strabo 4. p. 191: *διέτειναν τὴν ἀρχὴν οἱ Ἀρούερνοι καὶ μέχρι Νάρβωνος καὶ τῶν ὅρων τῆς Μασσαλιώτιδος, ἐκράτουν δὲ καὶ τῶν μέχρι Πυρήνης ἐθνῶν καὶ μέχρι ὠκεανοῦ καὶ Ῥήνου.*

eam securitatem quaerere, quam neque propriis viribus neque per leges habebant. Quod autem de contionibus narrat Strabo[106]), populus qui ad eas conveniebat, non plebeiorum turba erat, quam neque audere quidquam per se neque ulli adhiberi consilio Caesar dicit[107]), sed ordo equitum, qui clientium suorum multitudine nixi populum cuiusque civitatis constituebant. Cuius populi qualis iuxta regem potentia fuerit, utrum legibus circumscripta an usu tantum sancita, non traditum est. — In hunc igitur rerum statum cum inciderent Graecae artes, Graecorum commercium, quae inde effecta est mutatio? Incipiebant agricolae olivam serere et vitem putare, at meliore hac agros colendi ratione condicio plebis melior non est facta. Discebant paullatim Gallici equites Graeca lingua, Graecis litteris uti, splendidas Graecorum merces emere, at vita eorum in his rebus potissimum mutata est, ut vino facilius gauderent, ut eum essent splendidi ornatus et luxuriae cupidiores, in his quoque rebus plenius animo suo indulgerent, ut essent denique pacatiores, at ulterius proficere in Graecorum morum imitatione et rerum publicarum rationem mutare neque ipsorum Gallorum intererat, neque Massiliensium commodis id inserviebat. At — dixeris — duas saltem artes, quae ad civilem vitam maximi momenti sunt, a Graecis Galli didicerunt, moenibus urbes cingere et proprios nummos signare, atque si Thierryum[108]) audis, primam quidem ex iis artibus summi revera apud Gallos momenti fuisse crederes. Quod enim Caesar[109]) Orgetorigis incepta narrans Helvetiorum hunc principem fretum clientium multitudine id egisse ait, ut eversa optimatium potentia regnum restitueret, popularem plebis urbanae eum motum fuisse Thierry sibi persuasit oppositum optimatium dominationi, quae agricolis potissimum nixa sit. Quod si verum esset, non in Gallica civitate esse tibi videreris, sed in republica Graeca vel Romana. At minime ea Gallicorum oppidorum ratio erat, ut plebs urbana ibi esset,

106) Strabo 4. p. 197: ἴδιον δὲ τὸ ἐν τοῖς συνεδρίοις συμβαῖνον κ. τ. λ.

107) Caes. b. g. 6, 13.

108) Thierry 2, 116.

109) Caes. b. g. 1, 2. 4.

quae partium studiis posset indulgere, neque quae Orgetorigem sequebatur clientium obaeratorum et servorum familia diversa erat ab illo hominum genere, quod ex agris contra eum coëgerunt magistratus, neque agebatur omnino de novanda populari modo republica, sed de reducendo priore unius hominis regno. Contra omnino fuisse oppida moenibus cincta in Gallia meridionali ante Romanorum aetatem, eo minus negaverim, quod hodie quoque duorum eiusmodi oppidorum extant ruinae, unius prope Aquas Sextias in priscorum Salyum finibus, alterius prope urbem Montpellier eodem loco, quo a Romanis postea constituta est Sextantio. Ibi quae extant moenium reliquiae, ut a Romanorum muniendi ratione prorsus diversae sunt, ita imaginem dant eius munitionis, quam Caesar et Vitruvius describunt ut Gallicam.[110] Verum haec oppida non ad civilis vitae usum, sed

110) Caes. b. g. 7, 23. Vitruv. 2, 1, 4. Reliquias oppidi Salyum primus invenit vir de patriae suae antiquitatibus optime meritus Rouard Aquensis idemque descripsit in Mém. de l'Acad. d'Aix VI. (1845) p. 337 sqq. Extant eae inter urbem Aix et pagum Puyricard in summo colle, qui dicitur *le plateau d'Entremont*. Gallicae revera originis hoc oppidum esse non solum ex murorum forma perspicuum est, sed etiam inde, quod Romanae antiquitatis monumenta nulla ibi reperta sunt, contra tria monumenti alicuius fragmenta, quae Gallicae artis esse non est dubium. Sunt ii tres lapides quadrati reperti intra illos muros, quorum lapidum unusquisque tria latera sculpturis exhibet decorata: vides ibi sive mera hominum capita sive singulos equites, inter quos unus prae ceteris eminet, cuius e cinctura caput inimici victi pendet, unde optime illustratur, quod legis apud Strabonem IV. p. 197 extr.: *πρόςεστι δὲ τῇ ἀνοίᾳ καὶ τὸ βάρβαρον καὶ τὸ ἔκφυλον, ὃ τοῖς προςβόροις ἔθνεσι παρακολουθεῖ πλεῖστον, τὸ ἀπὸ τῆς μάχης ἀπιόντας τὰς κεφαλὰς τῶν πολεμίων ἐξάπτειν ἐκ τῶν αὐχένων τῶν ἵππων, κομίσαντας δὲ προςπατταλεύειν τὴν θέαν τοῖς προπυλαίοις.* Quae figurae prorsus eadem rudi et incondita arte confectae sunt qua nummi Gallici atque videntur esse reliquiae tropaei Celtici. Extant hodie in museo urbis Aix, ubi vidi ipse. — Ad Sextantionem deinde quod attinet, sufficiat hic apponere eam, quam Prosper Merimée dat descriptionem (Notes d'un Voy. p. 361): *Sur une hauteur au bord du Lez, à une demi-lieue de Montpellier on trouve des restes de murailles antiques, beaucoup de fragments de poterie grossière et quelques inscriptions romaines. Il y a tout lieu de croire, que c'est l'emplacement de la ville nommée Sextantio. Les murs élevés encore dans quelques endroits à une hauteur de un mètre et demi à deux mètres sont fort épais, revêtus d'un parement de pierres toutes super-*

ad defensionem tantum constructa publica Gallorum instituta non mutarunt; nam in ulteriore quoque Gallia Caesar eadem moenia invenit, neque ibi vetera Gallorum instituta mutata tum esse diceres. Quod vero ad nummorum apud Gallos usum pertinet, eum pro insigni habes exemplo, quo modo ad Graecos mores barbari se conformarint. Receperunt Graecas litteras, Graeca signa, Graecorum pondera, quia commercii id flagitabat usus neque aliam cognoverant nummorum rationem; at neque ad artem Graecorum ullo modo accesserunt neque ita in consuetudinem iis transierunt illi nummi, ut dubitarent, ubi primum Romani in eam regionem venerunt, Graecas litteras formasque Romanis mutare, eandem in conficiendis nummis servantes barbaram deformitatem. Immutata haud dubie est Galliae meridionalis species, cum ubi modicas olim fruges et pabula agri produxerant, oliveta iam et vineae solum ornarent, cum viles, qui antea per agros dispersi erant vici, in speciem quandam urbium commutarentur, verum sicut Gallicae braccae Gallicaque saga nunquam Graecis palliis cesserunt, ita merum Graecorum cultus atque humanitatis exemplum impar fuit barbaris gentibus convertendis. Tum demum cum braccata Gallia togata facta est, cum arma Romanorum publica Romanorum instituta sunt secuta, ex seminibus a Graecis in hac terra sparsis perpetui fructus potuerunt provenire.

---

posées irrégulièrement en général sans mortier, derrière lequel on trouve une maçonnerie de moellons et de petites pierres noyées dans un ciment peu solide. Ces murs ressemblent beaucoup aux ruines de l'ancienne ville de Salyens auprès d'Aix, et sans doute leur origine est également gauloise. Les poteries dont on trouve des débris en grande quantité sont moins grossières que celles d'Entremont. Ceterum cum qui ibi habitant agricolae, pridem inceperint, horum murorum reliquias ad suum usum convertere, in dies imminuuntur.

Pars I.

Historia Galliae Narbonensis continua ab initiis constitutae provinciae usque ad imperatoris Diocletiani aetatem.

Caput I.

De provinciae Narbonensis initiis et usque ad Iulium Caesarem historia.

Qui Romani imperii progressus persequitur, miretur fortasse, quod remotiores quidem provinciae transmarinae, Hispaniae, Illyricum, Macedonia, Achaia, Africa, Asia, maturius in eius ditionem redactae sunt quam Gallia meridionalis, quae media inter Italiam et Hispaniam sita non solum ad occupanda Alpium et Pyrenaeorum iuga sed etiam ad Hispaniae securitatem summi erat momenti. Cuius rei caussam ut satis explicaremus, quia Romani maris interni dominationem non certo quodam consilio atque ordine ultro sibi compararunt, sed rerum necessitate oblatam acceperunt, universam historiam Romanam necesse esset enarraremus. Quod cum huius libri non sit, satis erit animadvertere, non ita leviter egisse Romanos, ut per omne illud tempus, quo ad occidentem, meridiem, orientem victricia ferebant arma, prorsus neglegerent extremum maris Tyrrheni sinum, qui Alpium radices iungit Pyrenaeo, immo cum universa illa ora obnoxia esset civitati cum Romanis foederatae, hanc potius eos secutos esse rationem, ut foedus illud colentes observantesque et arctius in annos reddentes, dum ipsi socios nominis Romani splendore tegerent, opes eorum, quotiescunque e re esset, in suum usum converterent. Atque longae memoriae erat haec Romanorum cum Massiliensibus amicitia; namque si Trogum Pompeium[1]) audis, iam Phocaeenses illi, qui

1) Iustin. 43, 3.

Tarquinii Prisci aetate Massiliam condiderunt, antequam in ulteriores sinus pervehereut, ostio Tiberis invecti amicitiam cum Romanis iunxerunt. Illo deinde tempore, quo inter Poenos et Massilienses de maris Tyrrheni et orae Hispanicae dominatione dimicatum est, cum iam sub regibus ea Romanorum in Latio esset condicio, ut Latinorum nomine cum exteris agerent, foedus quidem illud cum Carthaginiensibus de navigatione et commercio fecerunt[2], neque tamen ita a Poenorum partibus steterunt, ut Graecorum inde amicitiam susciperent, immo Diodoro Siculo[3] auctore aetate Camilli ea erat Romanorum cum Massiliensibus amicitia, ut donarium, quod post captos anno a. Ch. 396 Veios Apollini Delphico de praeda miserunt, in Massiliensium thesauro Delphico deponerent. Deinde paullo post, cum revertentes a Delphis Massiliensium legati, dum ostia Tiberis praetervehebant, audivissent, urbem iam a Gallis captam incensamque esse, idque domi nuntiassent, non solum publico luctu Massilienses hoc prosecutos esse refert Trogus[4], sed etiam aurum argentumque et publice et privatim collatum Romanis ad explendum, quod Gallis pro relinquendo Latio solvere deberent, pretium donasse, ob quod de Romanis meritum immunitatem, locum in spectaculis inter senatores honorarium, foedus denique aequo iure percussum retulissent. Silent quidem de his omnibus annales Romani et Trogus, ubi de immunitate Massiliensibus concessa dicit, aperte antiqua recentioribus miscet, neque maiorem fidem tribuas Straboni[5], si Dianae in Aventino simulacrum a Massiliensibus receptum esse refert, atque facile per-

2) Polyb. 3, 22. cfr. Mommsen, R. G. 1, 97.

3) Diod. Sic. 14, 93, 3: *ὁ δὲ τῶν Ῥωμαίων δῆμος ἐκ τῶν λαφύρων δεκάτην ἐξελόμενος χρυσοῦν κατεσκεύασε κρατῆρα καὶ εἰς Δελφοὺς ἀνέθηκεν* — ibid. 5: *οἱ δὲ* (sc. *τῶν Ῥωμαίων πρεσβευταὶ*) *τὸν κρατῆρα κομίζοντες* (sc. *εἰς Δελφοὺς*) *ἀναθέντες αὐτὸν εἰς τὸν τῶν Μασσαλιητῶν θησαυρὸν εἰς Ῥώμην ἀνέστρεψαν.* De quo Massiliensium thesauro Delphico cfr. Pausan. 10, 8, 4.

4) Iustin. 43, 5.

5) Strabo 4. p. 180: *πρότερον μὲν οὖν εὐτύχουν διαφερόντως* (*οἱ Μασσαλιῶται*) *περί τε τἆλλα καὶ περὶ τὴν πρὸς Ῥωμαίους φιλίαν, ἧς πολλὰ ἄν τις λάβοι σημεῖα· καὶ δὴ καὶ τὸ ξόανον τῆς Ἀρτέμιδος τῆς ἐν Ἀβεντίῳ οἱ Ῥωμαῖοι τὴν αὐτὴν διάθεσιν ἔχον τῷ παρὰ τοῖς Μασσαλιώταις ἀνέθεσαν.*

spicitur, et Gallicum scriptorem et Graecum a Massiliensibus inventa haec audivisse, quorum intererat, amicitiam Romanam ex aetate quam maxime remota repetere; at Diodori saltem de thesauro Delphico Massiliensibus cum Romanis communi relatio nihil habet, quod moveat suspicionem, atque quae Massiliensium caussa in foro Romano quarto a. Ch. saeculo instituta est Graecostasis, sive exterorum legatorum locus in spectaculis honorarius[6]), revera satis antiquam probat Romanorum cum Massiliensium civitate coniunctionem. Quae initio quidem haud dubie commercii potius caussa instituta est, quam ita, ut communi consilio in externis rebus agerent, verum inde a bello Punico Hannibalis, cum Romanorum hostes et proficiscerentur ex Hispania et in Italia primum omnium peterent regionem Transpadanam Massiliensibus vicinam, hostes autem illi iidem essent, cum quibus olim acerrime dimicarant Massilienses, necesse erat, contra communem inimicum eos, qui iam antea foederati erant, eo arctius iam inter se coniungi. Atque sicut Romani satis iam in Italia profecerant, ut pro firmo praesidio essent Graecis, ita ne Massiliensium quidem auxilium parvi erat aestimandum. Nam etsi impares fuerunt impediendo Hannibalis atque postea Hasdrubalis per Galliam itineri, tamen non solum maritimum in Hispaniam iter liberum Romanis classibus servabant, sed quasi in specula positi perpetuo vigilem contra hostes custodiam exercebant, neque inter Iberum et Pyrenaeos firme consistere indeque bellum in ulteriorem Hispaniam propagare potuissent Romani, nisi Graecorum tam Emporitanorum quam Massiliensium tuta iis fuisset amicitia. Qui rerum status, cum largius iam exteras res referant annales Romani, compluribus illustratur exemplis: Primum postquam ad aperiendum cum Romanis bellum Iberum transiit Hannibal, Massiliensium legati Romanis id enuntiant[7]); ad quem nuntium cum statim Massiliam se contulisset P. Scipio, Graecorum ibi mercenariis Gallicis utitur ad explorandum Hannibalis iter[8]); deinde cum non contigisset, ut obstaret Hannibali Rhodanum transgredienti, Cnaeus frater in

6) Cfr. Mommsen, R. G. 1, 389. 424.
7) Liv. 21, 25.
8) Liv. 21, 26. Polyb. 3, 41.

Hispaniam missus apud Emporitanos portum invenit, ubi tuto exercitum exponat atque classem relinquat[9]), atque dum mari non minus quam terra a freto Herculis usque ad Pyrenaei radices bellum geritur, continuo Massiliensium naves speculatoriae Romanum imperatorem de hostium motibus certiorem faciunt.[10]) Neque minori studio a. 211, cum bellum Hispanicum P. Cornelio, illius qui paullo ante in Hispania ceciderat filio, esset mandatum, et Emporiae et Massilia foederatorum officia Romanis praestant[11]), quamquam periculum haud exiguum erat, ne si contigisset Poenorum duci, ut Pyrenaeos transcenderet, sicut contigit a. 207 Hasdrubali, poenas Romanae amicitiae darent Graeci. At devicti paullo post in Hispania sunt Poeni et ipsa Hispania iam a. 206 in provinciae formam redacta, atque etiamsi interior terra parum pacata erat, orae tamen maritimae in illa Tyrrheni maris parte pax est reddita, et denuo commercii per illa aequora privilegio gaudebant Massilienses. Ceterum iam quoque neque Romanis neque Graecis occasio defuit antiqui foederis observandi exercendique: cum enim exercituum Romanorum in Hispaniam iter secundum littus Gallicum duceret, his quidem grati erant Graecarum coloniarum portus, gratae opes Massiliensium navales, Graeci autem cum ne tum quidem Ligures piratas a mari pellere potuissent, satis contenti erant, quod Romanorum iam aeque ac Massiliensium intererat, eos piratas extinguere. Itaque cum a. 195 M. Porcius Cato ad debellandos Iberos in Hispaniam profectus copias Emporiis exponeret, comiter atque benigne acceptus esse dicitur ab huius urbis incolis[12]), neque minus qui alii in Hispaniam mittuntur propraetores, ubi montes Ligustinos et oram Gallicam praetervehunt, plus semel contra adversos casus Massiliensium hospitio utuntur

9) Liv. 21, 60.

10) Liv. 22, 19. Polyb. 3, 95: *προαπέστειλε (ὁ Γνάιος) κατασκεψομένας δύο ναῦς ταχυπλεούσας Μασσαλιωτικάς· καὶ γὰρ προκαθηγοῦντο καὶ προεκινδύνευον οὗτοι καὶ πᾶσαν ἀποτόμως σφίσι παρείχοντο τὴν χρείαν· εὐγενῶς γάρ, εἰ καί τινες ἕτεροι, κεκοινωνήκασι Ῥωμαίοις πραγμάτων καὶ Μασσαλιῶται, πολλάκις μὲν καὶ μετὰ ταῦτα, μάλιστα δὲ κατὰ τὸν Ἀννιβιακὸν πόλεμον.*

11) Liv. 26, 19.

12) Liv. 34, 9.

atque refugio.[13]) Ipsi autem Massilienses paullo post peractum bellum Hannibalis coeperunt, quotiescunque a Liguribus lacessebantur, Romanos auxilio vocare[14]), eaeque contra piratas expeditiones non potuerunt non Romanos prope invitos adducere, ut postremo non amplius contenti essent illam regionem foederatis custodiendam permittere, sed suae ipsorum ditionis eam redderent. Cum enim arctius interea quae inter Apenninum et Alpes erat Gallia cum ipsa Italia esset iuncta, ideoque ab hac quoque parte Transalpinae Galliae vicinia maioris esset momenti, cum deinde maiori iam studio Romani quoque commercio Hispanico se darent, fieri non potuit, quin paullatim sibi persuaderent, Gallicum sinum tutum non fore, nisi omnis ora maritima, quae ab Apennino ad Pyrenaeum tendebat, in ipsorum manibus esset; praeterea expeditiones illas quae contra Ligures Italicos prope annuae fiebant tum demum ad finem apparuit posse perduci, cum omnis Liguria, quae citra ultraque Alpes erat, solide pacata, sive Romanis foret subiecta. Si vero nihilo minus satis tarde hoc opus aggressi sunt, ex una parte inde id explicatur, quod omnino optimatium Romanorum non erat, vel iis, quae necessario gerenda erant, omni vi insistere, ex altera autem parte erat revera, quod timerent, ne tacta ora Gallica maxima excitarentur cum universis Gallis bella. Quomodo potuit sperari Gallos mediterraneos, si Romani iam Alpes transgrederen-

13) Liv. 37, 57: *Per eos dies* (i. e. anno a. Ch. n. 189) *legati Massiliensium nuntiarunt, L. Baebium praetorem, in Hispaniam proficiscentem, ab Liguribus circumventum; magna parte comitum caesa, vulneratum ipsum cum paucis, sine lictoribus, Massiliam perfugisse et intra triduum expirasse.* Id. 42, 4: *Ex praetoribus, qui in provincias ierant* (anno a. Ch. 173), *N. Fabius Massiliae moritur, cum in citeriorem Hispaniam iret; itaque cum id nuntiatum a Massiliensium legatis esset* etc.

14) Liv. 40, 18: *Tarentini Brundisinique nuntiabant, maritimos agros infestos transmarinarum navium latrociniis esse; eadem Massilienses de Ligurum navibus querebantur. — Nec rei navalis cura omissa: duumviros in eam rem consules creare iussi, inter duumviros ita divisa tuenda denis navibus maritima ora, ut promontorium iis Minervae, velut cardo, in medio esset, alter dextram partem usque ad Massilium, laevam alter usque ad Barium tueretur.* Ibid. c. 26: *duumviri navales creati C. Matienus et C. Lucretius navesque iis ornatae sunt, Matienoque, cuius ad Gallicum sinum provincia erat, imperatum est, ut classem primo quoque tempore duceret in Ligurum oram.*

tur, etiamsi tantummodo orae limitem sibi vindicarent, quietos fore et hostium invasionem laturos? Cives autem Romani si transmarinorum stipendiorum, quorum in Hispania finis nunquam erat, satis iam taedebat, quomodo erant permovendi, ut nova bella tam incerti exitus susciperent cum ferocissimis et innumerabilibus hostibus in terra remotiore etiam atque prorsus ignota? Itaque ut ex una parte quasi necessitas quaedam imposita erat, ut oram Gallicam suae facerent ditionis, ita ab altera quod accedere ad hanc necessitatem cunctabantur, excusaveris. Opus scilicet erat novo prorsus rei Romanae impetu, novo in ipsa urbe rerum ordine, ut Transalpinas quoque res gerendi nova eaque fortior inveniretur ratio. Quae cum ita essent, non mirum est, quod cum prima Romanis offerretur orae Gallicae solide occupandae occasio, eam in medio successu dimiserunt. Cum enim anno a. Ch. 143 iterum vehementius quam antea Ligures Oxybii de montibus silvisque suis descendentes Massiliensium fines invasissent eoque essent progressi, ut Nicaeam et Antipolim obsiderent, Graeci impares iis pellendis Romanos auxilio vocarunt. Qui postquam primum frustra monuerunt barbaros, ut desisterent ab inceptis, missus in eorum agros Q. Opimius consul cum exercitu, qui vindicaret et urbem foederatam et iniuriam legato Romano ab Oxybiis factam, cum facili negotio devicisset et Oxybios et, qui auxilio iis venerant, Deciates finitimos, agros barbarorum Massiliensibus attribuit imposita simul Liguribus condicione, ut certis temporibus obsides mitterent Massiliae.[15]) Praeterea ad hanc primam Romanorum in ipsam Galliam expeditionem refert Mommsen[16]), quod Cicero in dialogo illo, qui inscriptus est 'de republica', anno a. Ch. 129 Scipionem Africanum dicentem facit, Romanos quo pluris essent ipsorum oliveta vineaeque, Transalpinas gentes oleam et vitem serere vetuisse. Quod Ciceronis dictum ad quodcumque tempus refers, est utique memorabile exemplum minutae illius angustaeque optimatium rationis, qua in gerendis rebus externis adeo non humaniora instituta communicare studebant cum barbaris,

15) Polyb. 33, 4 sq. 7 sq. Liv. epit. 47.
16) R. G. 2, 159 not. Cic. de rep. 3, 9.

ut, quo maior ex nobilium Romanorum latifundiis fructus rediret, quae inter illos erant cultioris vitae initia, destruerent.

Iam vero eodem tempore, quo Africanum illo modo disserentem facit Cicero, ut interior reipublicae Romanae status ad alias vias coepta est adduci, ita motuum illorum auctores intellexerunt non Romae solum, sed etiam foris funditus novandam esse rerum gerendarum rationem, ut stare posset respublica. Popularibus revera tribuendum esse, quod in Gallia quoque Romani non amplius contenti erant, contra piratas custodiam exercere, sed formandam ibi esse provinciam intellexerunt, atque C. Gracchi eorumque, qui a Gracchorum partibus stabant, impulsu primum trans Alpes propagatos esse Romani imperii fines, eo consilio, ut aperta illa, quae incognita et clausa antea fuerat, immensa regione conditisque coloniis nova inauguraretur rei Romanae aetas, ut levaretur Italia, Italiae commodorum particeps esset nova provincia, id luculenter probavit Mommsen.[17])

Expeditionum autem, quae ad occupandam Galliam a Romanis susceptae, bellorumque, quae usque ad Iulium Caesarem Galliarum rectorem ibi gesta sunt, historia, qualis ex dispersis veterum scriptorum locis potest colligi, haec fere est[18]):

Anno a. Ch. n. 125, cum denuo de rapacibus Salluviorum incursionibus quererentur Massilienses, missus in eorum auxilium M. Fulvius Flaccus cos., insignis ille C. Gracchi amicus, cum primus Romanorum Alpes cum exercitu transgressus esset, si actorum triumphalium fidem sequeris, primum Ligures domuit oram incolentes, deinde secundum Rhodanum ascendens Vocontios adiit, denique his quoque victis iam Sallu-

17) R. G. 2, 104. 116. 163.

18) Provinciae Transalpinae initia satis large sed et temporum et rerum ratione aliquoties minus accurate observata ennarrata sunt a Thierryo (hist. des Gaul. II. 159—274), succinctius quidem, sed tanto accuratius a Mommseno (R. G. 2, 158—163. 3, 206—282). Praeterea nuperrime in eadem ro versatus est A. W. Zumpt (Stud. Rom. p. 15 sqq.), qui ut in enucleandum rectorum provinciae ordinem multum impendit laboris, ita plus semel quam illustrare voluit quaestionem, obscuravit et turbavit. Nos de eadem qnaestione ita hic agemus, ut ea tantum recipiamus, quae et continuum rerum gestarum ordinem indicent et qui quoque tempore provinciae status fuerit illustrent.

vios a fronte et a tergo circumventos invasit.[19] Qua prima expeditione cum tentatae magis quam devictae essent gentes illae montium refugio magnopere adiutae, ad perficiendum opus anno insequenti Flaccum, postquam prorogato imperio initio anni trans Alpes remansit, excepit C. Sextlus Calvinus, qui persequendis Salluviis acriter insistens capto et destructo oppido illo Gallico, cuius hodie quoque prope urbem Aix conspici diximus quasdam ruinas, acceptisque in deditionem iis gentibus quas iam antea viceral Flaccus, primum ad occupandas has regiones proxime eum ipsum locum, ubi Celtoligurum fuerat oppidum, anno 122 castellum constituit, cui cum idem locus aquis calidis abundaret, nomen indidit Aquis Sextiis; idem deinde ad extirpandas funditus piratarum rapinas, Ligures prorsus ab ora expulit et, qui inter montium radices et mare intererant, agros latos in locis amoenioribus mille quingentos fere passus, in montuosis mille Massiliensibus tradidit.[20] Consecuti igitur erant, quod proxime propositum fuerat, Romani; at quae Gallicarum rerum ratio erat, neque ipsi primo iam successu potuerunt acquiescere, neque Gallicae gentes prima clade ita afflictae erant, ut de eiciendis exteris desperarent; ideoque dum ab una parte Romani, ubi primum consistere coeperunt in illis regionibus, inter mul-

---

19) Fasti Capit. triumph. ad ann. 631 (Corp. Inscr. lat. 1. p. 460): *M. Fu(lv)ius M. f: Q. n. Flaccus pro(cos.) an. DCXXX (de Li)guribus Vocontieis Salluveisq . . VI . . . .* — Liv. epit. 60: *M. Fulvius Flaccus primus Transalpinos Ligures domuit missus in auxilium Massiliensibus adversus Salluvios Gallos, qui fines Massiliensium populabantur.* Flor. 3, 2, 3.

20) Fasti Cap. triumpb. ad annum 632: *C. Sextius C. f. C. n. Calvin. proco(s. anno DCXXXI) de Ligurib. Vocontieis Salluveisq . . .;* ad quae cfr. Henzen in Corp. Inscr. L. 1. p. 463. Liv. epit. 61: *C. Sextius proconsul victa Salluviorum gente coloniam Aquas Sextias condidit ob aquarum copiam e calidis frigidisque fontibus atque a nomine suo ita appellatas.* — Strabo 4, p. 180, qui de concesso Massiliensibus agro dicit. Vell. Paterc. 1, 15. Amm. Marcell. 15, 12: *hae regiones — primo tentatae per Fulvium, deinde proeliis parvis quassatae per Sextium sed ultimum per Fabium Maximum domitae.* Mommsen, R. G. 2, 160 etiam cum Allobrogibus confligentem facit C. Sextium; quod quo testimonio id nitatur, non inveni. — Utrum Aquae Sextiae castelli, ut Strabo, an coloniae, ut Livius dicit, iure constitutae sint, de eo infra disputabimus. cfr. n. 31.

titudinem gentium, in quam inciderant, quaerunt si quam ad suas partes trahant, Salluvii quoque clientelae ratione finitimis iuncti non dubitant patronos suos contra communes hostes excitare. Erat tum, ut supra (p. 33) vidimus, inter eas gentes, quae in sinistra Rhodani ripa considebant, longe potentissima gens Allobrogum, quae omnes reliquas illius partis civitates in clientela videtur habuisse. At ne Allobroges quidem propriis tantum viribus nitebantur, sed et ipsi in clientela erant Arvernorum, qui ab altera Rhodani parte primum eo tempore locum obtinebant. Cum vero vicina Arvernis esset civitas Aeduorum et ipsa satis magna, quae saepe cum illis de principatu certaverat, Romani facile perspicientes quid inde commodi sibi eveniret, societatem cum Aeduis inierunt neque dubitarunt probare, quam firmo praesidio fruerentur, qui populi Romani gauderent amicitia. Nam cum devictus Salluviorum rex Teutomalius clientelae iure usus confugisset ad Allobroges ab iisque benigne exceptus esset, simulque iidem Allobroges, utpote Arvernorum foederati, in fines Aeduorum invasissent, Cn. Domitius Ahenobarbus consul, qui anno 122 Sextio in Gallia successerat, bellum iis indixit. Deinde ubi Allobroges suis viribus diffisi auxilio vocarunt Bituitum, Arvernorum regem, Romani quoque, dum Bituitus per omnem Galliam meridionalem clientium immensam molem evocat, periculi gravitate moti huius anni, qui annus erat a. Ch. 121, consulem Q. Fabium Maximum in auxilium Domitii mittunt, ut iunctis viribus duo exercitus coacervatis Bituiti copiis opponerentur. Occurrerunt Arvernis, ut Plinius tradit, a. d. VI. Idus Augustas ad confluentes Isarae et Rhodani, atque adeo splendida fuit Romanorum victoria, ut cum in ipsa pugna tum in transitu Rhodani Gallorum caesa dicerentur milia centum viginti, atque pugnis maxime celebratis a Graecis Romanisque rerum Romanarum scriptoribus ille dies adnumeraretur. Rex autem Arvernorum cum ob hanc unam cladem de continuando bello desperans et suis et Allobrogibus ut Q. Fabio se dederent persuasisset, Cn. Domitii perfidia interceptus non solum ipse Romam missus est, sed senatus Romanus filium quoque Congentiatum, ut aeque ac pater in Italia custodiretur, expostulavit. Interea Q. Fabius re splendide gesta bellum finitum putans rediit in Italiam, permittens Domitio, ut quidquid ad pacandam Galliam

opus esset, institueret. At Arverni exacerbati Romanorum in regem suum iniuria rebellarunt et denuo Rhodanum transgressi usque ad Sulgam fluvium, qui haud longe ab Avenione in Rhodanum influit, pervenerunt. Ibi vero prope oppidum Vindalium iterum cum Cn. Domitio confligentes non meliori quam antea fortuna usi denuo profligati sunt atque coacti, ut, quoscunque trans Rhodanum et trans Cebennam montem habuerant clientes, Romanorum committerent imperio.[21]) Quamquam enim nihil audimus de occupato a Romanis Volcarum agro, tamen ut omnino non potest dubitari, quin illo ipso tempore, quo sinistram Rhodani ripam Romani Arvernis subtraxerunt, Rhodano traiecto usque ad Pyrenaeos progressi sint, ita, quam supra huius regionis condicionem fuisse vidimus, ea facillime explicat devictis Arvernis neminem iam in illo Galliae meridionalis limite Romanis obstitisse. Non dubitari potest, inquam, de occupato Volcarum agro: quoniam enim constat, viam quae a Rhodano Hispaniam versus ducit, appellari Domitiam[22]), sterni coepta sit necesse est

21) Frequens est belli Allobrogici apud veteres scriptores mentio, neque vero de temporis ordine inter se consentiunt. Etenim fasti quidem triumphales haec habent: *Q. Fabius Q. Aemiliani f. Q. n. Maximus procos. de Allobro[gibus] et rege Arvernorum Betulto an. DC[XXXIII] X k. . . . —̣ Cn. Domitius Cn. f. Cn. n. Ahenobarb. procos. de Galleis Arverneis a[n. DCCXXXIII] XVI. k. . . . .*, ad quae conferas oportet Henzen Corp. Inscript. Lat. I. p. 463. Unde Mommsen (R. G. 2, 162 n.) dicit probari, apud Isaram pugnatum esse ante pugnam Vindaliensem idque confirmari et a Strabone, qui referat (IV. p. 191. cfr. 185): *προηγωνίσαντο (οἱ Ἀρούερνοι) πρὸς Μάξιμον τὸν Αἰμιλιανὸν καὶ πρὸς Δομήτιον δ' ὡσαύτως Ἀηνόβαρβον*, et a Floro 3, 24, ubi ordo hic sit: *Isara et Vindelicus amnis* (sc. victoriae testes), et a Plinio (h. n. 7, 50), qui sicut Livius quoque Fabium consulem, non proconsulem ad Isaram faciat confligentem. Cui temporis rationi, quam nos quoque secuti sumus, obstant Liv. epit. 61. Oros. 5, 13 sq., qui duorum proeliorum ordinem invertunt. Praeterea mentionem huius belli faciunt Caes. bell. gall. 1, 45. Vell. 2, 10. 39. Appian. bell. gall. 1, 12. Val. Max. 9, 6, 3. — Si Eutropius 4, 22 dicit: *A. DCXXVII a. u. c. C. Cassius Longinus et Sex. Domitius Calvinus consules Gallis Transalpinis bellum intulerunt et Arvernorum civitati et eorum duci Bituito*, et nomina et res confundit. Nequo minus Suetonius Ner. 2 filio tribuit, quod est patris.

22) Cic. pro M. Font. 8, 18 (Klotz): *cum ad remp. pertineret, viam Domitiam muniri.*

a Cn. Domitio Ahenobarbo; eiusmodi autem opus incipi non potuit nisi solide occupato omni illo tractu, per quem ducenda erat via; deinde cum supra viderimus, omnes Volcas, sive quidquid Gallorum inter Rhodanum, Cebennam, Pyrenaeum considebat, in clientela Arvernorum fuisse, praeterea autem commercii ratione arctius eos iunctos esse Massiliensibus, fieri non potuit, quin fracta et sublata Arvernorum potentia Volcarum gens ultro Romanis se dederet, ideoque non mirum est, quod de Domitii contra Volcas bello nihil traditur. Ultra Cebennam deinde septentrionem versus quoniam de Rutenis provincialibus dicit Caesar, pars quidem huius quoque gentis Romanae tum ditionis videtur esse facta, simul autem, quod idem Caesar alio loco testatur neque Arvernos neque Rutenos in provinciae formam esse redactos, apparet partem illam provincialem haud magnam fuisse.[23] Contra ipsorum Arvernorum, ut ex illo Caesaris loco apparet, neque libertatem neque agros attigerunt Romani, satis ibi habentes, nominis sui terrorem duobus maximis proeliis in interiora Galliae propagasse, ceterum Aeduorum foedus colere aliarumque insuper gentium amicitiam ambire.[24]

Quae postquam peracta sunt, fines provinciae hoc modo ductos tibi fingas: A sinistra Rhodani ripa cum pars septentrionalis esset ager Allobrogicus, pro termino erat a Vienna ad lacum Lemannum ipse fluvius, a Lemanno autem lacu ad mare summae Alpes quae in Deciatium finibus sive prope Nicaeam Gallicos Ligures ab Italicis dividebant; ceterum ab hac parte cum praeter Allobroges reliquae gentes Alpinae ne tentatae quidem essent, de accuratius definiendo provinciae territorio non potuit agi. A dextra deinde Rhodani oppositi erant Allobrogibus Helvii, quorum agros ab Segusiavis dividebat extrema Ce-

23) Caes. b. g. 7, 7: (Caesar Narbonem) *cum venisset, praesidia in Rutenis provincialibus, Volcis Arecomicis, Tolosatibus circumque Narbonem, quae loca hostibus erant finitima, constituit.* 1, 45: *bello superatos esse Arvernos et Rutenos a. Q. Fabio Maximo, quibus populus Rom. ignovisset neque in provinciam redegisset neque stipendium imposuisset.* Praeterea Ruteni inter Latina provinciae Narbonensis oppida recensentur a Plinio 3, 5.

24) Cfr. ex. gr. Olloviconem, regem Nitiobrigum, a senatu amicum populi Rom. appellatum. Caes. b. g. 7, 31.

benna; cuius tractus principalis per aliquod spatium sicut primum inter Helviorum et Arvernorum, deinde Rutenorum et Volcarum agros, ita omnino inter ulteriorem Galliam et provinciam fines constituebat.[25]) Porro ab ea regione, ubi ad occidentem fortius inclinare coepit Cebenna, si Rutenorum provincialium rationem habemus, usque ad Tarnem fluvium fines provinciae videntur proferendi[26]), unde transitus est in agrum Tolosatem. A Tolosatibus fines ita indicat locorum natura, ut primum Garumnae cursu, a Garumnae origine usque ad mare summo Pyrenaeo constitutos iudices.

Iam vero si quaeris, quis instituerit novam provinciam, diserte nusquam id habes traditum, neque tamen cuiquam potest esse dubium, quin ei, qui postquam duobus proeliis sinistram Rhodani ripam expugnavit, deinde flumen transgressus dextram quoque ripam ita occupavit, ut publicam summi momenti viam aperiret, qui denique cum imperio plus semel prorogato in ea regione erat, quin ei, inquam, tribuendus sit redactae in provinciae formam Galliae Transalpinae honor. Is autem erat Cn. Domitius Ahenobarbus proconsul. Ceterum num omnis instituendae provinciae cura commissa sit Cn. Domitio, deinde quo tempore is Transalpinam regionem reliquerit[27]), quae omnino usque ad annum 118 in nova provincia evenerint, de his

25) Caes. b. g. 7, 7: *Helvios, qui fines Arvernorum contingunt.* 7, 8: *mons Cevenna, qui Arvernos ab Helviis discludit.*

26) De finibus Rutenorum provincialium qui Mommseni quandam coniecturam sequitur, aliter iudicabit. Legit enim Mommsen apud Cic. pro Font. 9, 19: *Segoduni et Vulchalone*, pro *Secroduni*, eumque Ciceronis locum in Halmii et Baiteri editione Ciceroniana proprio excursu illustrat. Quod si accipis, Segodunum quoque, quod hodie est *Rodez*, provinciae tribuas necesse est. At quod ex Caes. b. g. 1, 45 (v. supra n. 23) et 7, 75, ubi Rutenis a Vercingetorige duodecim milia armatorum imperantur, concludendum est, maiorem huius civitatis partem liberam tum fuisse, valde dubito, num revera usque ad Segodunum proferendi sint provinciae termini.

27) Henzen tabulas triumphorum commentans (Corp. Inscr. Lat. 1. p. 463) notat Fischerum et A. W. Zumptium male Domitii proconsulatum ad annum usque 118 producere, et mihi quoque vix est dubium, quin imperium in quattuor vel quinque annos prorogatum illa aetate non possit accipi. De singulari autem, quam Zumpt de his rebus enuntiavit opinionem cfr. infra n. 63.

omnibus rebus nihil traditur, atque cum iisdem annis ipsa urbs maximis motibus esset concitata, facile intellegitur, quae, postquam summa rerum trans Alpes decisa erat, ad pacandum et instituendam provinciam ibi fiebant, ea inter illam urbanarum rerum gravitatem fugisse posterorum memoriam.

Constituto autem exteriore provinciae statu, descriptis finibus non minoris momenti erat ordinanda interior provinciae forma. Et belli quidem iure quidquid in deditionem receptum erat agri, aut agri vectigalis forma reddi potuit indigenis aut ad deducendas colonias converti. At quam in hac re victores sequerentur rationem, multo minus ex ipsius provinciae condicione, quam ex rerum urbanarum qui tum erat statu pendebat. Constat inter omnes, per idem tempus, quo nova haec provincia parta est, Romae ad levandam urgentem urbanae plebis miseriam propositas esse leges C. Sempronii Gracchi, constat in illis de lege Gracchi agraria contentionibus deducendarum trans mare coloniarum a popularibus agitata esse consilia, constat denique, a. 122 revera contigisse C. Graccho, ut primam transmarinam in Africa conderet coloniam Carthaginem. Quae vero laetior spes, quae opportunior deducendis coloniis terra potuit inveniri, quam ea quae inter Alpes et Pyrenaeum Italiam Hispaniis iungebat felici coelo et solo fertilissimo nobilis? At eodem tempore quod periculosius popularium contra optimates propugnaculum, quae acriora contra senatum tela? Verum dum optimatium non minus quam popularium fortitudine Gallia Transalpina imperio adicitur, vicerunt Romae nobilium contra leges Sempronias studia, profligata est caussa popularis, ceciderunt M. Fulvius et C. Gracchus, restituta est optimatium factiosa dominatio, restituta angusta illa foris domique administrandae reipublicae ratio. Nihilo vero minus cum parta utique esset nova provincia neque sublata cum seditione seditionis caussa sive misera illa magnae civium Romanorum partis condicio, impedire non potuerunt optimates, quo minus ferretur lex, ut Narbonem utpote locum inprimis opportunum civium Romanorum deduceretur colonia. Dissuasit scilicet legem nobilitas, sed, ut refert Cicero, L. Licinius ille Crassus, qui postea summa eloquentiae fama inclaruit, tum autem adolescens popularem, ut moris erat, viam ingrediens ad rempublicam accesserat, non solum pertulit illam

legem, sed etiam ut ipse coloniam deduceret obtinuit.[28]) Atque iam demum cum exlsteret locus, ubi Romana lingua, Romanum ius civile, Romani mores medios inter provinciales homines exercerentur, rite a Romanis occupata erat haec regio. Sicut autem quae in Graeciam deducta est Corinthus colonia appellata erat Iunonia, Carthago Veneria, sic Narbo in honorem Dei Martis, qui provinciam Romanis comparaverat, Martius est appellatus. Civium vero Romanorum ius habuisse eos, qui in hanc coloniam ex Italia sunt deducti, ut ipsa origo coloniae docet, ita diserte probat Ciceronis ille locus: 'Est in eadem provincia Narbo Martius, colonia nostrorum civium.'[29])

At praeter hanc unam alia tum quidem non est condita in hac provincia a Romanis colonia. Dicit quidem Livius[30]) coloniam Aquls Sextiis constituisse Sextium, Latinam scilicet, cum Augusti etiam aetate oppidum Latinum esset haec civitas, neque prorsus alienum fuisset a Romanis iam illius aetatis institutis, Latinas colonias constituere inter peregrinos, unde postea prodirent oppida civium Romanorum; nam extant eius rei exempla Agrigentum Siciliae, conditum[31]) a. 207, Carteia Hispaniae, condita a. 171. Nihilo tamen minus recte viri doctissimi Madvig et Mommsen videntur dubitare de Latino iure Aquis iam tum tributo, praesertim, cum ut animadvertit Mommsen, Livio obstet Strabo, φρουράν sive castellum appellans Aquas Sextias. Quod disertum Strabonis testimonium confirmatur aliorum scriptorum silentio: nam neque Velleius quo loco colonias a Romanis liberae reipublicae aetate deductas enumerat, quamquam mentionem facit Aquarum Sextiarum, apud quas devicti sint Sallues, dicit de coloniae Latinae iure, neque bello Teutonico, quo summi momenti fuisset colonia Aquis Sextiis constituta, alio modo mentio fit huius loci quam ita ut Plutarchus dicat, venisse Teutonas usque ad Aquas quae appellentur Sextiae, neque denique Cicero in oratione pro Fonteio, ubi plus semel

28) Cic. Brut. 43, 160 pro Cluent. 51, 140.

29) Cic. pro Fonteio 5, 13.

30) Cfr. locum supra n. 20 allatum.

31) Mommsen, Roem. Gesch. 1, 599. 2, 4. Idem, Roem. Münzwesen 663 n. 1. 669.

quidquid Romani nominis, quidquid foederatarum civitatum, quidquid omnino amicorum populi Romani illa aetate in provincia erat, enumerat, ullo modo nominat Aquas Sextias. Quod Plutarchi praesertim et Ciceronis silentium facile explicatur, si castellum modo sive praesidium civium Romanorum in ea regione erat, si res publica Latino iure constituta, nullo modo intellegitur. Ad quod cum accedat, quod nummi non extant Aquis Sextiis signati, ubi sine dubio signati essent, si Latina civitas ea fuisset, nihil aliud quam castellum sive praesidium militum Romanorum Aquis Sextiis esse constitutum nos quoque statuimus[32]), atque quod Tolosae quoque perpetuum militum Romanorum praesidium fuisse invenimus[33]), hoc eo tantum differebat ab Aquis Sextiis, quod constitutum erat in medio barbarorum oppido, Aquae autem loco destructi oppidi Gallici ut novae prorsus urbis initium.

Iam vero condita colonia, dispositis praesidiis, seposito quem pro publico habere voluerunt agro, definito unius cuiusque civitatis territorio, constituta igitur externa provinciae forma, ut prorsus absolutum esset ordinandae provinciae opus, statuendum etiam erat, quae cuiusque civitatis erga imperium Romanum essent officia, quod praesidis in singulas civitates imperium, quibus cuiusque reipublicae cives inter se legibus viverent et uterentur, quae denique universae provinciae interior constitueretur forma sive lex. invenerunt autem Romani, cum trans Alpes considerent, genera rerum publicarum duo, civitates Gallicas et oppida Graeca, quae duce Massilia per oram erant dispersae. Quae ambo genera cum antea pro dominis eius regionis fuissent, nunc instituta dominatione Romana locum obtinuerunt peregrinorum, in omnibus reliquis autem rebus toto coelo inter se differebant. Nam, ut de Gallis incipiamus, primum ut natura ferebat, omnibus civitatibus libertas ita est adempta, ut clientelas neque intra neque extra provinciam cum aliis civitatibus inire iam liceret, quod eo facilius poterat prohiberi, quoniam, cum Arvernorum bello huius gentis in meridionales Gallos potestas fracta esset, Aedui autem Romanorum es-

32) Strabo IV. p. 180. Vell. 1, 15. Plut. Mar. 18. Madvig opusc. acad. p. 290. Mommsen, Roem. Gesch. 2, 163.
33) Dio frgm. 90 Beck. cfr. infra not. 36.

seut foederati, nemo iam in ea parte Galliae erat, qui patrocinium posset exercere. Deinde quaecunque bello subactae erant civitates, stipendiariae factae sunt ea ratione, ut non solum annua penderent stipendia, sed etiam ad bella populi Romani et militum numerus et commeatus quovis tempore iis posset imperari atque hoc modo prope dediticiorum loco haberentur. Quae stipendiorum et auxiliorum ratio quantopere rectoris provinciae arbitrio obnoxia fuerit, vides ex iis, quae de Fonteio propraetore refert Cicero.[34]) Sed ut omnino moris erat apud Romanos, varietatem quandam iuris inter cuiusque provinciae civitates instituere, ita in Gallia quoque fuisse, quae e communi civitatum barbararum sorte exemptae meliore uterentur iure, probat primum Ciceronis ille locus, quo distinguit eos, qui optima in caussa sint ab iis, qui bello superati et oppressi pro dediticiis sint habiti[35]), probat deinde exemplum Tolosae primae tum civitatis Gallicae, quam ante Caepionem praesidem provinciae *ἔνσπονδον* sive foederatam fuisse testatur Dio.[36]) Possis quidem dubitare de foedere Romanorum cum Tolosatibus, quoniam idem scriptor eodem loco de praesidio dicit militum Romanorum in urbe Tolosa constituto; cum vero Tolosa ultimum ab hac parte esset provinciae oppidum vicinumque hostilibus Aquitaniae nationibus, fieri potuit, ut milites ad tuendos fines in ipso oppido collocarentur neque tamen minus Tectosagum gens foederatae civitatis gauderet nomine, idque eo magis, quod, ut supra exposuimus non bello, sed voluntaria deditione Romanis se subiecisse videntur Volcae. Contra quod apud Plinium Narbonensis provinciae civitates recensentem foederati dicuntur Vocontii, quae ab altera Rhodani parte circa Drunam (*Drôme*) fluvium considebat gens, hoc Vocontiorum foedus ideo non ad institutae primum provinciae aetatem referendum censeo, quia in Ciceronis pro Fonteio oratione agitur de bello Romanorum cum Vo-

34) Cic. pro Font. 6, 13.

35) Ibid. 12, 26.

36) Dio frgm. 90 Beck: *Τόλοσσαν πρότερον μὲν ἔνσπονδον οὖσαν τοῖς Ῥωμαίοις, στασιάσουσαν δὲ πρὸς τὰς τῶν Κίμβρων ἐλπίδας ὡς καὶ τοὺς φρουροὺς δεθῆναι.*

contiis[37]), quod bellum necessario impedivit, quo minus post Fonteium foederatorum loco essent Vocontii; ante Fonteium autem vix erat, quod gens bello Allobrogico victa foedere donaretur. Ceterum nemo non intelleget, eiusmodi Romanorum cum barbaris provincialibus foedus non ita esse intellegendum, ut in exteris rebus ulla libertate fruerentur Tolosates sive qui alii erant foederati; immo omnis eorum libertas in eo videtur constitisse, ut stipendiarii non essent, i. e. annua non penderent stipendia; contra ut, sicut ipsi Romanorum invocare poterant contra hostes auxilium, ita ad bella a Romanis gerenda suppeditarent auxilia, ipso foedere erat impositum, ideoque Cicero ubi (l. c. not. 35) eos, qui optima in caussa fuerint, equites, frumentum, pecuniam semel atque iterum ac saepius invitissimos dare coactos esse dicit, illos videtur designare, qui foederatorum loco erant. — Quo modo cum erga Romanos statuta essent Gallorum officia, in internis rebus, excepta Gallica Narbonis oppidi civitate, haud ita multum videtur esse mutatum. Et primum quidem integrarum rerum publicarum nomen ita saltem iis esse concessum, ut propriis nummis uterentur, eius rei viva quasi habemus testimonia. Diximus supra de eo nummorum Gallicorum genere, quod ad exemplum Massiliensium signatum pondus, signum, litterarum formam habebat a Graecis; quibus nummis iam succedunt alii, qui Latinis litteris inscripti signa habent ad Romanorum nummos formata, pondus autem retinent Massiliense. Qui nummi non solum haud raro inveniuntur intra ipsius provinciae fines, sed etiam ex parte quidem nomen gentis, cuius erant, prae se ferunt, ut exempli gratia VOL AR litterae nihil aliud possunt significare quam Volcarum Arecomicorum nomen; praeterea quae praeter nomen gentis frequentius inscripta leguntur vocabula, quamquam, cum compendiis verborum scripta eaque barbara sint, ipsa nomina iam non possunt erui, videntur tamen esse nomina principum[38]), ut appareat, in

37) Cic. pro Font. ante cap. 10: '*de bello Vocontiorum*', cuius loci expositio deperdita est.

38) Barbaros nummos Romanorum aetate in Narbonensi provincia signatos exhibet De la Saussaye, Numismatique p. 126 (Allobrogum), 132 (Vocontiorum), 135 (Cavarum), 148 (Volcarum Arecomicorum), 155 (Nemausi), 177 (Ucetiae), 180 (Sextantionis). Contra Mommsen,

hoc quoque vetera instituta servasse Gallicas civitates, ut sub indigenis essent principibus. Iam vero cum eodem fere tempore quo haec Transalpinae regionis pars Romanorum facta est, per quasdam meridionalis Galliae partes ita novarentur Gallorum instituta, ut in locum regni a patre filio mandati institueretur procerum sive equitum dominatio, quae non nisi annuum Vergobreti, ut dicebatur, magistratum pateretur[39], quaeritur num eiusdem motus in provincia quoque Rom. inveniamus vestigia. Et certa quidem desunt testimonia, nam quod dicunt Plutarchus de Copillo, duce Tectosagum contra Romanos rebellantium, et Cassius Dio de Catugnato, Allobrogum contra Romanos duce[40], inde cum de singularibus bellorum casibus ibi agatur, nihil concludas. Contra quod inter nummorum multitudinem haud parvam tam pauci tantum inveniuntur principum nummi, inde concludere possis, perpetuum potius quam annuum fuisse principum Gallicorum etiam sub Romanis magistratum. Omnino autem cum Romanorum non interesset, ut factionum contentiones inter indigenas orirentur, commodiores iis debuerunt esse reguli perpetui, quorum sublato illo, quod in cives suos habuerant, iure vitae necisque, modica esset potestas.

Quo modo autem concessum sit Gallis, ut in rebus privatis propriis principibus uterentur iudicibus, quaeque druidum legitima

---

Roem. Münzw. p. 674 n. 36 sq. neqne haec omnia reclpit et alia adicit, quae suppeditavit Lagoy, unde haec efficinntnr: 1. VOL·AR — *caput Apollinis* aut *equus prosiliens*, adiecto in quibusdam nummis signo rotae. 2. MASVS — *hippocampus* 3. ANA 4. ROVV—CN·VOL sive VOLVÑ, quos nummos De la Sauss. tribuit Vocontiis. 5. ROVV—CAL 6. BRI—COMA 7. COSSI—CALITIX 8. VIRODV—TVROCA 9. AABILI—EBVRO, qui nnmmi (3—9) pro signis habent caput Minervae et equitem, sive signa ex nnmmis Romanis desumpta; accedit fortasse 10. NID—AL. ABЬOΔΠOC — *equus prosiliens, super quem tres videntur stellae* (De la Sauss. p. 126). Quibus nummis simillimi sint Aquitanici illi Turonum Mionnet, Descript. de méd. ant. 1, p. 64.

39) Caes. b. g. 1, 3. 16. Strabo IV. p. 197: *ἀριστοκρατικαὶ ἦσαν αἱ πλείους τῶν πολιτειῶν· ἕνα δ' ἡγεμόνα ᾑροῦντο κατ' ἐνιαυτὸν τὸ παλαιόν, ὡς δ' αὔτως εἰς πόλεμον εἷς ὑπὸ τοῦ πλήθους ἀπεδείκνυτο στρατηγός.* cfr. Thierry, Hist. des Gaulois 2, 107 sqq. Mommsen, R. G. 3, 221, snpra p. 34 sq.

40) Plnt. Snlla 4: *πρεσβεύων ἡγεμόνα Τεκτοσάγων Κόπιλλον εἷλε.* Dio 37, 47: *Κατούγνατος, ὁ τοῦ παντὸς αὐτῶν ἔθνους στρατηγός.*

intra provinciam fuerit auctoritas, neque exemplo ullo illustratur neque cum alia in aliis provinciis, alia ab aliis eiusdem provinciae praesidibus de hac re statuerentur[41]), ex generali ratione perspicuum est. Utique quaecunque indigenis in deditionem receptis concessa erat libertas, eam beneficii potius caussa et ad tempus concessam quam iuris instar et certis condicionibus ordinatam habebant.

Alterum peregrinarum civitatum genus fuisse vidimus Graecas quae per oram maritimam dispersae erant colonias sive Massilienses et qui sub imperio eorum erant reliquos Graecos. Quibus, qui per omne Romanorum cum Gallis bellum perpetuam fidem servarant, non erat quod aequum foedus quo antea erant usi imminueretur, immo auctos territorio ex eo certamine prodiisse supra narravimus. In eo tamen foederis illius utilitas imminuta Graecis est, ut quae in foedere posita erant erga Romanos officia, quo propriores hi erant, eo maiora eoque minus commoda evenirent, atque illud ipsum territorii incrementum ea tantum condicione iis est concessum, ut in usum exercituum Romanorum viam secundum oram sternerent stratamque conservarent.[42]) Neque minoris momenti erat, quod quam antea per ea aequora soli exercuerant dominationem maritimam, iam cum novis dominis communicabant.

Restant iam qui in reipublicae formam iuncti in provincia degebant cives Romani. Invenimus extitisse in provincia unam coloniam civium Romanorum, qui ex Italia deducti erant in oppidum a Gallis conditum, extitisse praeterea complura castella sive praesidia militum Romanorum, quorum duo apud scriptores veteres nominantur, Aquae Sextiae et quod Tolosae constitutum erat praesidium. De Narbone autem si agimus, prius-

41) Cfr. Cic. ad Att. 6, 1, 15: *ego — multa sum secutus Scaevolae, in iis illud, in quo sibi libertatem censent Graeci datam, ut Graeci inter se disceptent suis legibus. Graeci vero exultant, quod peregrinis iudicibus utuntur.*

42) Strabo IV. p. 203: *τοσοῦτον ἴσχυον* (*οἱ Λίγυες*), *ὥστε μόλις στρατοπέδοις μεγάλοις πορευτὴν εἶναι τὴν ὁδόν, ὀγδοηκοστὸν δ' ἔτος πολεμοῦντες* (*οἱ Ῥωμαῖοι*) *διεπράξαντο μόλις, ὥστ' ἐπὶ δώδεκα σταδίους τὸ πλάτος ἀνεῖσθαι τὴν ὁδὸν τοῖς ὁδεύουσι δημοσίᾳ.* cf. IV. p. 180.

quam ad colonorum eo deductorum accedamus condicionem, quaeritur primum, quod indigenarum in hac urbe post deductam coloniam fuerit ius. Et Zumpt[43]) quidem Pomponii Melae illi loco insistens, ubi Atacinorum Decumanorumque coloniam Narbonem appellat, Atacinorum nomine iudicat significari indigenas, eosque ita ad unam cum colonis civibus Romanis iunctos esse rempublicam, ut latinitate donati iisdem legibus publicis parerent ac coloni. Atque communem fuisse indigenis colonisque rempublicam, communes leges publicas, communes magistratus, utique tenendum est; quod autem de mutato in latinitatem Zumpt dicit indigenarum statu, potuisse quidem hoc ita se habere non negaverim, at cum aliter in aliis coloniis de indigenis statuisse Romanos ipse Zumpt abunde probaverit[44]), neque quidquam de Narbone sit traditum, illa Atacinorum Decumanorumque nomina non sufficiunt, ut hominum genera iure diversa inde eruamus. — A iure populi ad magistratus oppidi Narbonis si transimus, una eius urbis inscriptio (append. epigraph. n. 16) quae ut satis antiqua est, ita ultra Augusti aetatem vix recedit, commemorat praetores duumviros. Iam vero Italicorum oppidorum exempla docent, si in quo municipio sive in qua colonia praetorum municipalium nomen invenitur, et antiquius id esse nomine duumvirorum vel quattuorvirorum et recedere ad initium admissi in populi Romani ditionem oppidi; docent praeterea, cum duumvirorum seu quattuorvirorum titulus Sullana demum aetate, qua tota Italia municipiis civium Romanorum descripta est, novo huic municipiorum generi imponeretur, quaecunque oppida Italica ante belli Marsici tempus ita constituta erant, ut proprios magistratus haberent, in iis omnibus praetores appellari summos magistratus municipales, cuius rei exempla sunt Castrumnovum et Cumae[45]), oppida civitate Romana ante bellum Marsicum donata. Alienum

43) A. W. Zumpt, Comment. epigraph. p. 314 not. 2.

44) Ibid. p. 464 sqq.

45) Castrumnovum Piceni colonia civ. Rom. deducta est ante ann. a. Ch. 264 (cfr. Marquardt, Handb. der roem. Alterth. p. 18), Cumis Campaniae plena civitas concessa est inter ann. a. Ch. 180 et bellum Marsicum (Momms., Gesch. des roem. Münzwesens p. 336). Praetores Castronovanos habes Or.-Henzen 7026, Cumanos ibid. 2263.

quidem erat ab antiqua Romanorum in oppidis constituendis ratione propriorum magistratuum in oppidis civium Romanorum institutum, ut quae administrarentur aut a magistratibus urbanis aut a praefectis iuri dicundo ex urbe missis, at sicut eiusmodi administrationis difficultatibus et incommodis permoti sunt Romani, ut post bellum Marsicum omnibus oppidis Italicis proprios concederent magistratus, ita quibusdam oppidis iam ante Sullanam aetatem concesserant hoc commodum. Quae cum ita sint, Narbone cum praetores inveniamus aetate Augusti, duumviros in inscriptionibus Augusto posterioribus, praetores illi non solum antiquiores sunt duumviris, sed recedunt etiam ad originem coloniae, ideoque cum ex priore Romanorum consuetudine magistratus Narbonensis vice fungi deberet praeses provinciae sive praefectus ab eo institutus, huic quoque coloniae eadem liberalitate atque Castronovo et Cumis, proprii magistratus sunt concessi.[46]) Quam liberalitatem Mommsen[47]) popularium tribuit consiliis, qui ut omnino condendis coloniis transmarinis, propaganda civitate Romana, propagandis institutis municipalibus acrius institerint, ita coloniis municipiisque ipsorum impulsu conditis ne splendidiora quidem magistratuum Romanorum nomina inviderint. Quod propriorum magistratuum ius non impedivit, quo minus populi Romani omnia iura institutaque haberet ea colonia, populi Romani legibus esset astricta, communibus populi Romani nummis, non propriis uteretur, pro integra denique imperii Romani parte esset; atque eorum ipsorum oppidorum exemplo Romani didicerunt ita instituere singula municipia, ut et partes imperii essent et rempublicam haberent a communi republica distinctam sive ut eadem iurisdictio, quam antea publici magistratus urbani vel provinciales exercuerant, iam per annuos magistratus municipales exerceretur. Ceterum ad quas res pertinuerit haec municipalium magistratuum et iurisdictio et administratio, qui praeter illos praetores alii extiterint minores magistratus, quae alia fuerint instituta municipalia,

46) Quae succincte de praetoribus hic exposita sunt, largius demonstrata habes in dissertatione mea *de praetoribus Gall. Narb. municipalibus. Lipsiae 1862.*

47) Bullettino archeol. 1862 p. 54.

de his omnibus cum desint testimonia imperatorum aetate anteriora, commodius erit, infra disserere.

Cum coloniae Narbonis proprium esset, suam habere rempublicam, quae Aquis Sextiis et Tolosae aliisque locis constituta erant praesidia, quamquam in iis quoque maior civium Romanorum numerus in unum corpus coierat et quamquam eiusmodi praesidia sive castella ad municipalem non minus quam ad militarem rem pertinebant, iure tamen civitatis carebant. Eodem modo in inscriptione Orelliana n. 3121, quae ad annum pertinet a. Ch. 117, castellanos habes Langenses Viturios constitutos prope Genuam medios inter Ligures Cisalpinos, sicut inter Ligures Transalpinos constitutae erant Aquae Sextiae: quorum ex controversia cum conterminis Genuatibus apparet, qui in eiusmodi castello erant collocati, eos eadem fuisse condicione atque conciliabula sive fora civium Romanorum, cui generi compluribus locis castella aequiparantur.[48]) Habebant enim haec loca omnia suum quidem agri territorium, suos fines, carebant autem propria iurisdictione et aut sub iurisdictione erant praetoris Romani sive eius cui hic mandabat, aut attributa erant proximae civium Romanorum reipublicae eiusque parebant magistratibus. Aquae igitur Sextiae et Tolosa aut attributae erant Narboni aut, id quod verisimilius est, sub praesidis provinciae erant iurisdictione, sicut eiusdem parebant imperio militari. Quod autem Strabo[49]) non solum *φρουράν* sive castellum, sed etiam *πόλιν* sive oppidum dicit Aquas, hoc explicatur lis, quae Tacitus de similibus refert castellis. Sicut enim hic castellum commemorat in Helvetiis constitutum, quod amoeno salubrium aquarum usu frequens longa pace in modum municipii constructum sit, itemque alio loco refert, circa Castra Vetera, quae castelli instar in Batavis erant, per longam pacem opera esse in modum municipii extructa, quae ne hostibus usui forent, imminente bello solita essent subverti[50]), ita apud aquas Salluviorum salubres haud dubie circa castellum et indigenarum et mercatorum con-

48) Cfr. Marquardt, Handb. d. roem. Alterth. 3, 1, 51 n. 36.
49) Strabo IV. p. 180.
50) Tacit. hist. 1, 67. 4, 37.

sedit multitudo et primum speciem municipii praebebat ei loco, postea autem effecit, ut speciem sequeretur ius civitatis.

Instituta igitur erat novae provinciae forma, definiti fines, constitutus interni status ordo atque ita saltem pacata haec regio, ut per complures annos tranquilla omnia essent et tuta. Restabat quidem summarum Alpium occupatio, quae nisi per longa cum gentibus Alpinis certamina non poterat suscipi, at illo tempore neque Romani de occupandis interioribus Alpium iugis cogitarunt satis habentes, viam secundum littus ducentem apertam sibi servare, neque gentes Inalpinae ultro Romanis bellum intulerunt. Quid quod adeo segnes in occupandis Alpibus erant Romani, ut ne in Subalpinis quidem montibus, qui Massiliae imminebant, ante Iulium Caesarem eo pervenirent, ut Ligures ibi considentes et latrociniis omne littus infestantes domarent.[51]) Quod eo memorabilius est, quod eodem tempore per omnem Galliae Transpadanae et orae maris Veneti tractum ad Alpium radices adierant ibique continuo et lacessebant gentes Alpinas et ab iis lacessebantur, ideoque tanto magis debuerunt permoveri, ut postquam constiterunt in provincia Transalpina, ab utraque iam montium parte Alpinos intermedios tentarent comprimere et contractis utrimque viribus aliquot annorum labore libera ab hostibus iuga ac tutum in provinciam suam habere aditum.

Qui cum esset iners rerum in regione Transalpina status, non mirum est quod inde a Cn. Domitio usque ad Cimbrorum ad fines provinciae adventum ne nomina quidem rectorum provinciae ad nos pervenerunt. Irruperunt autem Cimbri in Galliam primum anno 109̊, atque haec est, quae ad provinciam Transalpinam pertinet succincta bellorum Cimbrici et Teutonici historia: Cum devicto in Alpibus Noricis Cn. Papirio Carbone consule Cimbri secundum Galliae Transpadanae fines usque in lacus Lemanni viciniam venissent, missus est in

51) Strabo IV. p. 203: *πρώτους δ' ἐχειρώσαντο Ῥωμαῖοι τούτους* (sc. *τοὺς Κελτολίγυας*) *τῶν ὑπεραλπίων Κελτῶν πολὺν χρόνον πολεμήσαντες καὶ τούτοις καὶ τοῖς Λίγυσιν, ἀποκεκλεικόσι τὰς εἰς τὴν Ἰβηρίαν παρόδους τὰς διὰ τῆς παραλίας· ὀγδοηκοστὸν δ' ἔτος πολεμοῦντες κ. τ. λ.* cfr. n. 42. Octagesimo fere post invasos primum Salluvios Iulius Caesar novam provinciae formam instituit.

provinciam anno 109 M. Iunius Silanus consul, qui ab introitu agri Romanis subditi Germanorum agmina arceret. A Silano autem cum frustra sedes agrosque per pacem concedendos postulassent, denegatas preces secuta est acris pugna, ex qua victores exierunt Germani[52]: post quam dum Cimbri ad senatum Romanum iam mittunt legatos, qui item de sedibus agrisque concedendis agerent, Germanorum sive exemplo excitati sive vi coacti Tigurini cum Toygenis, qui Helvetiorum pagi provinciae erant finitimi, et ipsi ex sedibus suis egressi provinciam invadunt atque, postquam per montem Cebennam ad Oceanum usque pervenerunt, ibi a. 107 novum consulem L. Cassium Longinum, qui viam eorum tentaret impedire, insidiis circumventum ita devincunt, ut caeso duce Romano qui ex ea clade supererant milites contenti essent pacisci, ut obsidibus datis et dimidia rerum omnium parte relicta ipsi incolumes dimitterentur.[53] Quae dum in Gallia geruntur, redeunt interea Cimbrorum legati a senatu quoque Romano repulsam referentes, atque tam serio de repellenda iam barbarorum invasione cogitare coepit senatus, ut non solum anni 106 consul Q. Servilius Caepio cum exercitu in provinciam iret, sed, cum propius in dies instaret periculum, anno 105 et Caepioni prorogaretur imperium, et Cn. Mallius Maximus cum alio exercitu Caepioni in auxilium mitteretur. At pessimis ipsorum ducum consiliis ne nunc quidem melior Romanis evenit successus. Nam quamquam Caepio primo quidem imperii sui anno rebellantes Tolosanos, qui Cimbrorum adventu ad libertatis spem erecti milites Romanos praesidii loco apud se degentes in vincula coniecerant, facili negotio ad obsequium reduxerat[54], non solum rapto templi Tolosani

---

52) Liv. epit. 65: *M. Iunius Silanus consul adversus Cimbros infeliciter pugnavit; legatis Cimbrorum sedem et agros in quibus consisterent, postulantibus senatus negavit.* cfr. Flor. 3, 3, 1—4.

53) De loco huius pugnae differunt inter se Livius et Orosius, ex quibus ille dicit (epit. 65): *L. Cassius cos. a Tigurinis Gallis — in finibus Allobrogum cum exercitu caesus est*, hic (5, 15): *L. Cassius cos. in Gallia Tigurinos usque oceanum persecutus rursusque ab iisdem insidiis circumventus occisus est.* Commemorat hanc cladem etiam Caesar bell. gall. 1, 7. 12. Toygenos Tigurinis addit Strabo VII. p. 293. Ceterum cfr. Mommsen, Roem. Gesch. 3, 174 not.

54) Dio Cass. fragm. 90 Beck. cfr. supra n. 36.

thesauro[55]) provincialium animos exacerbavit, sed contra Cimbros quoque ille praesertim ad malum exitum rem Romanam perduxit. Dum enim in Volcarum etiam agro Caepionis proconsulis exercitus constiterat, consul autem Mallius in sinistra Rhodani se tenuerat ripa, Cimbri in Allobrogum fines irrumpentes vicerant primum M. Scaurum consularem, qui consulis legatus primo hostium impetui obiectus erat, et deinde contra ipsum consulem se moverant. Tum Caepio a consule advocatus Rhodanum quidem cum exercitu traicit, sed continua contentione et invidia cum collega suo certans, primum quo minus fortiter agat, eum moratur, deinde cum interea Cimbri ad Arausionem usque progressi essent, territi autem maioribus quam expectaverant Romanorum viribus denuo de pace coepissent agere, interrumpit colloquium de hac re factum, et consecuta est pridie Nonas Octobres a. 105 infelix illa apud Arausionem pugna, qua duo permagni exercitus Romani tam funditus eversi sunt a barbaris, ut decem tantummodo homines, qui miserum nuntium reportarent, superfuisse referantur.[56]) Nihilo minus ne tum quidem Cimbri in Italiam conantes invadere, sed nullo exercitu resistente occidentem versus agmina sua moventes vastatis omnibus quae inter Rhodanum et Pyrenaeum erant in Hispaniam sunt transgressi. Interim cum Romae inter luctum publicum et terrorem pugna Arausiensi excitatum Marius ut ultima reipublicae spes consul factus esset et gerendo bello Cimbrico praepositus, denuo in provinciae Transalpinae solo praeparatum est armorum discrimen Mario a. 104 Alpes cum exercitu transgresso, ubi expectaret, dum hostes ex Hispania redirent. Hic vero valde labefactatam invenit indigenarum erga Romanos fidem, rebellantes Copillo duce Tectosages[57]), hostilia agitantes

55) De auro Tolosano primum a Caepione Tolosae in usum reip. Romanae capto, deinde per vim in suum usum ablato agunt Cic. de nat. deor. 3, 30, 74. Strabo IV. p. 188. Iustin. 32, 3. Gell. noct. Att. 3, 9.

56) De pugna Arausiensi et iis quae antecesserunt vide praesertim Liv. epit. 67. Dio Cass. frgm. 91 Beck. Oros. 5, 16. Gran. Licinian. p. 17 Bonn.

57) Plutarch. Sulla 4.

alias quoque Gallicas Ligustinasque civitates.[58]) Et primum quidem Tectosagum rebellionem Marius per Sullam, quem legatum in Gallia quoque habebat, armorum vi coërcuit, hostilia autem Gallorum consilia prudenter praevenit, denique per biennium maximo opere id egit, ut alium quam Cassii et Caepiones militem ad imminentem pugnam sibi formaret. Quo modo cum quidquid auxilii in provincia et copiarum invenit, ad suum usum traxisset, et apportando commodius commeatu fossa illa, quae faciliorem a mari in Rhodanum introitum efficeret[59]), prospexisset, in sinistra Rhodani tuto consistens confidenter hostium agmina ad Alpium radices expectabat, Italiae aditus ab iis defensurus.[60])

Quae dum Marius ad Rhodanum praepararat, reversi erant Cimbri ex Hispania anno 103, neque vero statim provinciam Romanam petierant, sed per ulteriorem Galliam erant vagati, ibique, cum consanguineam Teutonorum gentem invenissent, cum his de Italia a duabus partibus invadenda ita convenerant, ut ipsi trans Rhenum regressi in Galliam Transpadanam irrumperent, Teutoni per provinciam Romanam et Graiarum sive Maritimarum Alpium iugum viam in Italiam facerent.[61]) Inde quae evenerint cum inter omnes sint cognita et ab historiae Romanae scriptoribus satis large enarrata, summam rerum satis hic habebimus leviter attigisse. Invenerunt Marium Teutoni fortibus castris munitum iuxta Isarae Rhodanique confluentes; ubi postquam frustra per triduum circa Romanorum castra pugnarunt, praeter immobiles Romanos longa agmina sua praetervehentes procedunt usque ad viciniam Aquarum Sextiarum. Ibi cum paullum constitissent, Marius, qui vestigia hostium continuo agmine presserat, supervenit, hostes retinuit et pu-

58) Frontin. Strategem. 1, 2, 6: *C. Marius cos. bello Cimbrico et Teutonico ad excutiendam Gallorum et Ligurum fidem litteras eis misit, quarum pars prior praecipiebat, ne interiores quae praesignatae erant ante certum tempus aperirentur: easdem postea ante praestitutam diem repetiit et quia resignatas repererat, intellexit hostilia agitari.*

59) De fossa Mariana cfr. Strabon. IV. p. 183. Mela 2, 5. Plutarch. Mar. 15.

60) Plut. Mar. 15 sqq.

61) Cfr. Mommsen, Roem. Gesch. 2, 181.

gnavit memorabilem illam pugnam, qua per unam cladem ad internecionem redegit gentem nomenque Teutonorum.[62]) Quod alterius populi barbari fatum quae secuta sit contra Cimbros ab altera Alpium parte pugna, id persequi nostrum non est, cum de Transalpina provincia iam non amplius illic ageretur.[63]) Atque si quam excutiendae Romanorum dominationis spem victoriae Cimbrorum Gallicis gentibus ostenderant, post Marii victoriam ita eam videntur abiecisse, ut proximis annis ne

62) Qui fluvio Arc imminet collis *Montagne de Ste. Victoire*, ad eius radices pugnam a Mario commissam esse volunt, qui huius regionis gnari locum proelii quaesiverunt; quin sunt, qui ipsum collis nomen ad victoriam a Mario reportatam referant nec nisi medio aevo montem victoriae evenisse dicant montem sanctae Victoriae. — Ipsam pugnam describunt sive commemorant Plut. Mar. 18 sqq. Liv. epit. 68. Vell. 2, 12. Florus 3, 3. Oros. 5, 16 etc.

63) Hic est, quod de A. W. Zumptii opinione dicamus, qui a Mario demum finito bello Cimbrico sive anno a. Ch. 100 provinciam Transalpinam institutam esse censet, cum antea et haec regio et Transpadana Gallia pro partibus Italiae annexis fuerint (Studia Romana p. 15 sqq.). Et quod ad Narbonensem quidem Galliam attinet, argumenta Zumptii haec fero sunt: primum anno 124 dicit (Stud. Rom. p. 16) Eutropio auctore duos consules trans Alpes pugnasse, unam autem Italiam id iuris habuisse, ut a pluribus eodem tempore imperatoribus defenderetur, ergo Galliam Transalpinam partem tum fuisse Italiae. At Eutropium confundere Cn. Domitii Ahenobarbi nomen cum C. Sextio Calvino supra docuimus (not. 21), ideoque locus ille nihil demonstrat; praeterea reliqui omnes scriptores Sextium tantum in Gallia eo anno pugnantem faciunt. Quod autem usque ad Marium ubicunque gravius imminebat periculum, ipsi consules cum imperio in Gallia erant, neqnaquam probat provinciam eam non fuisse, neque enim abhorrebat id a reipublicae Romanae quae tum erat legibus, ut in provinciis aeque atque in Italia consules essent cum exercitu. Deinde quod Zumpt p. 23 sq. multiplicatos toties Marii consulatus intellegi posse negat, nisi cum Italia coniunctam fingamus Galliam Transalpinam, quodque sexti imprimis consulatus caussam eam fuisse vult, ut Galliam in provinciae formam redigeret Marius, haec iis tantum persuadebit, qui, quae proxima sunt eaque simpliciora, aspernantes remotissima quaeque sectantur. Senatum vero Romanum, vel qualis tum erat, eo processisse neglegentiae, ut per viginti fere annos et coloniam Narbonem et iter ex Italia in Hispaniam eo destitueret auxilio, quod in provinciae forma positum erat, nullo modo potest admitti.

de minimis quidem motibus quidquam referatur et vel rectorum provinciae nomina ignota sint.[64]) Quod autem anno 90 C. Caecilius, qui pro praetore provinciam rexit, Salluvios rebellantes refertur vicisse[65]), eo confirmantur illa, quae apud Strabonem de continuis Ligurum etiam sub Romanorum imperio rebellionibus supra invenimus[66]); neque vero maioris momenti eiusmodi contra latrones potius quam contra hostes expeditiones fuerunt.

Quem tranquilliorem provinciae statum sequitur iam illa turbarum Marianarum aetas, a qua cum omne imperium Romanum in duas partes divisum esset et bellum ubique saeviret, ne Transalpina quidem regio prorsus erat aliena. Et initio quidem belli Mariani de hac imperii parte nihil aliud constat quam per illud tempus, quo per occidentem ubique Mariana res superior erat, Galliam quoque a Marianis rectoribus esse administratam, ipsius autem belli fuisse expertem. Verum ex quo mortuis Mario Cinnaque et afflictis Marianorum in Italia et in oriente rebus in Hispaniam bellum transferre coeperat Sertorius, nostrae quoque provinciae sors in peius coepit mutari. Cum enim a 83 in provincia C. Valerium Flaccum inveniamus iam imperatoris titulo insignem, sive a Marii sive a Sullae partibus tum stetit Flaccus, victoriam illam, quae tituli caussa erat, utique de gentibus Gallicis necesse est reportaverit; quin idem Flaccus cum a. 81 non ex Gallia tantum sed ex Celtiberis quoque trium-

64) Intra annos 100 et 90 Pighius (Annal. III. p. 217) et Zumpt (Stud. Rom. p. 25) ponunt M. Porcium Catonem, qui pro praetore in Gallia Narbonensi fuerit. Quod enim Gellius (noct. Att. 13, 20 Hertz) dicit: *hic nepos* (Catonis Censorii) *filium quidem maiorem Catonem habuit, sed non eum qui Uticae periit, sed qui cum aedilis et curulis et praetor fuisset, in Galliam Narbonensem profectus ibi vita functus est*, Zumpt censet, eam profectionem necessario publico sive ad regendam provinciam esse susceptam. At cur non privatus Cato potuerit proficisci, equidem non intellego; immo si pro praetore in provinciam missus esset, Gellius qui reliquos eius magistratus diligenter notavit, propraeturam diserte commemorasset. Ceterum haec quaestio cum aliud nihil de hoc Catone constet, minimi est momenti.

65) Liv. epit. 73.

66) Cfr. not. 42.

phasse referatur, transgressus Pyrenaeum inde quoque victor in suam provinciam videtur rediisse.[67])

Flacco quis in provincia successerit, ignotum est; contra in annum 77 designatum saltem praesidem fuisse M. Aemilium Lepidum, anni 78 consulem, comperimus ex Appiano[68]); at is cum sub finem consulatus sui ex Etruria bellum contra optimates Romanos moveret victusque eo bello brevi post in Sardinia moreretur, Galliam non vidit[69]), sed in eius locum L. Mallius pro consule eam suscepit. At interea cum contigisset Sertorio, ut renovaret contra optimates bellum, iterum ne Gallia quidem ab hoc bello aliena fuit. Itaque L. Mallium videmus a Q. Metello contra Sertorium in auxilium vocari, sed infelicissime rem ibi gerere; neque enim solum in Hispania ab Hirtuleio, Sertorii quaestore, victus est, sed etiam traus Pyrenaeum regressus in Aquitania ab indigenis interceptus est et ea quoque amisit, quae ex Hispania reduxerat, ut prope solus in provinciam suam rediret.[70]) Qua proconsulis Romani clade et felici

---

67) Cic. pro Quinctio 6, 24: *Romae egreditur ante diem II kal. Febr. Quinctius Scipione et Norbano cos.* (i. e. anno 83); ibid. §. 28: *Haec dum Romae geruntur, Quinctius interea de saltu agroque communi a servis communibus vi detruditur; — expulsus — confugit ad C. Flaccum imperatorem, qui tunc erat in provincia: quem, ut ipsius dignitas poscit, honoris gratia nomino. Is eam rem quam vehementer vindicandam putarit, ex decretis eius poteritis cognoscere.* Mox 7, 29 eiusdem, ut manifestum est, anni idus Septembres ut posterius tempus nominantur. Mansit igitur Flaccus in provincia usque ad medium fere annum 83. De triumpho dicit Licinian. p. 29 Bonn (ad ann. 81): *Et Murena ex Asia triumphavit et Valerius Flaccus ex Celtiberia et Gallia.* — Idem propraetor commemoratur a Iulio Caesare b. g. 1, 47: *C. Valerium Procillum, cuius pater a C. Valerio Flacco civitate donatus erat* etc. Denique nummum ab eodem Flacco, dum in Gallia propraotor erat, signatum affert Mommsen, Roem. Münzwesen p. 599 num. 227 not. 392, ubi vide, quae Mommsen exposuerit.

68) App. bell. civ. 1, 107: *κληρωσάμενος ὁ Λέπιδος τὴν ὑπὲρ Ἄλπεις Γαλατίαν ἐπὶ τὰ ἀρχαιρέσια οὐ κατῄει ὡς πολεμήσων τοῖς Συλλείοις τοῦ ἐπιόντος ἔτους ὑπὲρ τὸν ὅρκον ἀδεῶς.*

69) Lepidum, cum seditionem contra senatum moveret, Alpes non transisse neque ultra Etruriam progressum esse probat Mommsen (R. G. 3, 23 not. 2) ex Liciniano p. 43. 45 Bonn.

70) De clade Hispaniensi cfr. Liv. epit. 110. App. 1, 107. Plut. Sertor. 12, ubi pro *Λόλλιον*, quod habent codd., legendum est *Μάλλιον*; de eo quem in Aquitania Mallius passus est casu, v. Caes. b. g. 3, 20.

Sertorii successu non potuerunt non denuo in spem libertatis erigi Gallorum animi; itaque cum eodem anno Pompeius ex Italia ad bellum Hispanicum missus novo itinere per Alpes Cottias aperto in Galliam transcenderet, universam provinciam ab Alpibus ad Pyrenaeum rebellantem invenit nec nisi Gallorum internecione, ut dicit Cicero, iter in Hispaniam patefecit.[71]) Quibus in pugnis cum Massiliensium sine dubio auxiliis adiutus esset, agros Volcarum Arecomicorum Helviorumque, quae a dextra Rhodani Massiliae territorio finitimae erant gentes, huic urbi concessit.[72]) Atque tristissima tum provinciae Narbonensis debuit esse sors: namque Pompeius cum ad bellum Sertorianum pergere deberet, decessit quidem ex Gallia, sed reliquit ad pacandam provinciam M. Fonteium. Erat is M. ille Fonteius, quem contra Gallorum accusationes Romae postea defendit Cicero; cuius oratio ut omnino magni momenti est ad cognoscenda Narbonensis provinciae instituta, ita quae tum externa eius condicio fuerit, optime inde perspicias. Audiamus primum ea quae in clientis sui laudem Cicero affert: per id triennium quo huic provinciae praefuit M. Fonteius *qui erant hostes, subegit, qui proximi fuerant, eos ex iis agris, quibus a Pompeio erant mulctati, decedere coëgit; ceteris, ut semper populo Romano parerent, magnos equitatus ad ea bella, quae tum in toto orbe terrarum a populo Romano gerebantur, magnas pecunias ad eorum stipendium, maximum frumenti numerum ad Hispaniense bellum tolerandum imperavit.*[73]) His adde, quod sub finem anni

---

71) App. b. c. 1, 109: *ὁ δὲ (Πομπήϊος) ἐς τὰ Ἄλπεια ὄρη μετὰ φρονήματος ἀνῄει οὐ κατὰ τὴν Ἀννίβου μεγαλουργίαν, ἑτέραν δ' ἐχάρασσαν ἀμφὶ ταῖς πηγαῖς τοῦ τε Ῥοδανοῦ καὶ Ἠριδανοῦ.* Sallust. hist. frgm. 3, 11. Cic. de imp. Cn. Pomp. 11, 29.

72) Caes. b. civ. 1, 35.

73) Cic. pro Font. 6, 13. 14, 32. Quod triennium Zumpt (Stud. Rom. p. 6) fuisse dicit ann. 73—71, Klotz (Ciceronis opera V. p. 152) 77—75, Mommsen (R. G. 3, 210) 76—74. Potest autem ratio computandi inde tantum desumi, quod M. Fonteius mandata executus esse dicitur Pompei (pro Font. 6, 14); at quod Zumpt statuit, tum demum ea mandasse Pompeium, cum ex Hispania rediens in Gallia hibernaret, sive initio anni 73, id multo minus probabile est quam statim post profligatos a. 77 Gallos relictum esse Fonteium ad conficiendum opus ab ipso imperatore inchoatum. Utrum autem cum Klotzio ab

74 rediit in Galliam Pompeius, ut hiberna ibi haberet, adde quod idem ille Fonteius, merito scilicet, etiamsi frustra, a Gallis postea repetundarum accusatus est, ut qui aere alieno provinciam oppressisset, praetextu viarum munitionis quaestum iniquum fecisset, iniusta portoria exegisset, iniustum, ut videtur, contra Vocontios bellum gessisset, in disponendis militum Romanorum hibernis iniuriam fecisset indigenis, atque imaginem habes eorum, quae gentes illae per hoc tempus sint perpessae. Neque mirum iam est, quod exacerbati eiusmodi miseria Galli summa vi rebellarunt, atque tam acre bellum concitarunt, ut Narbo colonia obsidione liberanda esset a Fonteio et Massiliae quoque periculum a Gallis immineret. Ceterum profligato hoc tumultu pacataque provincia, prolati paullatim sunt imperii fines, cum Pompeius a. 72 in agro Convenarum, quae Aquitaniae civitas erat, ut Hieronymus[74]) dicit, latrones et convenas de Pyrenaei iugis deponeret, id est, profugos qui per Pyrenaeum errabant Sertorianos cum Convenis indigenis in unam urbem congregaret Lugudunum Convenarum (*Comminge*) idque oppidum militum haud duble praesidio muniret. Qua ratione contigisse postremum, ut quidquid a dextra Rhodani erat, iam in obsequio contineretur, non mirum est, praesertim cum paucissimae ibi essent gentes eaeque minus bellicae per agrum late patentem et facile ab exercitu occupandum.[75]) Contra ab altera Rhodani parte, ubi per inculta montium gentes considebant et frequentiores et ferociores, Gallorum animi nondum fracti erant neque inuitas ferebant praesidum iniurias. Itaque cum a. 66, quo anno bellum contra piratas Pompeius ges-

---

hieme anni 77 an cum Mommseno ab a. 76 propraeturam Fontei incipias parum refert.

74) Hieronymus adv. Vigilantium (Op. t. II. p. 121 ed. Bas.): *Respondet* (Vigilantius) *generi suo, ut qui de latronum et convenarum natus est semine, quos Cn. Pompeius e domita Hispania et ad triumphum redire festinans de Pyrenaei iugis deposuit et in unum oppidum congregavit, unde et convenarum urbs nomen accepit.*

75) Ad quod tempus infelix L. Valerii Praeconini in Aquitaniam expeditio, quam b. g. 3, 20 Caesar commemorat, referenda sit incertum est. Quod enim dicit Caesar: *in his locis* (sc. in Aquitania) *sibi bellum gerendum, ubi paucis ante annis L. Valerius Praeconinus legatus exercitu pulso interfectus esset atque unde L. Manilius — profugisset* etc., id non sufficit ad tempus definiendum neque ullo alio testimonio illustratur.

5*

sit, C. Calpurnius Piso proconsul Transalpinam provinciam regeret isque ut contra Pompeium e lege Gabinia delectus per Galliae oram imperantem invidiose, ita contra provinciales violenter ageret, Allobroges, etiam tum maxima ab hac Rhodani ripa gens, sumpserunt arma, sed iniquo Marte pugnantes profligati sunt.[76]) Si autem Cicero L. Licinium Murenam, qui post Calpurnium a. 64 pro praetore in Gallia Narbonensi fuit, laudat, quod aequitate diligentiaque perfecerit, ut cives Romani desperatas iam pecunias exigerent[77]), si deinde idem Cicero P. Clodium, Murenae in Gallia quaestorem, accusat mortuorum testamenta ibi conscripsisse, pupillos necavisse, nefarias cum multis scelerum pactiones societatesque conflasse[78]), ex illius laude non minus quam ex huius accusatione manifestum est, in hac quoque provincia sub optimatium dominatione actum fuisse de commercii securitate, actum de publica et privata erga provinciales fide. Quae cum ita fuerint, accidit, ut duobus annis postquam Murena, qui postremo, dum ipse Romae erat, Caio fratri administrandam vice legati provinciam commiserat[79]), de provincia decessit, iterum rebellarent Allobroges, iterum videlicet, ut non potuit non fieri, infelici exitu. Constat Allobroges cum post illam contra Pisonem rebellionem aere alieno oppressi Romae a senatu adversus magistratuum avaritiam auxilium tentassent petere ibique repulsam tulissent, inopes consilii in proditione Catilinae auxilium quaesivisse.[80]) Decreta sunt legatis Allobrogum proditionis praemia[81]), sed cum misera ipsius civi-

---

76) Dio 36, 21: *τοῦ Πίσωνος μὴ ἐπιτρέψαντος τοῖς ὑπάρχοις, καταλόγους ἐν τῇ Γαλατίᾳ τῇ Ναρβωνησίᾳ ἧς ἦρχε ποιήσασθαι, δεινῶς ὁ ὅμιλος ἠγανάκτησε καὶ εὐθύς γ' ἂν αὐτὸν ἐκ τῆς ἀρχῆς ἐξήλασαν, εἰ μὴ ὁ Πομπήϊος παρῃτήσατο.* Cic. ad Att. 1, 15: *Scito, primum me non esse rogatum sententiam praepositumque esse nobis pacificatorem Allobrogum* (sc. C. Pisonem).

77) Cic. pro L. Murena 20, 42.

78) Cic. de harusp. resp. 20, 42.

79) Sallust. Cat. 42 extr.: *item in ulteriore Gallia C. Murena qui ei provinciae legatus praeerat* (sc. complures in vincula coniecerat); ibid. init.: *iisdem fere temporibus in Gallia citeriore atque ulteriore — motus erat.* Agitur de anno 63.

80) Sallust. Cat. 40 sqq.

81) Ibid. c. 50.

tatis condicio nullo modo mutaretur, nihil restitit, quam ut denuo ex armorum discrimine auxilium repeterent. Et initio quidem, cum coniurationis instar repente bellum excitatum esset, Catugnato duce quidquid Gallorum circa Isaram considebat ad bellum contra Romanos rapuerunt. Praeerat tum, i. e. anno 62, provinciae C. Pomptinus propraetor, isque primum Manlium Lentinum legatum trans Isaram misit, qui Ventiam, quod oppidum Allobroges muniverant, expugnaret; at concurrente populo agresti coactus est legatus reducere copias trans Isaram et satis habere, Allobrogibus, ubi flumen traicere conarentur, insidiari, et ne hoc quidem prospere successit, cum persequenti Gallos Catugnatus superveniret et cladem inferret. Deinde Catugnato in aliam regionem profecto iterum Isaram transgressus Lentinus cepit quidem Ventiam, alii vero legati, qui a dextra Rhodani ripa venientes aliud Allobrogum oppidum Solonium occuparunt, et ipsi quo minus id caperent impediti sunt a Catugnato. At postremo ipse Pomptinus adducta in auxilium tota exercitus sui mole non modo Solonium expugnavit, sed reliquam quoque Allobrogum regionem ita ad deditionem redegit, ut iam non rebellare conaretur haec gens. [82])

At vixdum hoc modo pacata erat ipsa provincia, cum iam nova eaque periculosior circa fines Allobrogum conflaretur tempestas. Iamiam enim non solum Germani sub Ariovisto duce Rhenum transgressi finitimos provinciae Romanae agros invaserant [83]), sed dum gravibus domesticis sollicitudinibus optimatium animi agitantur, nuntiatur in urbe initio a. 60, Helvetios esse in armis et excursiones in provinciam praeparare. Quo tumultu excitatus sine mora senatus decrevit, ut eiusdem anni consules ante novorum magistratuum comitia duas Gallias sortirentur, ut omnia ad Gallicum bellum praepararentur et trans Alpes legati mitterentur, qui adirent Galliae ulterioris civitates darentque

82) Cfr. Liv. epit. 103. Cic. de prov. consul. 13, 32, qui obiter tantum id bellum commemorant; longius descriptum est a Dione 37, 47 sq. C. Pomptini triumphus notatus erat in actis triumphorum Capitolinis, sed de hac inscriptione nihil restat praeter annum (cfr. Henzen in Corp. Inscr. Latin. I. p. 460. 464). De retardato usque ad annum 54 Pomptini triumpho cfr. praeterea Drumann, Roem. Gesch. 3, 228.

83) Caes. b. g. 1, 31. Dio 38, 34. Plut. Caes. 19.

operam, ne eae se cum Helvetiis coniungerent. Evenit autem Transalpina provincia sorte Q. Metello Celeri. At cum brevi post tranquilla tutaque esse Gallia nuntiaretur, sublato belli metu Metellus in urbe remansit, provinciam sibi decretam per legatos administrans.[84]) Verum interea non solum consul in annum 59 designatus erat C. Iulius Caesar, sed inita quoque illa Caesaris cum Cn. Pompeio et M. Crasso de regenda republica pactio, ex qua anno 59 Caesari a populo lege Vatinia Gallia Cisalpina cum Illyrico, a senatu Gallia Transalpina provinciae in quinquennium decernerentur.[85]) Ex hac pactione, quam anno 56 excepit conventio Lucensis prorogans Caesari harum provinciarum imperium usque ad annum 49, nova Galliae Transalpinae aetas habuit initium.

Iam vero priusquam, quae Caesar novarit in provincia Narbonensi exponamus, oportet una quasi imagine complectamur eum, quem hucusque descripsimus provinciae nostrae statum. Sexaginta fere annos tenuerant iam Romani illam regionem, multo sanguine redemptam: quid fecerunt denique per illud tempus de hac terra? Cui quaestioni optime respondebis, si quae initio dominationis Romanae in provincia fuerint genera hominum, quae Caesaris aetate, comparas. Invenerant Romani duo hominum genera, Graecos et Gallos. Et Graeci quidem quamquam ut vitae cultu multo superiores Gallis ita ne opibus quidem atque belli fortitudine inferiores, semper tamen hospitum modo se tenuerant neque ulla ratione lacessere studuerant indigenas, unde factum est, ut haec regio, quamvis bellicae nationes ibi considerent, ante Romanorum adventum satis pacatae terrae praeberet speciem. Advenerunt, non iam hospitum, sed

---

84) Cic. ad Att. 1, 19. 20. Mela 3, 5 extr. Plin. hist. n. 2, 67: *Nepos tradit, Q. Metello Celeri, L. Afrani in consulatu collegae, sed tum Galliae proconsuli, Indos a rege Suevorum dono datos, qui ex India commercii caussa navigantes tempestatibus essent in Germaniam abrepti.* Inde non esse concludendum, fuisse revera in provincia sua Metellum, recte iudicasse mihi videtur Zumpt (Stud. Rom. 64). Aliter indicat Drumann, R. G. 2, 28. 3, 228. Cfr. etiam Dion. 37, 50. Mommsen, Rechtsfrage zwischen Caesar und dem Senat (Abhandl. der hist.-phil. Gesellsch. in Breslau 1857) p. 30 not. 77.

85) Mommsen, Roem. Gesch. 3, 200 sq.

dominorum modo Romani, solide omnia occuparunt, attulerunt omnem illum provinciae Romanae apparatum, quid, quaeso, hoc apparatu fecerunt de ea regione, quae inter provincias mari interno adiacentes tam insignem locum tenebat? Audiamus iterum Ciceronem pro Fonteio dicentem: Constare provinciam is dicit[86]) ex iis generibus hominum et civitatum, quae partim sua memoria bella cum populo Romano gesserint, partim modo a Romanis imperatoribus subacta modo ab senatu agris urbibusque mulctata sint, partim cum ipso M. Fonteio ferrum ac manus contulerint multoque eius sudore ac labore sub populi Romani imperium ditionemque ceciderint. Quibus quos opponit? Opponit primum urbem Massiliam, quae Gallicorum bellorum pericula copiis remisque compensarit, opponit deinde quidquid civium Romanorum fuerit in provincia, maximum, ut dicit, numerum, in quo numero recenset colonos Narbonenses, publicanos, negotiatores, aratores sive agricolas, pecuarios. In quibus civium Romanorum generibus nota primum, quod omnia ex Italia in provinciam irruperunt, quod nihil indigenae in iis est, nisi forte Narbonensis civitatis pars Gallica latinitatem vel civitatem paullatim est nacta. Deinde invenimus quidem hominem Gallicae originis a C. Valerio Flacco propraetore civitate donatum, C. Valerium Caburum, principem Galliae provinciae, idque tam bono successu, ut filios eius C. Valerium Procillum et C. Valerium Donnotaurum fidelissimos Caesar in bellis Gallicis experiretur, ex quibus ille Caesaris familiaris dicitur et Caesaris nomine cum Helvetiis et Ariovisto agit, hic, princeps civitatis Helviorum, in proelio contra Aeduos a Vercingetorige in provinciam missos occisus est.[87]) Neque dubito, quin, ut in omnibus provinciis, ita in Gallia quoque plures beneficio praesidum, quibus in bellis gratos se praebuerant, ad civitatem Romanam pervenerint. At si quaeris, ubi extra Narbonis muros maior indigenarum numerus uno consilio ad civium sive Latinorum sive Romanorum ius admissus sit, per omnem provinciam nihil omnino inveneris; immo si Ciceronem audis, non peregrina tantum, sed hostilia omnia et minime pacata quicunque in provinciam mittebatur praeses solebat

86) Cic. pro Font. 5, 12 sq.
87) Caes. b. g. 1, 19. 47. 7, 65.

nancisci. Deinde si cetera Romanorum in provincia civium genera consideraveris, quid ad conciliandos cum Romanis indigenas, ad propagandum nominis Romani honorem contribuerunt? Habes primum publicanos sive eorum societates, qui exigenda publica provinciae vectigalia, apportandos exercitibus commeatus, perficienda opera publica solebant conducere. Hae autem equitum Romanorum societates quantae provincialibus fuerint calamitati, quid est quod uberius persequamur, cum inter omnes constet et Livius ipsos senatores Romanos dicentes faciat[88]), ubi qua in provincia publicanus sit, ibi aut ius publicum vanum aut libertatem sociis nullam esse. Deinde ut pergamus ad negotiatores, qui ex Italia advenerant, si Cicero dicit, refertam esse Galliam negotiatorum civium Romanorum, neque quemquam Gallorum sine cive Romano quidquam negotii gerere, nummum in Gallia nullum sine civium Romanorum tabulis commoveri, hic est, ubi caussam quaeras oppressarum aere alieno civitatum, oppressorum hominum privatorum, caussam rebellionum, quas Volcae contra Fonteium, Allobroges contra Fonteii successores moverunt. Vidimus Ciceronem de praetore Murena dicere, cives Romanos desperatas iam pecunias illius ope exegisse; iam vero, si quo tempore illi negotiatores, qui omni modo a praesidibus solebant adiuvari, eo erant redacti, ut de exigendis pecuniis desperarent, quae debuit esse ipsorum provincialium condicio?

Verum neque publicani neque negotiatores tantum damni inferebant nationibus indigenis, quantum agricolae et pecuarii, qui item legiones Romanas ex Italia sequebantur. Namque si non solum Romani imperii tutissimum fundamentum, sed provinciarum quoque salus in eo erat, ut quod gladio miles pararat, colonus aratro teneret, illorum aratorum et pecuariorum, de quibus Cicero agit, prorsus alia erat ratio. Cuius generis fuit C. ille Quinctius, quem idem Cicero[89]) dicit cum Naevio quodam societatem earum rerum fecisse, quae in Gallia comparabantur, habuisse autem pecuariam rem amplam et rusticam bene cultam et fructuosam. Qui homines sive singuli erant sive so-

88) Liv. 45, 18.
89) Cic. pro Quinctio, 3, 12.

cietatibus iuncti postquam, quidquid agri publici in provincia locabatur, occuparant, quidquid ab indigenis aere alieno oppressis parvi comparari poterat, coëmerant, idem latifundiorum malum in provinciam erant propagaturi, quo Plinius dicit perditam esse Italiam; nam proprium erat eiusmodi praediorum, ut non ab agricolis ingenuis sed servorum manu colerentur, aut id quod peius erat, ut, quos agros Massiliensium exemplo indigenae rite arare et conserere coeperant, ii nunc aratro et vitibus subducti pascuorum caussa in deserta mutarentur. At in eo erat salus provinciae, quod tum quidem quae saltus agrosque occupabant societates civium Romanorum haud dubie in Volcarum agris et Narbonis coloniae vicinia se tenebant, utpote quae regio et fertilissima totius provinciae et pacatior tutiorque esset quam reliquae partes. Contra magna illa montium Subalpinorum regio satis habuit, a publicanis et negotiatoribus vexari, et quamquam huius quoque partis civitates ad peditum equitumque copias, quae provinciae imperabantur, non minimam partem contribuere cogebantur, tamen Ciceronis quoque aetate admodum numerosae videntur fuisse.

Cui provinciae Transalpinae sub optimatibus imagini, qualem ex Cicerone potissimum desumpsimus, obstare quidem videtur, quod cum advenisset in illa regione Caesar, de cultu atque humanitate provinciae loquitur. At semitam illam Galliae, quam tum tenebant Romani, ob multitudinem civium Romanorum, ob Graecarum civitatum divitias et humanioris vitae splendorem, ob linguam Latinam per commercii usum et indigenarum in Romanis exercitibus militiam inter provinciales vulgatam speciem quandam cultus atque humanitatis novo praesidi obtulisse, quis negaverit? Laetum sine dubio aspectum praebebant quae per oram maritimam sita erant oppida advenae ex Italia advecto, si palliatorum Graecorum videbat agilitatem et mercium ex omni terra allatarum abundantiam, si inter togatos Narbonis colonos Romano sermoni, Romanae disciplinae, Romanis moribus occurrebat, si in eodem Narbone braccatorum sagatorumque indigenarum multitudinem, quin etiam comatorum Gallorum rudem videbat populum, qui Britannicas merces ex septentrionibus advexerant; at quantum discrepuit ab hoc aspectu interioris terrae condicio, ubi per omne illud fertilissimae regionis

spatium ne unam quidem urbem Italico sive Graeco more habitatam inveniebat, nihil nisi oppida illa Gallica ex ligneis casis composita et omni cultu carentia, in iisque populum oppressum ab exteris, desperatis bellis fessam et omni humaniore publico instituto privatam. Ex qua provinciae Narbonensis condicione quid novi intra paucos annos unius viri consilio atque institutis evenerit, iam erit videndum.

Caput II.

De provinciae Narbonensis forma a Iulio Caesare et Augusto constituta.

Quo tempore C. Iulius Caesar pro consule in provinciam venit Transalpinam sive initio anni a. Ch. 58 a duabus partibus in magnorum bellorum periculo versatam eam esse vidimus, ab Helvetiis, qui e suis sedibus egressuri provinciae territorio imminebant, et ab Ariovisto Germanorum duce, qui cum ulteriorem Galliam ita in suam ditionem vindicaret, ut Romanis ea penitus interdiceret, necesse erat cum iis confligeret. Constat autem non solum Helvetiorum iam primum impetum Caesaris virtute a provinciae finibus esse prohibitum, sed etiam eidem Caesari contigisse, ut Germanorum quoque bellum extra provinciae fines sine ullo huius periculo conficeret. Neque minus constat atque inter ipsa Caesaris bella a Cicerone laudatum est[1]), cam hunc imperatorem secutum esse rationem, ut bellum Gallicum non a provincia tantummodo repelleret, sed ultro Gallos lacessendo in eorum fines omnia belli mala transferret. Ac tum quoque cum proxime provinciae fines bellaretur, anno 57 a Servio Galba cum Nantuatibus, Veragris Sedunisque prope Octodurum[2]), anno 56 a P. Crasso in Aquitania[3]), quamquam

1) Cic. de provinc. consular. 13, 32.
2) Caes. de b. g. 3, 1. Oros. 6, 8. Plin. hist. nat. 3, 24.
3) Caes. b. g. 3, 20—27.

non omnia consecuti sunt Romani, quae voluerant, tamen longe aberat, quin inde provinciae pax turbaretur, immo his expeditionibus tutiores quam antea fines facti sunt. In eo tantum totius Galliae motu, quo a Vercingetorige evocatae ultimum illud Galliae nationes ad libertatem suam vindicandam inopina rebellione surrexerunt, bis ipsi quoque provinciae bellum imminebat. Primum enim cum initio anni 52 media hieme Lucterius, Cadurcorum dux, a Vercingetorige missus esset in Rutenos, unde Narbonem versus eruptionem faceret, repentino tumultu ipsum provinciae caput excitatum est. Sed imperatoris Romani vigilantia et incredibili celeritate ita tum repulsum est periculum, ut qui in alienos fines bellum transferre conati erant, de suis finibus dimicare cogerentur.[4] At gravius etiam imminebat periculum, cum post Aeduorum defectionem Vercingetorix Gabalos Arvernosque contra Helvios, Rutenos Cadurcosque iterum contra Volcas, Aeduos contra Allobroges mitteret simulque principes Allobrogum ad defectionem sollicitaret. Vicit tamen iam tentationem Gallorum provincialium fides atque et Aedui sua sponte cum finitimis congressi, quamquam infelicius pugnarunt, oppida saltem sua defenderunt, et Allobroges magna cum diligentia fines suos contra Aeduos custodiverunt.[5] Quod vero Salluvios bello a se victos et Massiliensibus attributos esse Caesar obiter commemorat[6], id bellum nihil aliud videtur fuisse, quam una ex illis expeditionibus, quas contra latrones montanos Romanis quoque continuo gerendas fuisse supra vidimus. Quam ob rem non mirum est, quod rarissime tantum in Caesaris de bello Gallico commentariis provinciae Narbonensis fit mentio, atque cum ob alias rationes verisimile sit, ante bellum civile in huius provinciae condicione nihil esse mutatum, commentarii autem illi sine dubio anno 51 a Caesare sint editi[7], facile intellegas, quomodo fiat, ut ne de rebus quidem a Cae-

4) Caes. b. g. 7, 7 sq.

5) Ibid. 7, 64 sq.

6) Caes. de bell. civ. 1, 35, si quidem pro lectione codicum: *bello victas Gallias* legendum est *bello victos Sallyas*, quam Glandorpii coniecturam recte recepisse mihi videtur Nipperdey.

7) Cfr. Mommsen, Roem. Gesch. 3, 594 not.; aliter iudicat Fischer, Zeittafeln p. 261 sq.

sare post bellum in provincia institutis quidquam in ea huius libri parte inveniamus, quam ipse Caesar conscripsit. Quid quod, quamquam plus semel[8]) de evocatis a se ex provincia militibus Caesar dicit, nusquam tamen mentionem facit eorum militum, quos ex Transalpinis i. e. provincialibus Gallis delectos, Romano autem more armatos instructosque in propriam legionem, cui Alaudae nomen imposuit, congregavit et civitate donavit.[9]) Qua de re, quae non solum ad bellum gerendum, sed ad civilia quoque provinciae instituta summi erat momenti, si Caesar prorsus tacuit, ideo hoc factum esse suspiceris, quod optimatibus, quorum invidiosis accusationibus commentarios suos Caesar opposuit, haec potissimum res gratissimam accusandi materiam praebuisset. Contra nos, si de Caesaris consiliis recte iudicare volumus, ad hoc potissimum institutum animum oportet advertamus: etiamsi enim civitatum Gallicarum condicionem statumque inter media bella Caesar non mutavit, tamen illo modo Gallos et sibi adiungens et Romanae disciplinae assuefaciens validissime praeparabat ad novum rerum ordinem, quem in universa provincia erat introducturus. — Ab ipsius Caesaris commentariis si procedimus ad A. Hirtii de fine belli Gallici supplementum, ne ibi quidem certiora de civilibus provinciae institutis invenimus. Refert quidem Hirtius[10]), Caesarem devicta Aquitania sub finem a. 51 reversum in provinciam paucorum dierum spatio celeriter omnes conventus percurrisse, publicas controversias cognosse, bene meritis praemia fidelitatis atque auxiliorum, quae proximo potissimum erga Vercingetorigem bello praestitissent, tribuisse; neque vero dicit, qui fuerint illi conventus, quae praemia, qui denique privati, quae civitates ea acceperint. Quod quamquam inde possis explicare, quod rerum bellicarum scriptoris minus intererat, civilium rationem habere institutorum, tamen videtur probabilius, ne tum quidem Caesarem celeriter conventus percurrentem quidquam decrevisse, quod provinciae formam, qualis tum etiam erat, gravius muta-

8) Caes. b. g. 1, 7. 3, 20. 7, 7.
9) Suet. Caes. 24. Cic. ad Att. 16, 8.
10) Caes. b. g. 8, 46.

ret, ideoque privatae rationis potius quam publicae praemia illa iudicaverim.

Sequuntur iam belli civilis inter Caesarem et Pompeium turbae, et hae quidem per aliquod saltem tempus gravius quam bella Gallica provinciam quoque Narbonensem commoverunt. Erat Caesar sub finem anni 50 in Cisalpinam provinciam profectus, expectaturus, quomodo in urbe res procederent, ibique cum hostilia omnia ab optimatibus contra se fieri comperisset, cum deinde illo, quod a. d. VII Idus Ianuarias a. 49 factum est, senatus consulto bellum aperte ei esset indictum, ex provincia in Italiam transgressus urbem versus exercitum duxit. Constat inter omnes, quae primum in Italia superiori, quae deinde in ipsa urbe post Caesaris in ea adventum evenerint. At eodem anno in provincia quoque Narbonensi acriter est pugnatum. Ubi primum enim res ad bellum vertit, perscriptum est senatusconsultum, quo cum aliae provinciae Pompeianis decernerentur tum provincia Transalpina L. Domitio Ahenobarbo, qui anno 54 fuerat consul. [11]) Is vero tum quidem abstinuit abire in provinciam sibi decretam Corfiniumque se contulit Pompeii caussam hoc loco defensurus, at cum id minime contigisset, immo ipse a Caesare esset captus, ubi primum libertatem victoris venia concessam habuit, dum Caesar Romam pergebat, in provinciam se contulit. Ibi interea per C. Fabium legatum, qui cum tribus legionibus circa Narbonem hiemarat, facile quidem in fide Caesaris servatum erat, quidquid Gallorum et Romanorum ibi degebat; contra Massilienses cum frustra primum sperassent, fore ut, dum omne imperium Romanum in duas partes divisum esset, ipsis liceret, libera consilia servare, mox adducti sunt, ut a Pompeii partibus starent. Admoniti enim iam initio belli a Pompeio, ut suorum in eos beneficiorum memores essent, postea a L. Vibullio Rufo, qui item Corfinii a Caesare et captus et dimissus erat, Domitium autem praecesserat, permoti erant, ut portas Caesarianis clauderent expectantes, dum ipse Domitius ad sustinendum bellum apertum adveniret. Quae ubi primum Caesar comperit, cum iam statuisset, ut ex occidente prius Pompeianos pelleret quam ipsum Pompeium in

11) Caes. b. c. 1, 6. Cic. ad fam. 16, 12. Suet. Caes. 34. Nero 2.

orientem sequeretur, proficiscitur ab urbe Massiliam versus tentaturus, a Pompeii partibus eam avertere. At dum cum Graecorum summis magistratibus de pace agit, advenit Massiliae Domitius cum parva classe, quam in Italiae ora a privatis coëgerat, recipitur a Graecis et praeficitur urbi ad dimicandum cum Caesare paratae, ut quae iam ante Caesaris adventum Albicos sive Albioecos finitimos sibi obnoxios ad defensionem adscivisset, copiis autem navalibus antiquitus optime esset instructa. Inutile est singula repetere, quae de variis eius quae iam sequebatur obsidionis casibus ipse Caesar exposuit, atque satis habemus commemorasse, medio circiter mense Sextili postquam primum absente in Hispania ipso imperatore legati Trebonius terra, D. Brutus mari urbem oppugnaverunt, Massilienses quamquam fortissime dimicantes ab utraque parte oppressos reverso ex Hispania Caesari se dedisse.[12]) Is autem tum quidem satis habens armis omnibusque bellicis copiis exutos et pecunia mulctatos, libertate tamen concessa, duarum legionum praesidio continere, quid de victae urbis territorio statuendum esset, in confecti belli tempus remisit. — Ceterum per omne Massiliae oppugnatae tempus reliqua provincia prorsus quieta fuerat, neque minus per universum bellum civile eandem fidem servavit. Alaudarum vero legio non solum per omne bellum civile continua fide secuta Caesarem est, sed etiam post eius mortem fidem Caesari servatam ad Antonium transtulit.

Devicto Pompeio cum de summa rerum iam esset decretum, cogitare potuit Caesar de novo ordine per omne imperium Romanum introducendo. Cuius novi ordinis fundamenta utique a Iulio Caesare esse iacta, nemo est, qui negaverit; at cum ad immensum hoc opus inter ea bella, quae cum reliquiis Pompeianorum in Aegypto, Africa, Hispania gerenda erant, nunquam continuum tempus liberum ad ordinanda civilia instituta ei esset, cum deinde quae ipse inceperat, praematura eius morte interrupta sive a triumviris reipublicae constituendae sive ab Au-

12) Cfr. de bello Massiliensi Caes. b. c. 1, 34—36. 2, 1—16. 22. Dio 41, 19. 25. Flor. 4, 2, 23—26; de Massiliensium sorte vid. Oros. 6, 15. Liv. epit. 110. Cic. Phil. 8, 6, 18. 13, 15, 32. ad Att. 14, 14. de off. 2, 8, 28. Strabo IV. p. 181.

gusto perficerentur, cum denique de permultis iisque gravissimis rebus a Caesare institutis qui illius temporis historiam nobis tradiderunt, aut prorsus taceant aut obiter tantum atque minus accurate referant, difficile est, quae ipse Caesar instituerit, quae successores eius Caesaris nomine, accurate distinguere. Itaque si quae provinciae Narbonensis in Iulii Caesaris institutis pars fuerit quaerimus, non desunt quidem, quae summi momenti res a veteribus scriptoribus diserte ad ipsum Caesarem referantur quasque monumentorum inscriptorum fides suppeditet, sed neque usquam relatum inveneris ea, quae in hac provincia Caesar novavit, ad unum quoddam consilium pertinere, neque traditur, quo anno huic de qua agimus Galliae Transalpinae parti Caesar consuluerit, neque denique certo potest definiri, quae a quoque mortui Caesaris successore incepto ab hoc operi sint adiecta. Nihilo vero minus dummodo, quaecunque hic illic dispersa deprehendimus argumenta diligenter colligamus, inter se comparemus, ad universi imperii Romani statum, qui illa aetate erat, referamus, cognoscemus, quomodo nostrae provinciae perfecta sit nova condicio.

Et primum quidem ad dilucidandam hanc quaestionem utilissimum erit inquirere, num constituta nova provinciae forma certis quibusdam temporis terminis possit definiri. Vidimus autem ante captam Massiliam in statu provinciae nullum mutatae condicionis vestigium posse deprehendi, neque magis ipso captae illius urbis momento quidquam de eius agro esse statutum. At eodem loco, quo Dio hoc refert, adicit, posteriore quodam decreto omnia praeter libertatis nomen Caesarem Massiliensibus abstulisse[13]), unde consequitur, agro quoque, quem antea habuerant, eos esse mulctatos. Iam vero quo tempore hoc Caesar decrevit? Quod desumere possumus ex Suetonii illo loco, quo de deductis in Narbonensem Galliam coloniis haec dicit[14]): *pater Tiberii, quaestor C. Caesaris, Alexandrino bello classi praepositus plurimum ad victoriam contulit; quare et pontifex*

---

13) Dio 41, 25: *καὶ ὃς* (sc. *ὁ Καῖσαρ*) *ἐκείνων* (sc. *τῶν Μασσαλιωτῶν*) *τότε μὲν τά τε ὅπλα καὶ τὰς ναῦς τά τε χρήματα ἀφείλετο· ὕστερον δὲ καὶ τὰ λοιπὰ πάντα πλὴν τοῦ τῆς ἐλευθερίας ονοματος.*

14) Suet. Tib. 4.

in locum P. Scipionis substitutus et ad deducendas in Galliam colonias, in queis Narbo et Arelate erant, missus est; tamen Caesare occiso cunctis turbarum metu abolitionem facti decernentibus etiam de praemiis tyrannicidarum referendum censuit. Unde haec colligas: cum bellum Alexandrinum inciderit anno a. Ch. 47, apparet missum in Galliam esse Ti. Claudium non ante annum 46; cum autem eo tempore, quo occisus est C. Caesar, Ti. Claudius iam reversus esset et in senatu sederet, necesse est absolverit tum negotium sibi mandatum; ergo fuit in Gallia Narbonensi annis 46 et 45, atque anno a. Ch. 46 initium factum est mutandae provinciae formae a deducendis quibusdam civium Romanorum coloniis. Quod initium fieri non potuit, nisi de agro Massiliensium erat decretum, quia in hunc agrum coloniae illae deducebantur; ergo eodem illo anno et vetus territorii provincialis status est sublatus et novus institutus. — Quo modo si initium invenimus, restat ut finem eius operis quaeramus. De qua re si veteres geographos conferimus, apparet, non modo Pomponium Melam, qui anno fere p. Ch. 40 librum suum conscripsit, sed etiam Strabonem, qui quartum operis sui librum, quo continetur nostrae provinciae descriptio, confecisse se indicat annis p. Ch. 18 et 19[16]), absolutam vidisse Galliae Narbonensis formam. At multo propius accedemus ad terminum quem quaerimus collata ea, quam Plinius in historiae naturalis libro tertio (cap. 5) dat, provinciae descriptione. Qui cum et in ipso eo capite mensuras a se indicatas ex commentariis Agrippae desumptas esse profiteatur et in auctorum, quos secutus sit, indice Agrippam nominet, non potest esse dubium, quin forma a Plinio exhibita maximam partem eadem sit atque illa, quam Agrippa vidit et in commentariis suis descripsit. Constat autem, pro fundamento commentariorum suorum Agrippam ea habuisse, quae invenerant orbis terrarum illi dimensores, qui a Iulio Caesare instituti opus

15) Describit Mela Galliam Narbonensem II. 5.

16) Strabo IV. p. 206: *πάντας δ' ἔπαυσε (τοὺς Νωρικοὺς καὶ Ταυρίσκους) τῶν ἀνέδην καταδρομῶν Τιβέριος καὶ ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ Δροῦσος θερείᾳ μιᾷ, ὥστ' ἤδη τρίτον καὶ τριακοστὸν ἔτος ἐστίν, ἐξ οὗ καθ' ἡσυχίαν ὄντες ἀπευτακτοῦσι τοὺς φόρους.* Devicerunt autem gentes Alpinas Tiberius et Drusus annis a. Ch. 16 et 15.

suum ex omni quidem parte absolverunt anno a. Ch. 19, occidentem vero, cuius pars erat Narbonensis provincia, iam a. 27 dimensi erant[17]; neque minus constat, illud dimensorum opus ipsius M. Agrippae consiliis esse peractum. Unde consequitur, quae in Plinii descriptione de provincia nostra continentur, nisi aperte originem produnt posteriorem, recedere utique usque ad annum a. Ch. 27. Iam vero produnt posteriorem originem nomina oppidorum Luci Augusti et Augustae Tricastinorum, quae cum in imperatoris honorem Augusta sint appellata, ipse autem imperator titulum Augusti anno demum 27 assumpserit, non ante hunc annum potuerunt constitui. Atque revera inter annos a. Ch. 27 et 22 Augustum complura in hac regione instituisse, inde apparet, quod reliquas quidem provincias, quas senatui destinarat, anno 27 senatorias esse iussit, Narbonensem vero usque ad annum 22 sibi retinuit[17a]; ergo anno 22 demum ita constituta ea erat, qualem esse voluit Augustus, et hic annus extremus perfecti novi ordinis est terminus.

Progredientes igitur ab anno a. Ch. 46 incipiamus a coloniarum illa per Ti. Claudium deductione. Vidimus nominatim Suetonium duas tantum recensere colonias, Narbonem et Arelatem simulque indicare, eodem tempore alias quoque esse conditas. Hae quae fuerint, ex Pomponio Mela et Plinio facile potest inveniri, scilicet a dextra Rhodani parte Baeterrae, a sinistra Arausio et Forum Iulii; cum enim ab illis scriptoribus cognomina indicentur Narbonis Decumanorum, Baeterrarum Septimanorum, Arelatis Sextanorum, Arausionis Secundanorum, Fori Iulii Octavanorum, apparet eodem consilio eodemque tempore has colonias esse constitutas eorumque cognomina desumpta a legionibus Caesarianis decima, septima, sexta, secunda, octava; praeterea Forum Iulii conditum esse vivo Iulio Caesare inde vides, quod commemoratur ea colonia in duabus epistulis a. L. Planco a. 43 e Gallia Ciceroni missis.[17b] Ceterum omnes illas colonias Mommsen suspicatur non ex ipsis legionum, qua-

17) Cfr. Ritschl, die Vermessung des roem. Reichs unter Augustus in Rheinisch. Museum 1842 p. 481 sqq. imprimis p. 494.

17a) Dio 53, 12. 54, 4.

17b) Cic. ad fam. 10, 17.

rum nominibus insignes sunt, veteranis compositas esse, sed ea nomina in honorem tantum legionum esse indita, quoniam verisimile sit, veteranos illos in Italia potius quam in Gallia agros accepisse. Quod eo magis videtur accipiendum, quia legiones saltem decima et sexta recensentur inter eas, quae anno 45 in Hispania bellum gesserunt, unde fit, ut cum triumphum de Hispania non ageret Caesar ante diem III Idus Octobres eius anni, non potuerint antea colonorum loco in Galliam deduci[18]; si autem deductae essent post hanc diem, necesse esset Ti. Claudius perfecisset tot coloniarum deductionem trium vel quattuor mensium spatio, quod fieri non potuit. Apparet autem, multo magis interfuisse provinciae, colonos de plebe urbana elegi, quam ex veteranis legionum illarum, quae ut 'coelo diruendo pares' erant, ita colendae terrae et civilis vitae consuetudini minus aptos se praestabant. Ceterum sive veterani fuerunt, qui deducti sunt, sive e plebe urbana vel Italica, civium Romanorum utique constitutae sunt omnes hae coloniae. Ad singulas autem quod attinet, de Narbone Martio cum supra iam dixerimus, non est quod hoc loco longius disseramus; fuisse, quod antiquum illud imperii Romani in his regionibus propugnaculum, cum ad Caesaris bella haud dubie satis magnum militum suppeditasset numerum, novis colonis augeretur, nemo non intellegit. Baeterrae autem, quod Volcarum Arecomicorum oppidum fuisse supra vidimus, sitae in monte latis eius regionis campis imminenti ipsius loci natura bene munitae erant[19]) et praeterea cultura vini iam tum inclitae.[20]) Neque minus culturae apta erat, quae in Cavarum finibus haud longe a confluentibus Rhodani et fluvii *Aegues* condita est Arausio eademque, utpote sita ad collem facilem munitu, quem per omne medium aevum munitum esse constat, et ipsa idonea propugnaculo, si quod ex gentibus Alpinis nondum domitis immineret periculum. Arelas vero, cuius opportuno navigationi

18) Comment. de bell. Hisp. 12. 30. 42. Quas legiones in Hispania non recens delectas esse sed ex veteribus militibus compositas, vides ex capp. 30 et 42 extr.

19) Itaque πόλις ἀσφαλής dicitur a Strabone IV. p. 182.

20) Plin. hist. nat. 14, 8, 5.

situ iam Caesar contra Massilienses usus erat, cum eo ipso loco sita esset, unde in diversa ostia Rhodanus dividitur, et omni per illud flumen commercio, quod a Luguduno mare versus descendebat, fruebatur et ipsa, quaecunque in agris suis proveniebant, facile ad mare provehebat. Forum denique Iulium, quae colonia Classica appellabatur ac Pacensis[21]), cum unicus Romanorum per sinum Ligusticum portus esset, destinatum erat cum ad tutandum a piratis illud litus tum ad recipiendam classem Romanam, quae per mare Tyrrhenum esset disponenda.

Ex quibus coloniis, ut supra iam diximus, Baeterrae, Arelate, Forum Iulii agrum habebant, qui antea fuerat Massiliensium; namque constiterat postremo tempore huius urbis territorium ex coloniis Graecis per oram dispersis, ex Avenione et Cabellione ad inferiorem Druentiam sitis, ex Oxybiis Deciatibusque ab Opimio olim Massiliae assignatis, ex Volcis Arecomicis Helviisque a Cn. Pompeio, ex Salluviis denique a Iulio Caesare adiectis sive ex omni agro qui intererat inter Agatham et Nicaeam, inter montis Cebennici partem orientalem, Druentiam inferiorem, montes Salluviorum et sinus Gallicum Ligusticumque. At huius territorii non nisi minor pars a tribus illis coloniis est occupata: ergo quaeritur, quid de reliquo Massiliensium agro factum sit. Retinuisse eos quaedam quamvis pauca, generali modo indicat Strabo, si sua quidem aetate Massiliensium libertatem in eo constitisse dicit, ut neque ipsi neque *quae pro subditis habeant loca* rectoribus provinciae sint subiecta.[22]) Iam vero si singillatim inquirimus, quae adempta, quae relicta sint, utrum solus Iulius Caesar an Augustus quoque ademerit, magnopere quidem nos iuvabunt Plinius, Strabo, Mela, neque tamen fieri potest, quin praeter scriptorum testimonia monumenta quoque inscripta sive lapides et nummos adhibeamus. Monumentorum vero testimonium cum maxime positum sit in cognominibus oppidorum, quae in iis multo frequentius deprehenduntur quam apud scriptores, omnium primum exponendum est, quomodo intellegenda sint eiusmodi cogno-

21) Plin. hist. nat. 3, 5. cfr. infra append. epigraph. n. 183: *Forum Iulii Pacatum.*
22) Strabo IV. p. 181.

mina. Cuius quaestionis fundamentum exhibet Velleius[23] dicens coloniarum militarium et caussas et auctores ex ipsarum praefulgere nomine, atque, ad colonias quod attinet, pro insigni huius dicti exemplo habuimus coloniam Classicam Octavanorum Forum Iulii. At quod de coloniis militaribus dicit Velleius, ad municipia quoque et civium Romanorum et Latinorum sive in Italia sive in provinciis constituta licet adhibere. Auctor autem sive coloniae sive municipii cum liberae reipublicae temporibus primo quidem loco populus Romanus, secundo autem is fuisset, qui constituerat, imperatorum aetate solus princeps erat, sub quo quodque oppidum constituebatur, neque unquam permissum videtur ulli homini privato, si deducendae coloniae propositus erat, honorem sibi mandatum nomine oppidi indicare. Neque vero magis ipsis oppidis licuit, quibus ornari volebant nominibus, ea proprio arbitrio assumere; immo extant exempla, unde permissu sive senatus sive imperatoris eiusmodi nomina assumpta esse diserte dicuntur.[24]) Denique non desunt oppida, quae si complurium principum beneficiis gaudebant, a pluribus principibus nomina habuerint.[25]) Cum qua ratione primum vides colonias illas a Ti. Claudio deductas optime convenire, cum habeamus in inscriptionibus colonias Iuliam Paternam Narbonem Martium, Iuliam Paternam Arelatem, Iulias Baeterras, Firmam Iuliam Secundanorum Arausionem, Forum Iulii Pacatum.[26]) Deinde si reliquum Massiliae territorium perlustramus, Aquas Sextias Salluviorum videmus appellatas esse et coloniam Iuliam et coloniam Iuliam Augustam[27]); Nemausum Volcarum Arecomicorum coloniam Augustam[28]), contra Avenio, Cabellio, Antipolis nomina non exhibent. Inter quae loca longe maximi momenti erat Nemausus, quem qui constituerit, inprimis interest cognovisse. De quo si lapidum modo inscriptorum rationem haberes, qui quot equidem reperi,

23) Vell. Paterc. 1, 14.

24) Dio 54, 23. Tac. Ann. 14, 27.

25) De omni hac quaestione cfr. Borghesi, sulla iscrizione Perugina della porta Marzia in Archivio storico italiano XVI. 1850 pref. p. LXXXIX—CVIII.

26) Cfr. append. epigr. nn. 1. 82. 183. 338.

27) App. epigr. nn. 28. 378. 356.

28) App. epigr. n. 137 pass.

Augustum omnes appellant, hoc oppidum ab Octaviano Augusto necessario diceres conditum. Nihilo vero minus Mommseno [29]) erit assentiendum, qui nummorum praesertim testimonio insistens probavit, non Augusto, sed Iulio Caesari originem hanc urbem debere. Extant enim nummorum Nemausensium, quae sub Romanorum imperio signata sunt, duo genera, alterum et argenteorum et aeneorum, qui ex una parte caput galeatum prae se ferunt, ab altera inscripti sunt COL·NEM, pondus autem exhibent Massiliense, alterum admodum frequens aeneorum tantum, qui in adversa parte ostendunt capita Octaviani et Agrippae inscripto nomine IMP·DIVI·F, in aversa crocodilo insignes sunt et inscriptione COL·NEM, signati autem ad pondus Romanum [30]); e quibus generibus nemo non videt, illud tempore prius esse quam hoc, quoniam illud et argenteorum quoque nummorum ius comprehendit et pondus in iis habet Massiliense. Si autem ante Octaviani aetatem extitit coloniae Nemausi nomen et ius, necesse est aut a Iulio Caesare aut a triumviris reipublicae constituendae sit constitutum, quia ante captam Massiliam nihil aliud quam oppidum Massiliensibus stipendiarium erat Nemausus; iam vero triumviri ut totam Italiam legibus agrariis deductisque in colonias militibus turbarunt, ita nisi forte leges Iulias defuncti Caesaris exequebantur, in provincias neque civitatem Romanam neque latinitatem propagarunt. Est igitur ab ipso Iulio Caesare repetendum coloniae Nemausi ius huiusque iuris ea pars, qua permissum erat Nemausensibus, ut proprio nomine nummos signarent argenteos. Cum autem eius coloniae territorium pars fuisset agri Massiliensis eaque pars optima, fieri non potest, quin conditam esse hanc coloniam statuamus eodem tempore, quo omnino de urbis Graecae sorte Caesar decrevit. Coloniae vero ius nihil aliud fuisse quam latinitatem titulo honorifico auctam et apparet ex iure propriorum nummorum quod Latinarum tantum coloniarum erat, et diserte testantur tam Strabo quam Plinius. [31]) Atque

29) Mommsen, Roem. Gesch. 3, 533. Roem. Münzwesen 676 sq.

30) Catalogum omnium nummorum Nemausensium dat De la Saussaye, Numism. p. 154 sqq.

31) Strabo IV. p. 186. Plin. 3, 5.

prorsus eadem ratio est Cabellionis; nam huius quoque civitatis nummos habemus non solum aeneos Augusti aetatem profitentes, sed argenteos quoque ad Massiliensium pondus eo tempore signatos, quo M. Aemilius Lepidus post Caesaris mortem hanc provinciam rexit sive inter annos 44 et 42.[32]) Quibus in nummis sicut eodem modo atque in Nemausensibus colonia dicitur Cabellio, ita ex inscripto Lepidi nomine, cum ipsum Lepidum eam constituisse nullo modo possit probari, ante Caesarem vero Massiliensium is locus fuerit, apparet ad Caesarem dictatorem referendum esse huius quoque coloniae ius.

Quae Nemausi et Cabellionis exempla ad diiudicandam de reliquis oppidis quaestionem haud parvi sunt momenti. Et Aquas quidem Sextias sub Augusto oppidum Latinum fuisse scimus ex Plinio. Latinum autem oppidum cum fieret ex castello, necesse erat augeretur territorio idque et ipsum fieri non potuit nisi impensa Massiliensium. Iam vero eum haec colonia et Iulia appelletur et Iulia Augusta, difficile est diiudicatu, ab utro ex his repetendum sit id ius. Quae de oppidis Iuliis et Iuliis Augustis quaestio cum ad omne imperium pertineat Romanum, a viris doctis plus semel est perpensa, certiorem vero legem, quae et ipsius rei naturae consentanea est et frequentibus exemplis probatur, invenit Borghesi[33]), eaque haec est: quae Iulia dicuntur oppida nomen duxerunt aut a C. Iulio Caesare dictatore, sive ipse ea constituit sive constituerunt e lege Iulia triumviri, aut a C. Iulio Caesare Octaviano ante annum 27, ex quo anno hic Augusti titulum et ipse assumpsit et ad eas res solebat transferre, quas suo nomine insignes esse volebat. Unde consequitur, Augusti quidem nominis originem nusquam esse incertum[34]), contra Iulium si quid dicitur neque

32) De la Saussaye p. 142.

33) Borghesi loco supra (not. 25) notato.

34) De nominis origine si dicimus, caveas ne de ipsius oppidi origine cogites; ut enim non est dubium, quin ex Nemausi cognomine coloniae Augustae consequatur, Augustum id cognomen dedisse, ita nequaquam inde concludas, caussam inditi cognominis semper esse primam oppidi originem. Qui nomen indidit imperator plerumque quidem primus erat auctor, interdum vero auctor beneficiorum oppido pridem condito collatorum.

diserte Iulium Paternum, semper ex aliis argumentis esse cognoscendum, quid sub hac Iulii denominatione lateat. Denique si quod oppidum dicitur Iulium Augustum, modo indicatur, rationem coloniae habuisse et Divum Iulium et Augustum, cuius rei exempla profert Borghesi Perusiam et Beneventum, modo, id quod probatur exemplo coloniae Augustae Iuliae Philippensis, duobus illis nominibus solus significatur C. Iulius Caesar Augustus, diiudicanda autem sunt eius modi quoque exempla ex aliis argumentis quam ex meris cognominibus. Quae si ad Aquas Sextias adhibemus, pro eiusmodi argumento nobis est, quod, ut iam indicavimus, Aquarum Sextiarum condicio aeque ac Nemausi et Cabellionis aretissime iuncta erat cum rebus Massiliensibus, de quibus Divus Iulius decrevit, non Augustus, idque tam grave nobis est argumentum, ut statuendum credamus, quaecunque loca in Massiliensium territorio olim sita inter Latina oppida Plinius recenset, eorum latinitatem repetendam esse a Iulio Caesare dictatore, quia fieri non potuit, quin qui vetus ius mutavit, eodem tempore novum ius tribueret; in quo numero sunt Antipolis e coloniis Graecis, Avenio ex antiquioribus Massiliae possessionibus Gallicis, Alba Helviorum, Glanum Livii, Caenicenses, Anatilia ex agro a Romanis adiecto. Quibus accedit Forum Voconii, quod aeque ac Forum Iulii iam anno 43 commemoratur in litteris a Planco ad Ciceronem datis.[35] Ergo ipsae Aquae Sextiae si et Iuliae dicuntur et Iuliae Augustae, a Divo Iulio donatae sunt iure Latii, ab Augusto auctae commodis. Iam vero possis dicere, quod Nemausus et Cabellio, respublicae a Caesare dictatore constitutae, propriorum nummorum ius habuerint, Aquarum autem Sextiarum, Avenionis, Albae Helviorum, Fori Voconii nulli extent nummi, inde esse concludendum, haec oppida latinitatem eo demum tempore accepisse, quo proprios nummos signare desierunt oppida Latina sive post annum a. Ch. 23. At etiamsi concedo, non fortuito casu factum esse, ut nummi Aquenses, Avenienses etc. ad nos non pervenerint, inde necessario illud concludendum esse nego; nam quod concessum a Caesare habebant civitates Latinae proprios nummos signandi ius, id non coactae sunt exercere, atque ex mira

35) Cic. ad famil. 10, 17. cfr. supra not. 17a.

nummorum illorum Nemausensium frequentia perspicuum est, intellexisse ea oppida, commodius esse, unius oppidi provincialis nummos pro communibus recipere quam proprios in quoque oppido signare. — Denique infra (p. 94) videbimus, ex Strabonis quodam loco (IV. p. 203) apparere, Ligures Alpibus vicinos stipendiarios a Caesare esse relictos; at eorum numerus non potuit non exiguus esse, cum in eadem regione oppida civium et Latinorum et Romanorum longe praevalerent. Ligurum vero condicio inferior inde facile explicatur, quod tum minus quam reliqua provincia erant pacati.

Amiserunt ergo Massilienses Caesaris dictatoris decreto cum quaecunque in interiori terra possederant, tum ex maritimis stationibus Antipolim et Agatham, ex quibus illam vidimus factam esse Latinam[36], Agatham autem Plinius, cum dicat *quondam* fuisse Massiliensium, exprimit sua aetate non iam fuisse, neque vero adicit cui alii loco sit attributa. Contra relictae sunt Graecis *Athenopolis* et *Nicaea*; namque illud Plinius simpliciter dicit oppidum Massiliensium, suo tempore in hac condicione id fuisse testaturus, Nicaeam autem, quamquam loci ratione pertinebat ad Italiam, Strabo testatur sua aetate in Massiliensium fuisse potestate. Praeterea ex insulis *Stoechades* quidem Strabonis aetate[37]) et ipsae erant Massiliensium, contra *Planasia* et *Lero*, ubi idem Strabo dicit constitutas esse *κατοικίας*[38]), utrorum fuerint stationes, Massiliensium an Romanorum, incertum est.[39])

Habemus igitur iam non solum omnem fere oram maritimam, sed etiam interioris terrae partem haud contemnendam annis 46 et 45 ordine prorsus novo constitutam. Unde si septentrionem versus progredimur Caesaris vestigia prementes, a sinistra quidem Rhodani, ubi de montibus Salluviorum descendimus, primum incidimus in oppidum, quod a Plinio dicitur

36) Idem exprimit Strabonis illud (IV. p. 184): *ἡ δ' Ἀντίπολις τῶν Ἰταλιωτίδων ἐξετάζεται*, quo non continetur Italiae adnumeratam esse Antipolim, sed Graecae origini quasi exemptam et Italico modo esse constitutam.

37) Strabo IV. 184 sq.

38) Ibid. IV. 185 init.

39) Quae in insula Lerone extat inscriptio bilinguis procuratoris Augusti (app. epigr. n. 316) nihil probat.

Alebece Reiorum Apollinarium et hodie est *Riez (dép. des Basses Alpes)*. Cuius oppidi, cum Strabo[40]) Albienses sive Albioecos pone Salluvios septentrionem versus dicat habitasse, iam Valesius[41]) non solum ab hac gente nomen Alebece deduci voluit, sed etiam Albioecos nihil aliud esse censuit quam Albicos illos, quos Caesar[42]) refert et antiquitus in fide Massiliensium fuisse et insigni fortitudine Massiliam contra suos milites defendisse, neque est quod hanc coniecturam receptam ab Anvillio, Valckenario, Uckerto[43]) reiciamus. Iam vero in lapidibus[44]) hoc oppidum dicitur colonia Iulia Augusta Reiorum Apollinarium[44a]); habemus igitur de eius origine eandem ac de Aquis Sextiis quaestionem, quae simili modo est diiudicanda: conferenti enim, quod oppida Reiis vicina Apta Vulgientium et Carpentoracte Meminorum, quae loca sicut Alebece sita erant inter montes illos, qui Druentiae vallem ab utraque parte cingunt, Iulia dicuntur in inscriptionibus[45]) atque inter Latina oppida recensentur a Plinio, apparere mihi videtur, et gentes Vulgientium ac Meminorum a Caesare iussas esse considere in oppidis Apta et Carpentoracte donatis iure Latii et eodem modo eodemque iure Albicis sive Albioecis attributum quidem esse a Caesare oppidum Alebece Reiorum Apollinarium, perfectam autem esse eam iuris mutationem in civitate Reiensi ab Augusto. Cui coniecturae possis quidem obicere, Albicos, qui acerrime contra Caesarem pugnarint, ab hoc non potuisse Latio donari; at latinitatem a Caesare per provincias non solum praemii loco, sed ex universa

---

40) Strabo IV. p. 203.

41) Hadrian. Valesius Notit. Gall. p. 9.

42) Caes. b. civ. 1, 34. 56. 57. 2, 2.

43) D'Anville, Notice de l'ancienne Gaule p. 46 sq. Walckenaer, Géographie ancienne des Gaules 1, 256 sq. Uckert, alte Geogr. 2, 2, 298 sq.

44) App. epigr. nn. 113. 392.

44a) Nominis *Reiorum Apollinarium* caussa ignota est.

45) App. epigr. nn. 415. 421. 422. Coloniam Iuliam Meminorum (app. epigr. n. 415) eandem esse ac Plinii Carpentoracte Meminorum non potest esse dubium, quoniam in exigua Meminorum civitate de duobus oppidis Latinis non potest cogitari.

imperii Romani ratione esse propagatam infra docebimus. Ipsa autem Alebece et Carpentoracte nomina Gallica quod in inscriptionibus Latinis non inveniuntur, forma barbara explicat.

His civitatibus qui deinde finitimi erant Vocontii, Strabone quidem auctore et ipsi habuerunt ius Latii, a Plinio autem foederata civitas dicuntur fuisse. Quae inter se non pugnare, infra erit exponendum; hoc loco satis habemus inquirere, quis ex stipendiariis Latinos reddiderit Vocontios. Recensentur autem apud scriptores oppida Latina Vasio et Lucus Augusti, quibus ex inscriptionibus accedit Dea Augusta. Ex quibus cum Lucus et Dea nomen Augusti aperte profiteantur, non dubitamus, ab Augusto horum oppidorum ius repetere. Quod vero Vasio in lapidibus dicitur colonia Iulia Augusta Vasiensium, nonne eo ipso discrimine videtur significari, Vasionem iam a Caesare esse constitutam, deinde, cum sub Augusto esset, quod iterum de Vocontiis decerneretur, eodem tempore quo duo nova oppida in iis condita sunt, Vasionem quoque novis beneficiis nescio quibus esse donatam ob eaque cognomini coloniae Iuliae adiecisse memoriam Augusti? Itaque quidquid praeterea de Vocontiis statuit Caesar, quin eorum quoque pristinum statum mutaverit et Vasionem oppidi Latini iure constituerit, non dubito. Liceat autem admonere, foederatae civitatis ius necessario praemii loco obvenisse iisdem Vocontiis, qui Fonteii aetate contra Romanos rebellaverant, unde consequitur, aliquo tempore post Fonteium insigni modo fidem Romanis praestantes in gratiam eos rediisse. Quod vix alio tempore fieri potuit quam inter Caesaris bella Gallica, sive in illo Vercingetorigis bello, quo provinciae finibus hostes appropinquaverant et provinciales quoque ad seditionem lacessiverant. Fuerunt utique in hac caussa Allobroges, quos supra (p. 75) vidimus, cum a Vercingetorige summo opere ad defectionem impulsi essent, nunquam desiisse insigni modo Romanis fidem servare. Habebant autem pro capite civitatis suae Allobroges Viennam, sitam ad Rhodani ripam inter confluentes Isarae et Araris; at de Viennensis quidem iuris origine neque scriptores neque lapides inscripti, quamquam magnus horum numerus hodie quoque extat, certiores nos faciunt, unde fit, ut denuo ad nummorum testimonia sit refugiendum. Reperti enim sunt intra provinciae fines nummi aenei inscripti in parte ad-

versa litteris IMP·DIVI·F, in parte aversa C·I·V [46]), qui non possunt non attribui coloniae Iuliae Viennae et tempori Caesaris Octaviani ante assumptum Augusti titulum. Quorum quamquam omnia quae extant exempla, nomen ostendunt Octaviani, primum cave concludas, necessario ab hoc demum principe propriorum nummorum ius capiti Allobrogum tributum esse. At cuius generis colonia erat Vienna? Ex Plinii quidem oppidorum provinciae enumeratione non potest dubitari, quin iam eo tempore, ad quod Pliniana pertinet descriptio, sive aetate Augusti colonia fuerit civium Romanorum; namque cum non solum Vienna coloniarum numero ibi recenseatur eodem loco atque Arelas, Baeterrae, Arausio, sed etiam Plinius omnino coloniae nomen non nisi civitatibus tribuat civium Romanorum, Latinas autem civitates oppida Latina semper appellet, non colonias, manifestum est, civitatem Romanam hanc urbem tum habuisse. Cum Plinio deinde optime convenit, quod anno *ante* Christum 8 Genavae, in extremis Allobrogum finibus hominem invenimus qui cognomine indigena esse proditur, tribum autem profitetur Voltiniam, idque nullo ante gesto magistratu municipali, cum quo conferendus est ille, quem item Genavae habes, *C. Craxsius, Voltinia, Hilarus*, origine, ut apparet, et ipse Gallica et aetate satis antiqua. [47]) Iam vero stricto iure civium Romanorum coloniis, ut quae pro partibus ipsius Romanae reipublicae haberentur, non licuit, suo nomine nummos signare, sed Latina tantum oppida, quia foederatorum loco erant, eo privilegio utebantur; at cum Augusti aetate inveniantur municipia quoque civium Romanorum, quae id ius habuerint, possit in eadem atque haec privilegii caussa fuisse Vienna. Quod non admittam, quoniam quae oppida civium Romanorum hoc privilegio gaudebant, diserte solebant indicare, permissu Augusti se nummos signare, in Viennensibus autem nummis id non legitur, cui rationi accedit, quod hucusque nullum invenitur exemplum oppidi, quod ius illud ab Octaviano acceperit nondum Augusto. [48]) Quam ob rem nihil restat, nisi ut nummos Viennenses ex eodem iure at-

46) De la Saussaye, Numismatique p. 129—131.
47) App. epigr. nn. 600. 601.
48) Cfr. Mommsen, Roem. Münzwesen p. 677.

que Nemausenses et Cabellienses explicemus sive ex iure Latii a Iulio Caesare concesso. Accedit igitur civitatibus a Caesare novo iure constitutis et oppidum Vienna et cum eo civitas universa Allobrogum Viennae territorio attributa.

Quascunque modo enumeravimus gentes, eae in Subalpinis regionibus considebant, nec nisi Allobrogum fines ad interiora usque Alpium iuga tendebant. A quibus si procedimus ad gentes vere Alpinas, subito omnia desunt quae usque ad Caesaris aetatem recedant vestigia, et Augusti demum aetate certiora de his gentibus possunt erui. Conatus quidem erat Caesar Ser. Galba legato ultra fines Allobrogum in vallem Penninam misso in mediis Alpibus consistere, neque vero prospere successerat ea expeditio; postea autem inter tot tantaque alia bella tempus non erat, contra Alpinos ulterius insistere.

Iam vero postquam a Volcis Arecomicis orientem versus per omnem provinciam Caesaris indagavimus vestigia, rursus trans Rhodanum regressi restat ut transeamus in eam regionem, quae a Nemausensi territorio pertinet ad fines Aquitaniae et Hispaniae, sive in Volcarum Arecomicorum partem occidentalem et Tectosagum regionem universam. Est apud Plinium haec quoque provinciae pars plena oppidorum Latinorum, ut qui recenseat ibi Lutevanos, Cesseronem, Piscenas, Rutenos, Samnagenses, Carcasonem, Tolosam, Ruscinonem, fortasse etiam, si Francogallorum geographos sequeris, Cambolectros, Tarasconienses, Tasconos, Umbranicos. Ex quibus unius tantum extat inscriptio, quae nomen prodat Iulium, Carcasonis, si quidem recte huic oppido tribuimus titulum *C. Cominii C. f. Volt(inia) Bitutionis, prait(oris) c(oloniae)*, ut nos interpretamur, *I(uliae) C(arcasonis)*.[50] Cum vero nequaquam intellexeris, cur Carcaso magis quam reliqua eius regionis oppida ius Latii a Caesare acceperit, hoc unum exemplum sufficit ad diiudicandam totius regionis condicionem. Omnem igitur Tectosagum civitatem censemus una cum Carcasone Latium accepisse eiusque agrum quibusdam oppidis Latinis esse divisum, ex quibus insignior quam Carcaso reliquaeque

49) Caes. b. g. 3, 1—6.

50) App. epigr. n. 294, ubi vide quid de origine lapidis dixerimus.

omnes erat Tolosa. Praeterea memoratu digna est Ruscino, quod eius extant nummi aenei, in quorum una parte legis: IMP· CAESAR AVGVSTVS, in altera COL· RVSC. LEG. VI.[51]) Neque tamen ad nostram quaestionem novi quidquam afferunt hi nummi; cum enim nummi Galliae Narbonensis alii non extent nisi ante annum a. Ch. 23 signati[52]), consequitur quidem, Latium Ruscinonem habuisse ante hunc annum; quod vero Augusti nomine insignes sunt, ultra annum a. Ch. 27 non recedunt.

Quo modo postquam ex Plinii descriptione, quae semper pro fundamento nobis esse debet, exhibuimus, quidquid Caesari dictatori tribuendum censemus, qnid est quod restat? Restant primum inter Latinorum oppidorum nomina Augusta Tricastinorum et Lucus Augusti. Cum quibus si *Deam Augustam Vocontiorum* confers eorumque locorum situm consideras, non singula tantum oppida ab Augusto constituta ea esse vides, sed genus oppidorum, cuius communem condicionem itineraria probant eam fuisse, ut stationes continuae essent viae publicae, quae a Tarascone per Tricastinos et Vocontios Augustam Taurinorum ferebat per Alpes Cottias.[53]) Iam videas, quae caussa fuerit mutandae Vocontiorum condicionis a Iulio Caesare institutae. Cum enim secundum fluvium Druuam (*Drôme*) per medios Vocontios Augustus viam publicam duceret, stationes Augustam Tricastinorum et Lucum Augusti oppidorum Latinorum iure constituit, illi Tricastinos, huic Vocontios septentrionales et orientales contribuens, contra Deae Augustae, cum a Plinio inter ignobilia Vocontiorum oppida relegetur, tum quidem ius civitatis nondum videtur concessisse. Qua ratione cum Vasio, quae remota erat ab illa via, imminuta esset, fieri potuit, ut Augustus alia quaedam commoda ei concederet, unde nomen assumpsit coloniae Iuliae *Augustae.* Atque simili modo et ex Plinio et ex itinerariis desumere possumus, quae in Allobrogibus instituerit

51) De la Saussaye, Numism. p. 193—97. Quamquam origo horum nummorum, qui admodum rari sunt, minus certa est, tamen alii oppido quam Ruscinoni non possunt tribui.

52) Cfr. Mommsen, Roem. Münzwesen p. 677.

53) Itin. p. 553 sq.

Augustus. Vidimus ex nummis, sub Octaviano quoque Viennenses iure Latii usos esse, quod a Caesare acceperant, contra apud Plinium vidimus, coloniam civium Romanorum sub Augusto fuisse id oppidum: mutavit igitur statum eius coloniae Augustus atque mutandi occasio item fuit via publica per Allobroges strata. Cuius viae auctorem revera fuisse hunc imperatorem, probat itinerarium Antonini, ubi in mediis Allobrogibus inter Labisconem et Bergusiam habes stationem *Augustum.* [54]) Qui locus cum, ut ex inscriptionibus vides [55]), nihil esset nisi vicus neque aliud unquam in Allobrogibus extiterit oppidum nisi Viennae contributum, apparet non voluisse Augustum Viennensibus quidquam detrahere; contra non tantum Viennae, sed universis Allobrogibus civitatem dedit Romanam. Quod non solum probant inscriptiones Genavenses supra (not. 47) citatae, sed probat etiam Strabonis ille locus [56]), ubi dicit, Vocontios quidem ex iure Latii liberos esse a proconsulis imperio, Allobroges autem et Ligures ei esse subiectos. Quod non ita interpretandum est, ut eandem fuisse Ligurum et Allobrogum condicionem concludamus, immo Ligures stipendiariorum loco haud dubie proconsuli parebant, Allobroges civium Romanorum loco; nam revera in eo cives Romani aeque ac stipendiarii differebant a Latinis, quod utrumque illud provincialium genus sub ipsius proconsulis erat imperio sive iurisdictione, quamquam, ut natura fert, id imperium aliud erat in cives, aliud in stipendiarios.

Viennae et Vocontiorum oppidis ab Augusto et iure auctis et recens constitutis adicienda est ex Ptolemaei de Gallia Narbonensi libro [57]) *Alba Augusta Elycocorum*, ut quae e simili caussa originem traxerit. Indicatur enim in tabula Peutingeriana [58]) via a Foro Voconii Reios Apollinares ducens, quae necesse est attigerit eam regionem, in qua, ut infra videbimus, sita erat Alba Augusta, quare hanc quoque viam minorem ab Augusto stratam esse conicio, atque optime cum hac coniectura

54) Itin. p. 346.

55) App. epigr. n. 568.

56) Strabo IV. p. 203.

57) Ptolem. 2, 9: *Μήμινοι, ὑφ' οὓς Ἐλύκωκοι καὶ πόλις αὐτῶν Ἀλβαυγούστα.*

58) Tab. Peut. segm. II.

convenire mihi videtur, quod Alebece Reiorum, cuius ius Latinum a Iulio Caesare repetivimus, in inscriptionibus vocatur colonia Iulia *Augusta*. Ceterum Alba Augusta nusquam dicitur iure civitatis esse usa; erat potius mera statio oppidumque contributum.

Denique possit fieri, ut eidem caussae originem debuerit Valentia, quod oppidum in agro Cavarum constitutum item a Plinio recensetur inter colonias civium Romanorum, unde simul apparet, Augusti iam aetate eam coloniam extitisse. Primum enim si a Iulio Caesare deducta esset simul cum reliquis coloniis militaribus, aliquo modo id commemoratum esset a scriptoribus; deinde cum viae et in Vocontios et in Allobroges inde deverterent, verisimillimum est, huic occasioni sive Augusto eam coloniam esse tribuendam. Accedit, quod ipse Augustus in monumento Ancyrano indicat colonias se in Gallia Narbonensi instituisse. Quae coloniae, cum Narbo, Baeterrae, Arausio, Arelas, Forum Iulii constituta essent a Iulio Caesare, aliae autem civium Romanorum coloniae Augusti aetate ibi non extarent praeter illas et Viennam Valentiamque, non possunt esse nisi hae duae, eaedemque si Plinii locum accurate interpretamur, revera quodammodo a Divi Iulii coloniis videntur distingui. Utrum vero ex veteranis an ex indigenis sit constituta, non potest dici. — Quaecunque adhuc Augusto tribuimus, aut ad vias sternendas aut ad ordinandum oppidorum Gallicorum ius pertinuerunt; at Nemausi, qui et ipse nomen coloniae Augustae habuit, ratio est alia; quae colonia ab Augusto neque condita est neque iure mutata, sed summa cura exornata. Verum cum hanc Augustus liberalitatem Nemausensibus praebuerit post provinciam senatui traditam, infra erit, quod de ea re disseramus.

Contra quae circa fines provinciae in Alpibus Augustus instituit, ea utique attribuenda sunt illi aetati, qua sub ipsius Augusti manibus erat Gallia Narbonensis, neque omnino cogitandum erat de hac provincia senatui permittenda, antequam gentes Alpinae prorsus essent domitae et finium ab hac parte descriptio absoluta. Erant autem hae gentes Centrones in Alpibus Graiis, Salassi circa Augustam Praetoriam, civitates Cottianae inter Alpes Graias et maritimas. Iam vero neque Centrones,

qui Iulii Caesaris olim per Alpes iter impediverant[59]), diserte traditur, quando pacati sint, neque quando rex Cottius pacem illam cum Augusto fecerit, cuius Ammiano Marcellino teste[60]) una condicio ea erat, ut viam per Alpes Cottias sterneret, quae iungeretur viis ab ipsis Romanis ad fines regni Cottiani stratis; at Salassi quando domiti sint, certiores nos faciunt Dio et Livius[61]), qui domitam hanc gentem esse referunt anno a. Ch. 25 a M. Terentio Varrone. Tum haud dubie ex more Romano statim post subiectos Salassos et conditam in eorum finibus coloniam Augustam Praetoriam via illa munita est, quae per Alpes Graias et Allobroges ad Rhodanum duceret. Contra Centrones et regem Cottium iam antea esse pacatos inde concludo, quod, si cum his eodem tempore ac cum Salassis esset actum, Livius et Dio hoc non tacuissent, postea autem si essent pacati, Augusto non tempus fuisset, usque ad annum 22 ea perficiendi, quae ante traditam senatui provinciam necesse erat perfecta essent quaeque perfici non potuerunt nisi pacatis Inalpinis. Immo et haec et reliqua tum haud dubie imperator instituit, cum anno a. Ch. 27, postquam nomen Augusti assumpsit, in Galliam se contulit et ad componendas Galliarum res Narbone conventum egit.[62]) In eo conventu, ubi ulterioris Galliae census primum institutus est, commodissima erat occasio, provinciae quoque res ordinandi, ibi quoque censum denuo agendi, quae Caesar pater instituerat, confirmandi, latius propagandi, ubi opus erat mutandi. Tum igitur Allobrogum ius auxit Augustus, fines provinciae in Alpibus accuratius definivit, Centrones, Allobrogum finitimos pacavit[63]) simulque si ad hos doman-

---

59) Caes. b. g. 1, 10.

60) Amm. Marc. 15, 10: *quas* (Alpes Cottias) *rex Cottius perdomitis Galliis solus in angustiis latens inviaque locorum asperitate confisus, lenito tandem tumore in amicitiam Octaviani receptus principis molibus magnis extruxit ad vicem memorabilis muneris compendiarias et viantibus opportunas medias inter alias Alpes vetustas.*

61) Dio 53, 25. Liv. epit. 135.

62) Liv. epit. 134: *cum* (Augustus) *conventum Narbone ageret, census a tribus Galliis, quas Caesar pater vicerat, actus.* cfr. Dio 53, 22.

63) Centrones cui imperii Romani parti attribuendi sint, infra videbimus. Ius ab Augusto iis datum esse censeo stipendiariorum; quod

dos Allobrogum auxilium adhibuit, habuit, quod tam eximiam liberalitatem huic genti praestaret, tum pacem cum rege Cottio fecit, vias muniendas curavit, ad eas tuendas nova oppida condidit. Contra quae Ligurum pars a Caesare stipendiariorum loco erat relicta, antiquam condicionem etiam tum servabat. — Quae omnia cum finita essent et postremum Salassi quoque domiti et via per Alpes Graias munita, tum demum vere pacata erat provincia et in manus transire potuit senatus.

Hucusque de omnibus oppidis a Plinio nominatis argumento aliquo nisi sumus, unde deduceremus, utrum ab Augusto an a Divo Iulio essent constituta. Quibus absolutis, ut penitus excutiamus Plinii descriptionem, restare videmus quaedam oppida Latina, de quorum auctore nullo argumento singulari potest diiudicari: Aĕria scilicet, quae in Cavarum agro sita erat, et Bormannorum oppidum ac Comacina, de quibus, quoniam Plinius secundum litterarum ordinem singula oppida recenset neque alibi ea commemorantur, ne id quidem constat, ubi sita sint. At ne de his quidem prorsus incerta res erit, ubi primum, quae ex nostra de singulis oppidis expositione ratio consequatur generalis, viderimus.

Et primum quidem ut de universa et Caesaris et Augusti in ordinanda provincia ratione recte iudices et intellegas, quid illi tribuamus, quid huic, omnium primum teneas oportet, quaecunque in provinciae statu mutavit Caesar, in iis non temere eum egisse, sed certam quandam viam ac rationem esse secutum, non singulorum privilegiorum loco singulis civitatibus nova instituta et melius ius sive praemii loco sive redimentibus dedisse, sed sive volentem sive invitam provinciam uno consilio ex stipendiariae condicione perduxisse ad statum regionis ex omni parte Italico modo constitutae, ex peregrinorum iure ad civitatem, ex barbarorum ferocitate ad Italiae cultum atque humanitatem. Instituit autem id Caesar hoc modo, ut primum

enim Plinius Latio eos donatos esse dicit (hist. nat. 3, 24), nihil aliud probat, quam huius scriptoris aetate Latium eos habuisse, cum vero oppidum Centronum esset Forum Claudii, probabile est, imperatori Claudio Latium eos debere.

colonias quasdam conderet civium Romanorum, quae et firmum essent praesidium novi status et ad quod optimum ius pervenire possent, provincialibus ostenderent, deinde secundo loco reliquam provinciam, excepta tantum, ut videtur, Ligurum parte, Latio donaret tamquam primo civitatis gradu. Quo ipso consilio comprehensum est, ut tota provincia certo oppidorum numero describeretur, quorum suum cuique territorium contribueretur, et quaedam suas res administrandi libertas concederetur. Quae omnia revera unius consilii fuisse, nulla re magis probatur, quam quod loca minimi momenti, Aptam Iuliam, Carpentoracte Meminorum, Carcasonem Latino iure donata videmus, cuius doni ratio nullo modo potest intellegi, nisi ad universae provinciae statum refertur, et hanc igitur habes caussam, unde Aëriam quoque et Bormannos Comacinamque Iulio Caesari Latium debere concludas. Ergo manifestum est, ut supra diximus, non tam praemii loco latinitatem propagatam esse, quam ex universi imperii ratione, eamque ut intellegas, haec oportet memineris: extiterunt anno fere a. Ch. 50 regiones, quae neque Italico neque Graeco more institutae essent, tres: Hispaniae, Narbonensis nostra provincia, ulterior, quam modo Caesar vicerat, Gallia, quod omne provinciarum genus ex novo ordine a Caesare instituto ad reliqui imperii vitam civilem erat conformandum. At Hispaniae anno demum 45 multo labore Pompeianis potuerunt eripi, ulterior Gallia vixdum pacata nimis aliena tum erat a more Romano: una igitur extitit provincia Narbonensis, quae Graecorum commercio praeparata, ipsorum Romanorum dominatione per septuaginta annos Romanis legibus assueta eo commodior erat exequendo imperatoris consilio, quo angustioribus finibus erat circumscripta: ubinam insigniori exemplo omnibus populis potuit proponi, qua ratione in novo imperio quae barbarae fuerant provinciae, essent constituendae? et quo meliori via a priori ad novum statum traduci potuit universa gens quam propagatis per omnem provinciam institutis municipalibus, quae Italici quoque cultus tutissimum essent fundamentum. Quae melius illustrantur, si quae similia in aliis imperii partibus Caesar si non ad finem perduxit, incepit quidem et ut perficienda essent monstravit, comparamus: mitto colonias, quas in singula quaedam loca celebriora deduxit, ut Carthaginem et

Corinthum[64]), quibusque veterem optimatium iniuriam sustulit, commemorabo potius ea, quae per breve illud tempus quod victo Pompeio reliquum ei erat, ad universas regiones pertinentia decrevit: dedit latinitatem Siculis, quorum insula quamquam Graecis coloniis obtecta commercii tamen ratione antiquitus Italiae magis quam Graeciae erat iuncta[65]); dedit post pugnam Mundensem Hispaniae civitatibus, cum ut ibi res tum erant, neque ultro neque gratuito dare posset, omnibus quidem, quae petebant, rempublicam Italico modo constitutam; mox quae extra Italiam esse ad illud usque tempus censebatur, Galliae Transpadanae civitatem ab optimatibus pertinaciter denegatam vindicavit et ut Italiae ea regio adiceretur praeparavit, deuique omnibus, quae et in Italia et in provinciis erant, civium Romanorum oppidis, sive coloniae erant sive municipia, lege Iulia municipali prospexit. Quae omnia duorum annorum (a 46 ad 44) spatio si non perfecta et absoluta, decreta tamen et incepta non potuerunt non prodire nisi ex uno quodam summi viri consilio, qui et damna, quibus afflictum erat imperium tam ex optimatium dominatione quam ex bellis civilibus, et remedia damnorum perspiceret atque is esset, qui imaginem novi ordinis ingenio conciperet aeque vastam et graudem ac simplicem et facilem effectu. In quo ordine quomodo quae a C. Graccho praevisa, praeparata, incepta erant, Caesar receperit et firma manu unicaque ingenii perspicacitate executus sit, tam magnifice depinxit tamque splendidis coloribus illustravit Mommsen[67]), ut non sit, quod nos longius de hac re agamus. Tantum ad explicanda Caesaris de propaganda latinitate merita haec liceat in memoriam revocare: non deerant omnino Latinae in transmarinis provinciis coloniae, ut supra (p. 50) diximus, cum et a. a. Ch. 207 Agrigentum

64) Dio 43, 50.

65) Cic. ad Attic. 14, 12: *multa illis* (sc. Siculis) *Caesar, neque me invito, etsi latinitas erat non ferenda*; unde simul apparet, quid novi in eo Caesaris consilio fuerit.

66) Dio 43, 39: *τοῖς δὲ εὔνοιάν τινα αὐτοῦ σχοῦσιν ἔδωκε μὲν καὶ χωρία καὶ ἀτέλειαν, πολιτείαν τέ τισι, καὶ ἄλλοις ἀποίκοις τῶν Ῥωμαίων νομίζεσθαι. οὐ μὴν καὶ προῖκα αὐτὰ ἐχαρίσατο.*

67) Mommsen, Roem. Gesch. 3. B. V. K. 11.

Siciliae coloni Latini essent deducti [68]) et in Hispania a. a. Ch. 171 iis, qui ex militibus Romanis et ex Hispanicis mulieribus nati erant, Latii iure Carteiae permissum esset considere [69]); contra Gracchi eorumque sectatores cum de coloniis per transmarinas provincias condendis pro populo agerent, de propaganda latinitate non videntur cogitasse: nempe Gracchorum ante omnia intererat, plebi Romanae consulere, primum in Italia, deinde cum in Italia agri non suppeterent, in transmarinis provinciis; unde quid commodi ipsis provinciis eorumque indigenis eveniret, non fugit quidem eos, sed secundo vel tertio loco hoc collocantes semina tantum incerti fructus hic illic in provinciarum solo deposuerunt. Primus Iulius Caesar intellexit, postulare imperii Romani commodum, ut in ordinando provinciarum statu primum ratio haberetur ipsarum provinciarum, eamque rationem non solum in perducendis extrinsecus coloniis esse positam, sed in indigenarum civitatibus Italico modo constituendis, ad quem usum non solum oppidis provincialibus primus ille, ne colonis quidem eo deductis, plenam civitatem dare incepit, ut Gadibus Hispaniae [70]), sed sicut in reliquis quoque rebus non ita processit, ut prorsus nova inveniret et in rempublicam Romanam introduceret, ita in hac quoque re vetus reipublicae Romanae institutum recepit, quod et antiquitus propagando imperio inservierat neque multo ante in Gallia Transpadana simili modo erat adhibitum, ius scilicet Latii, cuius usu ad plenam civitatem exterae gentes praepararentur. Quae omnia sicut magno et liberali ingenio concepta erant, ita eadem liberalitas in minoribus rebus elucet, in concesso omnibus Latinis provinciae oppidis splendidiore coloniae nomine, quamquam coloniae eo non erant deductae, et in praetorum titulo ad Narbonis exemplum haud dubie magistratibus omnium oppidorum Italico modo constitutorum tributo ea aetate, qua in Italia hoc titulo non gaudebant nisi oppida antiquiora. Denique, id quod maioris erat momenti, simili liberalitati tribuas ius Nemausensibus concessum *argenteos* nummos signandi; quod ius,

68) Cic. Verr. 2, 50, 123. Momms., Roem. Münzw. p. 663 n. 1.
69) Liv. 43, 3.
70) Dio 41, 24.

quaecunque alia caussa accessit, cur Nemauso et Cabellioni daretur, cum iam liberae reipublicae aetate Latinis oppidis esset demptum [71]), liberali utique consilio his civitatibus est concessum.

Quae cum Caesaris in constituenda provincia ratio fuerit, Augustum aliam videmus viam esse secutum. Et ea quidem, quae a Caesare patre vivo non potuerant perfici, quin Augustus plene executus sit, non dubito, atque potest fieri, ut e perficiendis Latinorum oppidorum institutis non pauca sint relicta. Deinde in tribuenda Allobrogibus civitate haud minus liberalem se praebuit quam Caesar. At si non aliae rationes singularem postulare videbantur liberalitatem, minus largum in assignando civitatibus iure Augustus se gerebat. Itaque ut a minoribus incipiamus, consulto potius quam fortuito casu factum videtur, quod in Plinii descriptione, quam ex Agrippae commentariis sive ex publicae auctoritatis fonte repetitam esse vidimus, non coloniae appellantur civitates Latinae, sed vulgari nomine oppida Latina, coloniae autem nomen splendidius reservatur oppidis civium Romanorum; deinde propriorum nummorum iure Augustus omnem provinciam privavit [72]); denique quae in confiniis provinciae erant gentes Alpinae, eas quamquam pacatas non Latio donavit, sed stipendiarios reliquit, ut Centrones easque, quae postea Maritimarum Alpium peculiari provincia comprehensae sunt, Ligurum gentes aeque atque eam Ligurum partem, quae stipendiaria relicta erat a Caesare. [73]) Quod optime convenit cum eo, quod Suetonius [74]) refert, magni existimasse Augustum, ut sincerum atque ab omni colluvie peregrini sanguinis incorruptum servaret populum Romanum, atque affirmasse facilius se passurum fisco detrahi aliquid, quam civitatis Romanae vulgari honorem. Latinitas autem peregrinis data nihil aliud erat quam civitatis primus gradus. Nihilo minus ad firmanda ea, quae Caesar instituerat, ad stabiliendum Romanorum in provin-

71) Mommsen, Roem. Münzw. 319 sq. 669 sq.

72) Momms. ibid. p. 677.

73) Alpes Maritimae anno quidem a. Ch. 14 ab Augusto in provinciam sunt redactae (Dio 54, 24) nec tamen nisi a Nerone iure Latii donatae (Tac. Ann. 15, 32).

74) Suet. Oct. 40.

ciis imperium, ad instituta Romana solide propaganda pro sua virili parte contulit, data variis administrationis partibus per omnem vitam assidua opera, eaque ratione quae ex dominatione Romana populis subiectis obvenire poterant beneficia, ut minus splendide ita non minus efficaciter per orbem Romanum sparsit. Inter ea autem instituta, quae huic usui inserviebant, primo loco nominanda est publicarum per provinciam viarum institutio, deinde census et tributorum certa regula, ut non levis provincialibus ita minus molesta quam quod ante fuerat proconsulum liberum arbitrium, illud denique praesidium, quod quamvis restrictum tamen in senatoriis quoque provinciis contra magistratuum publicorum iniurias positum erat in imperatoris summo imperio.

Denique ut ex omni parte absolvamus hanc de Caesare dictatore et Augusto quaestionem, necesse est regressi ad id tempus, quo Iulius Caesar ad bellum Pompeianum in Italiam profecturus e provincia decessit, videamus, quo modo ab anno a. Ch. 49 usque ad a. a. Ch. 22 Gallia Narbonensis sit recta. Vidimus usque ad anni 49 initium Caesarem provinciae imperium legitime babuisse, deinde vero, idque iam ante Idus Ianuarias, factum esse senatus consultum, ut L. Domitio Narbonensis eveniret, Domitio autem conatum eius obtinendae male successisse. Imperavit igitur in provinciis Gallicis usque ad deditionem Massiliae ipse Caesar sive ex lege sive ex belli iure sive praesens sive absens. Iam vero postquam inter ipsam Massiliae deditionem sive mense Sextili a. 49 Romae dictator dictus est, fuit, quod provincias Pompeianis modo ereptas propriis rectoribus divideret. Itaque Appiano teste [75]) Hispaniae praefecit Lepidum, Siciliae A. Albinum, Sardiniae S. Peducaeum, Galliae, ut dicit Appianus, recens captae D. Brutum. In quibus etiamsi non nominatur Narbonensis, tamen quin contineatur aut in Hispania aut in Gallia non dubium est. Et Zumpt [76]) quidem Hispaniam praefert, quoniam postea a. 44 citeriori Hispaniae iunctam esse Narbonensem certum sit; at probabilius mihi videtur iunctam eam esse reliquae Galliae et ob id ipsum,

75) App. bell. civ. 2, 48.
76) A. W. Zumpt, Stud. Rom. p. 91.

quod a. 44 diserte traditur coniunctio provinciarum Hispaniae et Narbonensis, a. 49 non traditur, et quod tum quidem necessarium videri debuit, ut is, cui ulterior Gallia vixdum pacata neque ex omni parte tuta mandaretur, Narbonensem quasi praesidii et refugii loco haberet. Ceterum quod a Livio legatus Caesaris dicitur D. Brutus, recte suspicari videtur Zumpt, nomen praesidis tum quoque in Gallia fuisse penes ipsum Caesarem. At iam a. 47 sequitur illa de provinciis lex, ex qua in duo genera divisae sunt provinciae, alterum consularium, cuius a senatu, praetoriarum alterum, cuius a Caesare decernerentur rectores.[77] Iam vero etiamsi ne de hoc quidem anno cui Narbonensis permissa sit diserte traditur, e Caesarianis saltem provinciis eam fuisse inde apparet, quod, ut diximus, a. 44 simul cum Hispania citeriore M. Aemilio Lepido a Caesare decreta est.[78] Lepidus autem, qui initio anni 44 Caesaris, dictatoris V, magister equitum fuerat, eo tempore, quo Caesar occisus est, nondum abierat in provinciam, sed in eo erat, ut exercitum, quem secum trans Alpes duceret, ante portas urbis cogeret. Constat deinde ne occiso quidem dictatore, cuius caedis testem eum fuisse refert Plutarchus[79]), statim ex Italia sive ex urbe eum exiisse, sed primum id egisse, ut cum Antonio ipsi conveniret, quid cuique commodi ex illius temporis turba eventurum esset.[80]) Quod cum perfecisset, abiit quidem in provinciam, sed per omne tempus, quo eam regebat, potius quae in Italia fierent, ante oculos habebat quam ipsius provinciae res, de quibus nihil traditur, nisi a. 43 Lepidum et L. Munatium Plancum, ulterioris Galliae praesidem, a senatu iussos esse prope confluentes Araris et Rhodani coloniam condere, in quam reciperetur ea Allobrogum pars, quae in interna quadam eius civitatis seditione expulsa e Vienna in illa regione refugium quaesiverat.[81]) Condiderunt igitur illi Lugudunum, quod postea totius provinciae ulterioris caput foret.

---

77) Dio 42, 20.
78) Dio 43, 51.
79) Plut. Caes. 67.
80) Cfr. Drumann, Roem. Gesch. 1, 14—16.
81) Quod Dio 46, 50 dicit, senatum ideo praeter Plancum Lepidum

Quod cum mense Martio anni 43 esset factum, mense Maio in ipso provinciae solo de universi imperii fortuna coeptum est agi.[82]) Fugerat Antonius post cladem Mutinensem Alpes versus praemisso fratre Lucio Forum Iulii Idibusque Maiis ipse in ea urbe advenit sperans, se Lepidum, qui nondum certas partes sequebatur, sibi conciliaturum. At iam mense Aprili Plancus quoque, iussus a senatu in auxilium D. Bruti contra Antonium in Italiam venire, prope Viennam Rhodanum transgressus erat et, ubi audivit de Bruto Mutinaque obsidione liberata in Allobrogum finibus constiterat, continuo et cum Cicerone, qui senatus partes tuebatur, et cum Lepido agens. Lepidus autem, qui castra habuerat circa Avenionem, incertus etiam tum, quas partes esset secuturus, et suum exercitum contra Antonium ad Forum Voconii fluviumque Argenteum produxit, et Plancum ut eodem veniret copiasque sibi coniungeret rogavit. At dum hic Isaram cum exercitu traicit et iunctis cum Lepido copiis bellum administrare parat, Antonius suis quoque castris ad Argenteum promotis Lepidum ut secum contra senatum staret adegit, quo perfecto statim hostili impetu contra Plancum processit. Quae cum ita essent, hic regressus ad Allobroges adiuncto sibi ultio mensis Iunii D. Bruto, qui ex Italia cum exercitu venerat, per aliquod tempus cum quattuordecim legionibus et frequenti equitatu Gallico Isaram ab Antonio et Lepido defendit, postremo autem desperans de senatus partibus et ipse mense Septembri

---

quoque in condendo Lugduno occupasse, ut ambo averterentur a rebus Italicis, Drumann quidem (1, 17. 350) reiciendum id putat neque Lepido quidquam in ea re tribuendum, tam quia extra provinciae Narb. fines Lugdunum situm sit quam quia in inscriptione Caietana (Orelli 590) solus Plancus auctor coloniae dicatur; at primum cum et de deducendis Allobrogibus ageretur et de finibus inter Lugduni territorium et provinciam Narb. definiendis, suam uterque praeses negotii partem habuit; deinde in titulo illo in Planci honorem posito hunc solum Lugduni auctorem appellari, facile explicatur. Singularem de condito Lugduno opinionem, qua hanc coloniam primum a. 44 a M. Antonio constitutam putat, deinde auctam a Planco a. 43, defendit Boissieu, Inscr. de Lyon p. 124—132, neque vero sufficiunt quae affert argumenta.

82) De his quae sequuntur, cfr. Cic. ad famil. 10, 9 seqq. Drumann 1, 16—18. 347 sqq.

deserto D. Bruto ad Antonium et Lepidum transiit. Quod cum bene successisset et post fugam necemque D. Bruti nemo iam ab hac parte esset timendus, decessit Lepidus cum Antonio ex provincia relicto L. Vario Cotyla legato [83]), atque paullo post sub finem mensis Octobris facta est illa cum Octaviano de triumviris reipublicae constituendae conventio. Qua in pactione retinuit et Narbonensem et Hispaniam Lepidus sed ita, ut eodem tempore, quo illarum provinciarum imperium teneret, Romae consulatum ageret et, dum ipse in urbe remaneret, provincias per legatos regeret. [84]) At iam anno 42 post bellum Philippense a collegis eiectus e provinciis Hispaniam Octaviano coactus est cedere cum eaque haud dubie Narbonensem, ut quae tum quoque commodissime sub eodem imperio atque Hispania iungeretur. [85]) Ex foedere Brundisino utique, quod ictum inter Octavianum et Antonium est anno 40 [86]), universam Galliam Transalpinam obtinuit Octavianus neque unquam ab hoc inde anno usque ad annum 22 ex manibus eius Narbonensis excidit. Atque ex hoc tempore continua tranquillitate haec provincia coepit gaudere, cum neque civilis inter Antonium et Octavianum belli turbae huc pervenirent, neque quae identidem ulteriorem Galliam agitarunt, Germanorum incursiones et ipsorum Gallorum seditiones veterem provinciam excitarent. Quando autem ulterioris Galliae res flagitabant, ut sive ipse imperator sive quis alius ex domo imperatoria Galliam viseret, eiusmodi itinera non potuerunt non contribuere novo provinciae ordini stabiliendo et firmando. Et primum quidem in Galliam venit Octavianus a. 39 ducens secum Agrippam, qui seditiones ibi ortas sedaret et, postquam ipse imperator sub finem eiusdem anni in Italiam rediisset, anno quoque insequenti in Gallia remaneret. Quo anno cum in Aquitania rem gereret Agrippa et insignem de Aquitanis victoriam reportaret [87]), necesse est in Narbonensi provincia longius commoratus sit; ne-

83) Plut. Ant. 18. cfr. Drumann 1, 358 n. 9b.

84) App. bell. civ. 4, 2 sq.

85) Tacent quidem de Narbonensi et Appianus (5, 3) et Dio (48, 1), at ex omni divisionis illius ratione verisimillimum est, Octaviano tum hanc provinciam obvenisse.

86) App. b. c. 5, 65. Dio 48, 28.

87) App. b. c. 5, 92.

que tamen ullum extat eius rei testimonium; nam nummi illi aenei, qui frequentes adhuc inveniuntur, in quibusque Nemausenses non solum Octaviani sed etiam Agrippae memoriam celebrarunt, iuncta eorum capita in adversa nummorum parte fingentes [88]), non possunt referri ad a. 39 et 38; immo, quoniam aversae partis signa sunt crocodilus superque eum palma, quae signa, id quod et per se intellegitur et aliorum nummorum exemplo probatur, pertinent ad captam ab Octaviano anno 30 Aegyptum, et quod non Augusti, sed imperatoris Caesaris, Divi filii, nomen in iis legitur, ut non ante a. 30, ita non post a. 27 sunt signati. Eo ipso autem a. 27, quo Augusti nomen assumpsit, Octavianum supra (p. 96 sq.) vidimus iterum venisse in Galliam et conventum Galliarum egisse Narbone, eidemque anno supra attribuimus finitam provinciae formam exceptis quibusdam institutis, quae a domitis gentibus Inalpinis pendebant. Denique cum illa provinciae ad senatum transitione videtur cohaerere, quod nummi huius regionis post a. 23 signati non extant. Augustus scilicet, si priusquam ex manibus suis emitteret provinciam, ex omni parte ad suum arbitrium eam constitutam voluit, ex novo imperii ordine non potuit concedere, liberum in provincia senatoria oppidis Latinis ius esse proprios nummos signandi.

Per omne illud tempus, quo inde a Lepidi ex imperio eiectione sub Octaviano Gallia Narbonensis erat, exceptis annis 39 et 38, quibus Agrippa provinciam rexit, qui praesides fuerint ignotum est.

88) De la Saussaye p. 156 n. 8 sqq. tab. XX sq.

Caput III.

De rebus in provincia Narbonensi inde ab anno a. Ch. 22 usque ad imperatorem Diocletianum gestis. [1]

Emiserat quidem e suis manibus administrationem Galliae Narbonensis Augustus, neque vero omnem huius provinciae curam abiecit. Namque ut omnino provinciae quoque senatoriae non ita liberae erant ab imperatoribus, ut non identidem curam eorum excitarent, ita in hac nostra praesertim regione saepius erat, quod etiam post annum 22 sive ipse imperator sive qui eius vice fungebatur, provinciae curam susciperet, quoniam et ulterioris Galliae et Germaniae status plus semel praesentiam eorum flagitabat. Itaque cum a. 20 non solum Galli recens subiecti, sed etiam in Hispania Cantabri seditiose agerent, Agrippa vice imperatoris ad pacandas eas regiones missus non potuit non in provincia quoque meridionali quae ad bellum gerendum opus erant auxilia sibi vindicare ideoque etiam ibi imperium suum exercere. [2] Eum vero, qui in qua regione ex pluribus provinciis composita summo imperio fungebatur, in senatus quoque provinciis maius quam praesidis imperium exercuisse, pluribus exemplis docetur. Neque enim solum Agrippam eiusmodi maius imperium exercere videmus in provincia Asia, sed etiam Germanicus Caesar, cum a. p. Ch. 19 per Achaiam, Macedoniam, Asiam, quae senatus provinciae erant, in Syriam se conferret, internis illarum provinciarum rebus operam navavit. [3] Eiusmodi igitur imperio utentem anno a. Ch. 20 statuimus Agrippam pacata ulteriore Gallia Luguduni residentem quattuor illas vias publicas muniendas curasse, quae auctore Stra-

1) In hoc capite satis habemus externam provinciae historiam describere, interioris vero status progressum sive iuris mutationes et ad totam provinciam et ad singula oppida pertinentes ad describendam administrationem relegamus.

2) Dio 54, 11.

3) Ioseph. Antiq. XVI. 2, 3—5. Tac. Ann. 2, 54. cfr. Ritter, de Diocletiano novarum rerum in rep. instit. auctore I. p. 10 sqq.

bone[4]) non solum in tres provincias Gallias ferebant, sed etiam meridiem versus in Narbonensem. Quod optime quadrat ad ea, quae supra de viis ab Augusto munitis exposuimus. Extiterunt iam anno 22 praeter viam Domitiam antiquitus stratam duae viae, quae provinciam Italiae iungentes in sinistra Rhodani ripa commercii et exercituum usui inservirent. Ex quibus altera, quae per Alpes Cottias ducebat, postquam ex Alpibus descendens Vocontiorum fines transgressa est, a Valentia fere Rhodani cursum inferiorem sequebatur, altera per Alpes Graias et Allobrogum fines munita Viennam iunxit Valentiae. Sed inter Lugudunum et Viennam ante Agrippae illam viarum in Gallia curam nulla extitit via publica, ideoque hanc instituens et reliquis secundum Rhodanum viis iungens vere Agrippa, ut dicit Strabo, iter perfecit a Luguduno recta Massiliam ducens. — Neque minus eidem anno tribuerim operum quorundam publicorum curam, quam Nemausi Agrippam suscepisse testantur duo inscriptionum fragmenta, quae eodem simplici modo atque in Pantheo Romano Agrippam produnt auctorem.[5]) Restitit autem tum in Galliis Agrippa a medio anno 20 a. Ch. usque ad mensem fere Aprilem sive Maium anni 19.[6]) Neque vero multo post ipsum Augustum belli Germanici metus in provinciam nostram duxit.[7]) Cum enim Sigambri et Usipetes et Tenchteri a. a. Ch. 16 non solum in ipsa Germania Romanis damnum fecissent, sed Rhenum transgressi invasissent in Galliam et Lollio Caesaris legato cladem inflixissent, exterritus hoc periculo Augustus haud moratus est ipse in Galliam accurrere, atque tam intentam curam harum provinciarum rebus navavit, ut usque ad annum 13 ibi remaneret.[8]) Atque quamquam prompta imperatoris consilia a persequenda victoria deterrebant Germanos, Augustus tamen ne Narbonensem quidem provinciam satis tutam ab hostibus putans Nemauso coloniae, ut hodie quoque legitur in porta, quam dicunt Augustam, portas murosque dedit[9]), neque dubito, quin alia quoque tum op-

4) Strabo IV. p. 208.
5) Append. epigr. nn. 93 sq.
6) Cfr. Fischer, Zeittafeln p. 396.
7) Dio 54, 20. Vell. 2, 97.
8) Cfr. Fischer, Zeittafeln p. 407.
9) Append. epigr. n. 95.

pida muniverit, quorum fortuito casu iam non extant monumenta. Quae vero de coloniis per eos annos in Gallias deductis et civitate ibidem propagata Dio refert[10], ad ulteriorem potius quam ad meridionalem Galliam sunt referenda. Aeque anno a. Ch. 10, quo Augustus ultimum in Gallia moratus est una cum Tiberio et Druso privignis et quo Luguduni kalendis Sextilibus dedicata est ara celeberrima Romae et Augusti[11], num quid omnino apud Narbonenses imperator perfecerit, ignotum est. At extremis Augusti annis in quibusdam huius provinciae coloniis interioribus turbis paullum interrupta esse videtur tranquillitas. Legimus enim apud Velleium, anno p. Ch. 11 Tiberium Caesarem redeuntem ab expeditione Germanica, qua cladem Varianam ultus esset, res Galliarum maximae molis accensasque Viennensium dissensiones coërcitione magis quam poena mollisse.[12] Cui Velleii relationi si conferimus, quod ex titulo arae Narboneusis[13] perspicuum est, anno p. Ch. 11 recurrisse municipes coloniae Narbonis Martii ad Augustum, ut iudicia plebis decurionibus coniungeret sive pacem municipii restitueret, suspicamur et infra demonstrare conabimur, ex creatione magistratuum eo tempore in municipiis Gallicis inter populum naturae indole turbidiorem saepius contentiones esse ortas, quibus compescendis praesidis imperium non videbatur sufficere.

Sub imperatoribus Tiberio et Caio nihil omnino de Gallia Narbonensi auditur; nam ne in Caii quidem illo per Gallias itinere, in quo Luguduni commorans in ditissimum quemque Gallorum saeviit[14], quamquam sine dubio Narbonensibus non pepercit, huius provinciae fit mentio.

Verum interea, quae Iulius Caesar et Augustus ibi sparserant semina, laete provenerant atque in dies haec Transalpina regio Italia verius erat quam Gallia. Iam frequens per oppida provinciae erat equitum Romanorum multitudo, iam qui inter

---

10) Dio 54, 23. 25.

11) Dio 54, 32. Liv. epit. 137 aliisque locis, quos collectos habes apud Uckert, Geogr. 2, 2 p. 465 not. 15. cfr. praeterea Boissieu, Inscript. de Lyon p. 82—84.

12) Vell. Pat. 2, 121.

13) Append. epigr. n. 1. col. I. vv. 29—31.

14) Dio 59, 21 sq. Suet. Calig. 20.

cives Romanos qui ubique degebant in provincia insignissimus quisque erat, ad honores urbanos accesserat et senatores urbi Gallia inceperat suppeditare, iam, ut infra demonstrabitur, una ex coloniis civium Romanorum, Vienna ab imperatore Claudio ita Italiae condicioni est admota, ut ipsum ius Italicum acciperet.[15]) Mox a. p. Ch. 49 idem Claudius in augendis ad Italicum modum provinciae nostrae commodis ulterius progrediens senatoribus inde ortis ob egregiam, ut dixit, huius provinciae in patres reverentiam concessit, ut eodem iure quo senatores Siciliae non exquisita principis sententia res suas inviserent.[16]) Denique sicut de Vienna, ita de Narbone quoque Martio bene meruisse hunc imperatorem inde apparet, quod assumpto in honorem Claudii novo cognomine iam dicebatur colonia Iulia Paterna Claudia Narbo Martius.

Eodem tempore qui provinciae finitimi erant Inalpini iure sunt aucti, atque postquam Centrones ut supra (p. 96 n. 63) docuimus a Claudio, Alpes Maritimae a Nerone[17]), ab eodem Nerone haud dubie Alpes Cottiae[18]) Latium acceperunt, iam non extitisse videtur inter Italiam et Galliam ulla civitas, quae non aliqua ratione ad Italicum civilem modum esset constituta, atque si qua Ligurum provinciae Narbonensis pars etiam post Augustum stipendiaria fuerat, tum utique in latinitatem debuit esse recepta. Ceterum Alpium Maritimarum territorio ab imperatore Galba subtracti sunt Avantici et Bodiontici, qui Diniam pro capite habentes nostrae provinciae sunt adiectae.[19])

---

15) Tac. Ann. 11, 23 sq. Et de iuris honorum et do iuris Italici in prov. Narb. ratione infra in descriptiono administrationis disputabimus.

16) Tac. Ann. 12, 23.

17) Ibid. 15, 32.

18) Suet. Nero 18: *Regnum — Alpium defuncto Cottio in provinciae formam redegit.* Quo loco quamquam de iure Latii nihil dicitur, tamen verisimile est, Alpes Cottias eo iure, quod Plinii aetate (hist. nat. 3, 24) habuerunt, cum non bello subactae essent, eodem tempore quo in provinciam redactae sunt donatos esse ab eodem principe, qui Maritimis Alpibus latinitatem dedit.

19) Plin. 3, 5: *adiecit formulae* (sc. provinciae Narbonensis) *Galba imperator ex Inalpinis Avanticos atque Bodionticos, quorum oppidum Dinia.*

Advenerunt interim ea tempora, quibus civilia inter Galbam et Vitellium, Vitellium deinde et Othonem bella Narbonensis quoque provinciae tranquillitatem per breve tempus turbarunt. Et Galbae quidem libenter adhaesisse videtur haec Galliae pars, ut qui non solum provinciae fines Alpes versus promoveret, sed etiam auctore Tacito [20]) Viennenses in multo honore haberet, Viennensibus eo gratiore, quod eodem tempore Lugudunensium vicinorum, qui acri aemulatione Viennenses persequebantur, commoda Galba imminuerat, unde, ubi primum turbari res in Gallia coeperunt, aperta inter duas colonias secuta sunt certamina. At in Germania interim initio anni 69 imperator ab exercitibus dicitur A. Vitellius et paucis diebus post Galba quidem Romae ex imperio eicitur, Vitellio autem Otho a praetorianis opponitur. Quo modo mutatis rebus cum propior esset Vitellius eiusque res superior videretur, et ulteriores tres provinciae et Narbonensis Gallia in Vitellii verba sunt adactae, atque Vitellianis copiis ex Germania Italiam versus tendentibus aperti erant Gallicarum civitatum fines. [21]) Itaque Fabius Valens Vitellii legatus cum inferioris Germaniae exercitum, ad quadraginta milia armatorum, per Treveros, Mediomatricos, Leucos, Lingones, Aeduos Lugudunum duceret, nusquam infestos invenit Gallos, immo pacem tantum deprecantes et, ut pacarent feroces militum animos, ad omnia paratos. Quae cum reliqui formidine commoti facerent, Lugudunenses iniuriae a Galba factae memores et spe exigendae a Viennensibus ultionis elati laetis animis Vitellianos exceperunt, id ante omnia agentes, ut in Viennensium eversionem et duces et milites accenderent. At obstitit eiusmodi consiliis Fabii avaritia, ut qui commodius putaret, terrorem provincialibus incussum in suum usum quam in militum libidines convertere ideoque cum Viennae animo satis fecisset, lento agmine per Allobroges et Vocontios ad Cottianas Alpes progrederetur, et itinerum spatia et stativorum mutationes civitatibus ac possessoribus venditans. Lucus autem Augusti Vocontiorum, cum tardius, ut videtur, incolae Fabii ingenium perspicerent, incendio esset deletus, nisi apportata prompte pecunia avaritiae legati satisfactum

20) Tac. hist. 1, 65.
21) Ibid. 1, 76. 2, 13.

esset.[22]) At ubi primum transiit haec exercitus moles, cum Caecina alias Vitellianorum copias ex superiore Germania per Helvetios et Alpes Penninas in Italiam duceret, cum deinde universi belli tempestas circa Padi ripas conflaretur, interior quidem Gallia iam expers erat periculi, sed per oram maritimam acrius certamen videbatur instare.

Dum enim ex Germania exercitus sui agmina in Italiam mittit Vitellius, Otho navium ope universam oram Italicam usque ad Alpium radices tenens Narbonensem provinciam a mari statuit aggredi. Itaque additis classi validissimis copiis, urbanis praetorianisque cohortibus, maiorem navium numerum ad oram Ligusticam misit, quae primum Alpibus Maritimis potirentur. Quam procuratoriam provinciam cum qui eo tempore tenebat Marius Maturus ab Othonianis defendere non posset, imminebat iam inermi Narbonensium orae classis hostilis invasio. Itaque advolantibus ad Fabium perterritarum coloniarum legatis concessae sunt equitum aliquot turmae et levis armaturae quaedam cohortes, quae circa Forum Iulii consistentes Othonianos ab ora impedirent. At cum interim suos quoque milites hostis ad illam coloniam admovisset, secuta sunt duo proelia, ex quibus Vitelliani quidem inferiores excesserunt neque tamen ita, ut incruenta victoria et aperta provinciae ora victoribus esset. Immo Vitelliani ex clade Antipolim regressi adeo minacem praebuerunt speciem, ut Othoniani in Liguriam reverterent.[23]) Secuta deinde est pugna Bedriacensis, qua Vitelliana caussa ducibus Caecina et Valente victrix erat et Othone occiso Vitellius solus restitit imperator.

Verum ut reliquus orbis Romanus hac Vitelli victoria nequaquam pacatus est, sed orta inter Vitellium et Vespasianum contentione denuo in maximas civilis belli turbas coniectus, ita ne Narbonensis quidem provincia iam ab omni periculo erat tuta. Namque Fabius Valens, qui post pugnam Cremonensem in regione Cisalpina cum copiis suis stare non posset, consilium cepit e sinu Pisano correptis navibus in Galliam Narbonensem proficiscendi indeque Gallias Germaniasque evocandi. At quam-

22) Tac. hist. 1, 62—66.
23) Ibid. 1, 87. 2, 12—15.

quam adiutorem consiliorum invenit Marium Maturum, procuratorem Alpium Maritimarum, qui intactam Vitellio fidem servarat, Narbonensis tamen provincia iamiam Vitellianis erat erepta; nam procurator Valerius Paulinus Foroiuliensis, celeriter quidquid copiarum nancisci poterat, corripiens non solum patriam suam, sed circumiecta quoque oppida in Vespasiani verba adegerat iamque paratus erat, Fabium ab introitu provinciae arcere. Interim vero non solum Fabianorum fides coeperat labefieri, sed ipse Fabius, postquam incertus consilii in naves regressus est, adversa tempestate ad Stoechadas insulas appulsus, navibus a Paulino missis interceptus est.[24]) Quo casu in his regionibus bellum erat finitum et dum in Italia debellatur, tranquilla erat omnis Gallia meridionalis.

Ceterum per omnes has de summo imperio contentiones videmus praeter Forum Iulii et reliquam oram maritimam solorum Viennensium nomen celebrari. Obiciunt Lugdunenses Viennensibus adiutos iam Vindicis conatus, conscriptas in praesidium Galbae legiones, quin sedem Gallici belli eam urbem dicunt. Et fuisse revera momenti alicuius Viennensium consilia inde videmus, quod et Otho in huius coloniae honorem unum ex anni 96 consulatibus destinat Pompeio Vopisco ut Viennensi[25]) et Vitellius, cum post proelium Bedriacense ex Germania in Italiam proficiscitur, Viennae moratur[26]), conciliaturus haud dubie Viennenses, ut qui Galbae memoriam prosequentes Vitellium non minus odissent quam Othonem.[27]) Vigebant tum quoque in hac colonia ex solis indigenis formata quaedam priscae fortitudinis Gallicae reliquiae, atque inter omnes civitates Gallicas haec et frequentissima erat, et sola integrum territorium a Rhodano usque ad Alpes, a Lugduno ad Isaram conservarat. Neque vero minus quae inde a Iulio Caesare a compluribus imperatoribus in Viennenses collata sunt beneficia, suos fructus tulerant. Namque sicut a. 21 sub Tiberio Iulii Flori

24) Tac. hist. 3, 41—43.
25) Ibid. 1, 77.
26) Suet. Vitell. 9.
27) Tac. hist. 2, 66. cfr. 1, 64: *Gallis cunctatio exempta, et in Othonem ac Vitellium odium par, ex Vitellio et metus.*

et Iulii Sacroviri in ulteriore Gallia rebellio provinciam Narbonensem ne minime quidem tetigerat[28]), ita tum quoque cum eo ipso anno 69, quo de imperio Romano certamen in Italia erat, Iulius Civilis in Batavis, Classicus et Iulius Tutor in Treveris, Iulius Sabinus in Lingonibus contra dominationis Romanae iugum coniurarent et omne nomen Gallicum ad expellendos Romanos et erigendum novum Galliarum imperium evocarent, non audientes dicto fuerunt Allobroges, non fuit universa provincia meridionalis, ut quae Italia iam verius esset quam Gallia; atque Valerius Asiaticus et Pompeius Vopiscus Viennenses consules Romani[29]), Antonius Primus Beccus Tolosanus[30]), qui inter belli turbas senatorium ordinem recuperaverat, Domitius Afer Nemausensis e celeberrimis suae aetatis oratoribus[31]), Varro Atacinus Narbonensis[32]), Pompeius Trogus Vocontius[33]), rerum gestarum hic scriptor, ille poëta, indigenae omnes viam monstrabant municipibus, qua ad summos honores duceret fides Romano imperio servata.

Iam vero ex Vespasiani inde aetate cum per centum fere et quinquaginta annos nullo modo provinciae pax turbaretur, altum de provincia nostra silentium esse coepit apud scriptores veteres. Legimus quidem, Hadrianum cum per omnes imperii Romani provincias migraret, in Gallia quoque longius moratum esse et Nemausi in honorem Plotinae basilicam opere mirabili

28) Tac. ann. 3, 40—46.

29) Valerius Asiaticus cos. II. fuit a. p. Ch. 46; de Vopisco cfr. supra not. 25.

30) Tac. hist. 2, 86. Suet. Vit. 18.

31) Cos. fuit a. p. Ch. 39, mortuus est a. 59. cfr. Tac. dial. 13—15. ann. 4, 52. 66 etc.

32) Vixit Varro 82—36 a. Ch. cfr. Wüllmer, Comm. de P. Terentii Varronis Atacini vita et scriptis. Monast. 1830.

33) Iustin. 43, 5: *In postremo libro Trogus maiores suos a Vocontiis originem ducere, avum suum Trogum Pompeium Sertoriano bello civitatem a Cn. Pompeio percepisse dicit; — patrem quoque sub Caio Caesare militasse epistolarumque et legationum simul et anuli curam habuisse.* — Adnumerandus hominibus litteratis est Votienus Montanus Narbonensis, orator celeberrimus, quem constat sub Tiberio laesae maiestatis reum fuisse. Tac. ann. 4, 42. Martial. 8, 72 etc. De quibus omnibus cfr. eos, qui historiam litterarum Romanarum scripserunt.

extruxisse[34]; legimus deinde, Nemausensem familiam Aureliorum Fulviorum imperatorem dedisse Romanis Antoninum Pium[35]), legimus denique sub eodem Antonino Pio Narbonem Martium incendio esse afflictum, eiusque casus vivum quoddam testimonium habemus in inscriptione quadam adhuc conservata[36]), unde apparet, opem tulisse afflictae coloniae imperatorem, — at num quae in civilibus provinciae institutis sint novata, num oppidorum iura mutata sint, qui provinciales in urbe fama inclaruerint[36a]), de omnibus eiusmodi rebus nihil omnino apud scriptores invenimus et ne proconsulis quidem ullius nomen, qui per illud tempus provinciam rexerit, libri nobis produnt. Atque si ex scriptoribus solis antiquitatis Romanae documenta essent repetenda, perpetuo torpore mersas crederes pacatas imperii Romani provincias, et deserta potius, quam regiones a multitudine hominum habitatas cultasque; quin nisi Ptolemaeus secundo p. Ch. saeculo imperium Romanum descripsisset, prope dubitares, num omnino extitissent. Attamen sub finem primi et initio secundi saeculi florentissimo statu gaudebat universa Gallia, et haec nostra inprimis provincia inter felicissimas orbis partes haud dubie est recensenda. Testantur numerosi lapides inscripti, testantur posterioris temporis scriptores, qui eius urbes celebrant, testantur vivo quodam testimonio, quae eius regionis oppidorum nunc quoque speciosissima hodie admiramur decora sive monumenta illa, quorum sine dubio maxima pars ex imperatorum temporibus Commodo anteriorum supersunt.

Verum advenit interim tempus illud, quo rebellantes provinciarum rectores in annos alii imperium coeperunt usurpare et orbis Romanus perpetuis imperatorum contentionibus divisus et dilaceratus iam non potuit repellere a finibus barbarorum

34) Spart. Hadr. 12.

35) Capit. Ant. Pius 1.

36) App. epigr. n. 3.

36a) Nisi forte exceperis Arcanum illum Martialis amicum, *quem pulcherrima redire Narbo — ad leges iubet annuosque fasces* (Mart. epigr. VIII. 72), quique pater potest esse nostri *L. Aemilii L. f. Pap. Arcani* (app. epigr. n. 17), qui dicitur adlectus in amplissimum ordinem ab imperatore Caesare Hadriano.

nationes, quae inde a M. Aurelii contra Marcomannos bellis coniuratione quadam extremas imperii provincias coeperant infestare. Quo rerum statu etiamsi et omnes imperii provinciae et ipsa Italia affligebantur, tamen provinciae pacatae meliore condicione solebant esse ob id ipsum, quod plerumque et interiores seditiones in iis tantum oriebantur regionibus, ubi validi exercitus maioraque imperia erant, et barbari nisi infelicissimo illo triginta qui dicuntur tyrannorum tempore ad provincias usque Italiae propiores non pervenerunt. Quo fit, ut vel tertio saeculo, per quod non iam Romae, sed extra Italiam de summa rerum decernebatur, Narbonensis provinciae et nomen et fata prope nunquam commemorentur. Devictus est a. p. Ch. 197 Clodius Albinus a Septimio Severo in Gallia, quin etiam in ipsis finibus provinciae prope Lugudunum[37]; neque dubium est, quin ex hoc certamine meridionalis Gallia non intacta exierit, sed ut ipsum illud acerrimum proelium paucis tantum verbis describitur, ita rerum in Narbonensi regione gestarum nusquam fit mentio. Quas turbas secuta est celebris illa Caracallae constitutio, qua quicunque tum in orbe Romano erant homines liberi, cives Romani facti sunt[38]), quae inventa ad fisci commoda, si maioris omnino momenti erat in nostra provincia pridem Romanis legibus moribusque assueta, vix ullum incrementum ei attulit. Aliquot annis post Clodius Pupienus Maximus, qui anno 238 cum Caelio Balbino imperator factus est, proconsul fuit Galliae Narbonensis. Qui cum eodem illo a. 238 praefectus urbi esset, inter praeturam autem et consulatum tres egisset proconsulatus Bithyniae, Graeciae, Narbonensis, initio fere imperii Severi Alexandri Narbonensem videtur rexisse.[39]) Hunc ultimum cognovimus proconsulem nostrae provinciae, et brevi post senatoriae provinciae, quae iam Dionis aetate prope penitus in imperatorum potestatem pervenerant, videntur abolitae. Sub imperatore quidem Tacito *recepisse* se dicunt senatores ius proconsulare[40]) itemque Probus[41]) celebratur,

37) Herodian. 3, 7. Spart. Sever. 11.
38) L. 17 Dig. de statu hominum (1, 5.) Dio 77, 9.
39) Vit. Max. et Balb. 5.
40) Vit. Floriani 6: *nos recepimus ius proconsulare.*
41) Vit. Probi c. 13.

quod patribus permiserit, ut proconsules crearent; sed quo inter Severum Alexandrum et Tacitum tempore ius senatus ad imperatorem transierit, accuratius definiri non potest.

Ad tristem vero illam triginta tyrannorum aetatem quod attinet, constat extitisse imperatores in ulteriore Gallia Postumium (258—265), Lollianum, Victorinum, Marium, Victoriam sive Victorinam (265), Tetricum (265—274), inter quos et Postumius et Tetricus firma manu et imperium tenuerunt et Romani nominis dignitatem servarunt; atque licet conicere, hanc nostram provinciam beneficiorum, quae ex valido hoc per illas turbas imperio Galliis redundarunt, participem fuisse. Attamen mirum utique est, quod in Gallieni quidem honorem positus titulus unus extat[42]), contra ex omnibus illis, qui Gallieno obstiterunt, ne unius quidem memoria in hac provincia ullo monumento conservata est. Ceterum cum excepto fortasse Claudio Gothico[43]) ne reliquorum quidem principum ante Diocletianum extent tituli, nihil ex tyrannorum illorum oblivione concluserim. Quod deinde inter devictum ab Aureliano a. 274 Tetricum et Diocletianum interest tempus, id saltem memorabile offert, quod, si quidem Victorem et Eutropium audis, iterum haec provincia imperatorem dedit imperio, M. Aurelium Carum, ortum Narbone.[44])

Sequitur deinde Diocletiani illa aetas, qua Maximinus, Bagaudarum in Galliis rebellantium victor, a. 286 a Diocletiano in consortium et imperii et nominis Augusti admissus, cum reliquis partibus occidentis nostram quoque provinciam sub imperium suum suscepit. At haec aetas novaque, quae nunc facta est, totius imperii omniumque provinciarum divisio aliena est ab huius libri consilio.

42) App. epigr. 431.

43) App. epigr. n. 319.

44) Vict. epit. c. 38. Bip. Eutrop. 9, 12. Alia origo Cari aut Romana aut Illyrica aut Mediolanensis indicatur a Flav. Vopisco vit. Car. 4.

Pars II.

Provinciae Narbonensis qualis ab Augusto usque ad Diocletianum erat administratio.

Uniuscuiusque provinciae Romanae administratio et in toto erat et in partibus. Partes autem provinciae Narbonensis, qualis a Caesare dictatore et ab Augusto constituta est, vidimus fuisse oppida certis territoriis circumscripta et Italico modo constituta. Iam vero si in qua Romani imperii provincia eiusmodi rerum ordo erat constitutus, administrationis pars maior posita erat non in toto, sed in partibus, ut quae essent quidem quasi instrumenta quaedam, quibus universae provinciae regimen uteretur, sed instrumenta, quantumcunque imperii ratio permitteret, automata. Ergo si quaestio instituenda est de universis provinciae institutis, priore loco, quae a partibus praesumpta sit administrandae provinciae portio, sive de institutis municipalibus oportet quaeramus, posteriore loco, quae generali provinciae administrationi sint relicta, sive de institutis proprie provincialibus. At cum utriusque partis fundamentum nemo non videat externam esse provinciae formam sive territoriorum divisionem oppidorumque in iis dispositionem, omnium primum ager provincialis territoriis descriptus ante oculos est ponendus.

Caput I.

Descriptio territoriorum.

Provinciae Narbonensis formam, qualis conscripta erat in imperatorum commentariis, si restituere conamur, definiendum nobis est, quod cuiusque oppidi nomen fuerit, qui situs, quae cuique inferioris ordinis loca sint attributa, qui agro constituti

fines. Quae etiamsi nequaquam ex omni parte poterimus absolvere, tamen nequaquam omnibus destituti sumus auxiliis, ut quibus praesto sint Plinii descriptio provinciae ex ipsis Agrippae commentariis desumpta, Strabo, Mela, Ptolemaeus, lapidum inscriptorum fides, veterum itinerariorum auctoritas, testimonium denique notitiae provinciarum Galliae, quae quamquam quarti tantum saeculi formam exhibet, tamen ad priorem quoque aetatem non nullius momenti est. Quae omnia si auxilio vocabimus, inter se comparabimus, cum naturali locorum situ et hodiernis oppidorum nominibus conferemus, videbimus fieri posse, ut in permultis quidem quaestionibus incerta tantum nec nisi coniecturae aliquam speciem, sed in haud paucis probabilitatem quandam, in nonnullis veritatem eruamus.

Quod opus aggredientes si quae de hac re ante nos scripta sunt, perscrutamur, videmus magnam adesse librorum molem conscriptorum ab hominibus indigenis et eius regionis gnaris, qui sive universam provinciam sive singula loca tractantes de veterum Galliae Narbonensis locorum situ egerunt. Ex quibus libris hanc scientiam multum commodi habuisse libenter fatemur et omnino, ubi de locorum situ quaeritur accurate definiendo, nemo negaverit, neminem posse certo iudicare nisi qui illam regionem, qualis hodie est, ex omni parte cognoverit, ideoque homini extero, qui obiter tantum hos tractus perlustravit, a propria opinione esse abstinendum. Attamen si indigenae scriptores, ut haud raro fit, inter se dissentiunt sive aperte veterum scriptorum vel inscriptionum testimonia, quae et ipsa suam eamque haud parvam habere debent fidem, neglegentes ex monumentis dubiae fidei et nominum veterum et recentium quadam inter se similitudine de eiusmodi rebus iudicant, unicuique liceat non dico coniecturam coniectura commutare, id quod nullius utilitatis est, sed ad discernendum, quid admitti possit quid non, suo uti iudicio. Itaque in hac omni de locorum situ quaestione commodissimum erit, ubi recentiores geographi et inter se consentiunt neque cum veteribus testibus certant, simpliciter assentiri, ubi dissentiunt, si extant, ex quibus possit diiudicari, diiudicare, si non extant, varias afferre opiniones. Inter Gallicos autem scriptores ii, qui huius scientiae

fundamenta iecerunt, Hadrianus Valesius[1]) et Anville[2]) merito ne hodie quidem quadam auctoritate carent et Anvillium imprimis, quicunque de his rebus agunt, libenter sequuntur, quippe qui neque vetera testimonia neglegat et sanum adhibeat indicium, atque Millin[3]) quoque, qui iter per Galliam meridionalem initio huius saeculi factum libro iure laudato descripsit, in iis rebus, ubi non quae a suae aetatis hominibus indigenis audivit refert, ad Valesium et Anvillium solet recurrere. Praeter hos nos quidem adhibebimus Valckenarium[4]), qui recentiore aetate universae veteris Galliae geographiam conscripsit et magis etiam Uckertum[5]), qui inter Germanos diligentissime de his quaestionibus egit et post quem, qui idem veterem geographiam tractavit, Forbiger[6]) de nostra quidem regione haud multum novi attulit; tractandis denique veteribus itinerariis commodissima est editio a Pindero et Partheyio facta, quibus quae veteribus huius provinciae nominibus nomina recentia supponunt, maximam partem suppeditavit Lapie.[6a]) Praeterea si in qua de singulis locis dissertatione probabile et commodum aliquid invenimus, ne hoc quidem praetermittemus. — Verum hanc omnem de uniuscuiusque loci situ quaestionem libere fatemur non eius momenti nobis esse, cuius plerumque esse censetur; immo postquam qui de his rebus egerunt, hucusque nihil aliud effecerunt quam multorum nominum rudem indigestamque molem, utilius nobis videtur in restituenda antiqua provinciae forma id potissimum agere, ut singulorum oppidorum territoria definiamus et quae uniuscuiusque civitatis agro comprehensa fuerint loca colligamus. Qua in re etiamsi saepius ad coniecturas reiciemur, tamen confidimus utilitatem huius quae-

1) Hadriani Valesii notitia Galliarum. Paris. 1675.

2) D'Anville, Notice de l'ancienne Gaule. Paris 1760.

3) Millin, Voyage dans le Midi de la France. Paris 1804 sqq.

4) Walckenaer, Géographie ancienne des Gaules. Paris 1839.

5) Uckert, Geographie der Griechen u. Roemer. Weimar 1832. 2, 2, 274—319. 402—463.

6) Forbiger, Handbuch der alten Geographie. Band III. 1848.

6a) Itinerarium Antonini Augusti et Hierosolymitanum ed. Parthey et Pinder. Berol. 1848. Lapie, Recueil des itinéraires anciens avec dix cartes, publié par M. Fortia d'Urban. Paris 1845.

stionis ideo non tolli, dummodo argumenta, quibus nitimur, rite indicemus neve incertiora pro certis statuamus.

Mutatione illa, quae in Gallia Narbonensi facta est ab imperatoribus Iulio Caesare et Augusto, vidimus loco civitatum Gallicarum posita esse oppida Italico modo constituta atque revera si inscriptiones solas comparamus, veterum civitatum nomina adeo videmus evanuisse, ut ex tot Gallicis provinciae civitatibus non nisi Vocontiorum et Meminorum nomina ibi legantur, ex iisque Vocontiorum nomen singulari de caussa scilicet foederis quadam lege in lapidibus conservatum esse infra videbimus, Meminorum vero commemoratio in una inscriptione extans ideo fortasse est usurpata, quod Latinae linguae commodius erat id nomen, quam aliud Gallicum eiusdem civitatis nomen Carpentoracte.[7] Itaque dubium esse non potest, quin post Augustum una civitate excepta priora civitatum Gallicarum nomina in Narbonensi provincia publice desierint extare. Neque vero magis, si veteres scriptores ab ipsa Plinii descriptione usque ad Ptolemaeum conferimus, si deinde viderimus, qua cuiusque oppidi ager constitutus sit ratione, poterit negari, neque Romanos id egisse, ut in formandis oppidorum territoriis veterum civitatum territoria dividerentur et civitatum populi inter se miscerentur, neque ex communis vitae usu et lingua priora gentium nomina esse sublata. Immo etiamsi communis vitae usus in hac Galliarum parte non idem effecit atque in Gallia ulteriore, ut ex Gallicis civitatum nominibus recentia quibus nos utimur oppidorum nomina fierent, tamen Ptolemaei quoque aetate sive medio fere secundo p. Ch. saeculo Gallicorum nominum memoria viva etiam erat. Quam ob rem nos quoque in oppidorum descriptione eam sequemur viam ac rationem, ut oppidorum catalogum civitatum distributioni subiciamus. Initium autem faciemus ab iis, qui a dextra Rhodani ripa erant, inter quos ipsos, cum caput provinciae ibi esset, Volcas Arecomicos primo loco ponemus.

---

7) Similiter ad oppidum Alebece Reiorum Apollinarium quod attinet, Gallica nominis pars continetur non Reiis Apollinaribus, sed vocabulo Alebece, quod nunquam est in lapidibus.

Volcae Arecomici.

Adiudicamus huic genti Narbonem Martium, Baeterras, Cesseronem[8], Lotevam, Nemausum et, quamquam non sine ulla haesitatione Piscenas ac Samnagenses.

Narbo Martius, *Narbonne*, ante imperatorem Claudium nomine insignis coloniae Iuliae Paternae (app. epigr. n. 1), ab illo imperatore nomen adiecit Claudiae (app. nn. 27. 49—52); si praeterea apud Melam Atacinorum Decumanorumque colonia dicitur, hoc Atacinorum cognomine, quod item habuit P. Terentius Varro poëta (v. supra p. 114), non ut putarunt, civitas quaedam significatur ab Arecomicis diversa, sed nomen videtur fuisse indigenarum communi lingua usurpatum et desumptum a fluvio Atace (*Aude*), qui praeterfluit haud longe a moenibus urbis et tum usque ad ipsum oppidum erat navigabilis.[9] — Fines agri Narbonensis indicantur ab una parte mari, a quo oppidum distabat XII milia passuum (Plin. 3, 5) et cum quo coniunctum etiam erat stagnum Narbonense (Mela 2, 5. Strabo IV. p. 182); septentrionem vero et occidentem versus fines indicantur inscriptionibus nostris nn. 78 et 266, ex quibus illa, si cum Narbonensi titulo n. 22 eam confers, aperte ad agrum Narbonensem probatur pertinere simulque testatur, loco vici hodierni *Moux* pagum fuisse huic coloniae attributum, altera vero, reperta in vico *Mérinville*, nominat coloniam Iuliam Carcasonem, cui oppido propior hic vicus est quam Narboni; erant igitur ab hac parte fines territoriorum Narbonis et Carcasonis inter vicos Moux et Mérinville. Contra secundum littus haud dubie longius ad occidentem et meridiem patebat hoc territorium, nam quae ab hac parte finitima erat Ruscino, exiguum oppidum erat et parvo haud dubie agro constitutum. Quae cum ita sint, ex itinerariis Narboni attribuas viae Tolosensis statio-

8) Ptolomaeus quidem et Narbonem et Cesseronem Baeterrasque Tectosagibus tribuit, sed Strabo, testis non solum antiquior sed etiam diligentior, IV. p. 186 Narbonem appellat ἐπίνειον τῶν Ἀρηκομίκων. Quod si admittimus, fieri non potest, quin Cesseronem et Baeterras, quae a Narbone orientem versus erant, Arecomicis attribuamus.

9) Strabo IV. p. 181. 182. 189; idem fluvius a Polybio 3, 37. 38 ὁ Ναρβών dicitur.

nes Hosverbas (itin. Hieros. 552, 1)[9a]) sive Usnervam (tab. Peut.) XV m. p. a Narbone[10]), XXIII a Carcasone remotam ('*au passage du ruisseau d'Iourre ou d'Iourve*' Anv. p. 726) et Livianam (tab.), m. p. XII a Carcasone, XI ab Usuerva distantem (prope *Capenda*, Uckert 2, 2, 408), viae Hispanicae ad Vicensimum (itin. Ant. 397, 3; prope *la Palme*), fortasse etiam Salsulas (ib. 389, 4; *Salces*), quae XXX m. p. distabant a Narbone et nomen duxerunt a fonte, quem non dulcibus sed salsis aquis defluxisse dicit Mela. Denique fieri potest, ut eodem pertineat statio Combusta, quam itinerarium Antonini 397, 4 m. p. XXXIV, itinerarium Aquarum Apollinarium (Henzen n. 5210) XXXII a Narbone dicit afuisse.

Baeterrae, *Béziers, dép. de l'Hérault*, urbs Iulia Baeterrae (? app. epigr. n. 82), statio erant viae Domitiae. Ager secundum mare haud ita latus potuit esse, cum orientem versus ad fluvium Araurem (Mela 2, 5. Plin. 3, 5; *Hérault*) sita essent duo oppida Latina, Cessero, XII (Ant.) sive XIII (Aq. Ap.) m. p. a Baeterris remota, et Piscenae; contra secundum Orbem (Mela 2, 5; *Orb*) superiorem fieri potest, ut amplius fuerit territorium; nam ab hac parte inter Narbonem, Carcasonem, Lotevam lati patent campi.

Cesseronem, quae et ipsa Araura olim audiebat (Ant. 389, 4), *St. Thibéry* hodie esse ideoque ad sinistram Arauris ripam sitam fuisse consentiunt, qui de his rebus quaestionem instituerunt, neque minus certum videtur, quod et ipsum iam Valesius p. 451 probavit, Piscenas Plinii nihil aliud esse quam *Pézenas* (*arrondiss. Béziers*), qui locus recentiore quoque aetate eiusdem lanae proventu insignis est, quam Plinius laudat (hist. nat. 8, 73. — Anv. p. 521 sq.).

Lotevam deinde, quam praeter Plinium, qui Lutevanos sive Foroneronienses[11]) nominat incolas, tabula Peutingeriana

9a) In citandis itinerariis paginas sequimur Wesselingianas, quae apud Pinderum quoque apponuntur.

10) XVI secundum tabulam, sed minus recte, cum itinerarii mensura confirmetur nomine stationis ad Tricesimum it. p. 551, 10. — *Usuernam* legit Mannert; *Usueruam* habet, qui nuper Gallicam tab. Peut. partem ediderunt L. Renier et A. Maury (Revue archéol. 1864 pl. II.).

11) Nominis huius caussa ignota est, nisi forte a Plinio additur ut denominatio ab imperatore Nerone indita et sua aetate usurpata.

tantum habet ut stationem viae a Cesserone ad Cebennam montem ducentis, hodie esse *Lodève* ex nomine satis perspicuum est; ipsum oppidum distat paullum ab Araure, agrum autem habebat haud dubie ad fluvium usque patentem.

In eadem regione collocandi fortasse sunt Samnagenses Plinii, quos a Valesio et Anvillio praetermissos Lagoy eumque sequentes Valckenaer et Saussaye ad nummorum quorundam auctoritatem, repertorum in agro oppidi *St. Remy* et prope Avenionem, circa oppidum *Sénaz* inter Aquas Sextias et Cabellionem habitasse dicunt.[12] Sunt autem illi nummi aënei, quorum paucissima tantum extant exempla, eius aetatis, qua Gallicae civitates Massiliensium nummos imitabantur, ideoque Graecis litteris conscripti, atque si recte in iis legitur ΣΑΜΝΑΓΗΤ, non negaverim, mihi quoque probari illam opinionem; quod cum non prorsus certum videatur, ex inscriptione quadam Nemausensi (app. epigr. n. 111 v. 15), in qua agitur de donis ab ordine Biturigum datis tam Nemausensibus quam Samnagensibus, coniecerim ab altera Rhodani parte collocandos esse Samnagenses et vicinos fuisse Nemausensibus habitantes circa confinia Arecomicorum et Tectosagum.

Restant denique in hac regione Ruteni provinciales, qui ab hac parte ultimi sunt provinciae. De quorum finibus supra (p. 48 n. 26) diximus: si, ut vult Mommsen, vel ultra Tarnim patebant, praeter Condatomagum tabulae Peutingerianae, qui locus XXX m. p. a Segoduno, XXIII a Loteva afuit, Segodunum quoque sive *Rodez* iis erit attribuendum. Sed etiamsi concesseris fieri posse, ut Ciceronis aetate fines provinciae usque eo processerint, tamen, cum Ptolemaeus (2, 7) Segodunum tribuat Aquitaniae, in nova Galliarum distributione ab Augusto facta ita definitas esse statuerim Rutenorum provincialium terminos, ut Tarnim utique iam non excederent.

Iam vero si Araurem transimus, late patentem ingredimur agrum Nemausensem. Namque Nemausus, *Nîmes*, colonia Augusta (app. nn. 132 etc.), territorio suo comprehendebat, quidquid intererat inter Araurem et Rhodanum, a meridie an-

---

12) Lagoy, Déscription de quelques médailles inédites. Aix 1834. p. 38. Walckenaer 1, p. 281 sq. Saussaye, Numism. p. 99. pl. XIII.

tem pro finibus habebat mare, a septentrione partim montes Cebennicos, partim fluvium *Ardèche*, qui hodie quoque dividit regiones, quae dicuntur *départements du Gard* et *de l'Ardèche*. Attribuit autem Plinius Nemausensibus viginti quattuor oppida ignobilia, quorum nominum, cum ipse Plinius non indicet, maiorem partem ex aliis fontibus debemus colligere. Et primum quidem, ut a Rhodano incipiamus, Nemauso attribuimus Ugernum (*Beaucaire*), quod situm prope dextram Rhodani non solum habes in tabula Peutingeriana, sed etiam in inscriptione nostra n. 248, quae cum undecim vicos Nemausenses recenseat, magni ad hanc quaestionem momenti est; inde si occidentem versus a Nemauso procedis, habes in eadem inscriptione locum situs certi Andusiam (*Anduze*), sitam prope superiorem Araurem, neque minus certum est, agrum Nemausensem ab hac parte patuisse usque ad locum hodiernum *Balaruc-les-Bains* prope oppidum *Cette* (*dép. de l'Hérault*), quoniam ibi reperti sunt tubi plumbei signati nomine coloniae Nemausensis (app. epigr. n. 265). Cum quo optime convenit, quod Plinius (hist. nat. 9, 9) dicit: *est provinciae Narbonensis in Nemausensi agro stagnum Latera;* nam stagnum Latera, cui adiacebat castellum Latera[13]) (*château de la Latte* sive *des Lattes*), unum ex stagnis illis est, quae e vicinia urbis *Montpellier* pertinent ad vicum Balaruc. Quae cum ita sint, Sextantionem[14]) (*Substantion*) quoque Augusti quidem aetate non dubitamus inter ignobilia agri Nemausensis oppida relegare; namque erat hic locus propior Nemauso quam Latera sive situs paullo super urbem *Montpellier* ad ripam sinistram rivi *Lez*, ubi hodie quoque ruinas antiqui oppidi conspicuas esse supra (p. 35) diximus. Accedit, quod inter Plinii oppida Latina deest Sextantio ideoque defuit etiam in commentariis Agrippae, contra legitur in catalogo illo vicorum Nemausensium. Quod vero duae extant inscriptiones (nn. 87 et 88), ex quibus altera (n. 88) reperta in vico Murviel veteri Sextantioni vicino testatur opera publica decurionum decreto ibi facta esse curantibus Sex. Vettone C. Pedone aedi-

13) Cfr. Mela 2, 5: *ultra sunt stagna Volcarum, Ledum flumen, castellum Latera.* Geogr. Ravenn.: *civitas Latera* p. 245. 340. Pind. et Parth.

14) App. epigr. n. 248: *Sextantio* itin. p. 396; *Sertatio* tab. male scriptum haud dubie pro *Sextatio; Sextatio* itin. p. 389; *Sostantio* ibid. p. 552.

libus, altera reperta inter ipsas veteris oppidi ruinas domum commemorat datum *colonis et incolis*, priorem quidem titulum nihil obstat quo minus interpretemur decreto Nemausensium decurionum ab aedilibus Nemausensibus esse positum; alteram vero (n. 87) inscriptionem nisi de colonis et incolis ipsius oppidi non posse intellegi nullo modo negaverim, sed cum in priore titulo vocabuli *coerare* forma aetatem satis antiquam probet, in altera vero inscriptione nihil sit, quod non posterioris aevi possit esse, apparet, aliquo tempore post Augustum nescio qua caussa hunc vicum sui iuris factum et coloniae nomine esse constitutum. At quod in notitia provinciarum Galliae nomen Sextantionis deest, videmus, quarto utique p. Ch. saeculo hoc civitatis ius iterum esse sublatum. — Praeter Sextantionem deinde, Audusiam, Ugernum recensentur in illo vicorum catalogo sive itinerario Brugetia, Tedusia, Vatrute, Briginna, Statumae, Virinna, Segustona, et repetuntur in simili inscriptione celtica (n. 249) Statumae et Vatrude; neque vero ullus ex his locis certioris est situs. Quae vero permultis locis eius regionis inveniuntur lapides inscripti, nomina non suppeditant, nisi quod in uno (n. 261) Adgentii commemorantur, quorum vicus inter Nemausum et Ugernum videtur fuisse. Deinde quod a Ptolemaeo solum praeter Nemausum Arecomicis tribuitur oppidum Vicomagus, etiamsi ius civitatis non habuit, nobilior utique locus Ptolemaei aetate fuit; ubi vero collocandus sit, geographi recentiores, quamquam ut commode collocarent, omnem circa Nemausum regionem perlustrarunt, non potuerunt eruere. — Huc accedunt ex itinerariis: Ambrussum (itin. p. 389. 396 *Pont Ambruis* sive *Ambrois* Anv. p. 63 sq.)[15], Pons Aerarius (p. 552. prope *Bellegarde?* Anv. p. 554), mutatio remota a Nemauso m. p. XII, ab Arelate VIII, Forum Domitii inter Sextantionem et Cesseronem, m. p. XV ab illo, XVIII ab hoc loco remotum (*Frontignac* Vales. p. 199; Anv. 319—21 incertum reliquit). Praeterea Agatham (*Agde*) quoque, Massiliensium quondam oppidum ad Arauris ostia situm agro Nemausensi attribuerim. Calum vero et civitatem Megalonam, quae loca a geographo Ra-

15) Prope *Pont Ambruis* reliquiae dicuntur esse veteris pontis, per quem *Vidourle* rivus traiciebatur. Anv. l. cit.

vennate et Guidone (p. 244 sq. 340. 513 Pind. et Parth.) nominantur, num ante quartum p. Ch. saeculum extiterint non audeo affirmare; ex quibus Calum situs incerti est, Megalonam vero hodie *Maguelonne* esse ex nomine perspicitur. Denique secundum eandem hanc inter Araurem et Rhodanum oram Uckert (p. 412 sq.) recte ut videtur collocat haec Festi Avieni nomina: civitatem Polygium, tenui, ut dicit poëta, censu, Mansam vicum, oppidum Naustalonem [16], de quibus quae prorsus incerta coniecerint geographi recentiores, apud eundem Uckertum videris. Ceterum ut per omnem hanc oram austro atque africo expositam rarae urbes, quia rari portus, et olim erant et hodie sunt, ita inter Araurem praesertim et Rhodanum condendis ad litus oppidis minime erat locus.

Volcae Tectosages.

His Ptolemaeus praeter ea oppida, quae, ut supra diximus, ab Arecomicis ad Tectosages transtulit, attribuit Carcasonem, Tolosam, Ruscinonem, Illiberim, Plinius autem et Mela Ruscinonem Illiberimque separatas a Tectosagibus dant Sardonibus sive Sordonibus, quae differentia, cum facillime fieri potuerit, ut Sardonum parvulae civitatis nomen Ptolemaei aetate in oblivione iaceret, minimi momenti est. Cum vero Illiberis Romanorum aetate propriam rempublicam non haberet sed, ut Mela diserte dicit, vici loco esset, oppida restant Carcaso, Tolosa, Ruscino.

Carcasonem (tab.) sive Carcasum (Plin.), *Carcassonne*, coloniam Iuliam Carcasonem (app. epigr. n. 266), agrum confinem Narbonensibus habuisse inter vicos Mérinville et Moux supra (p. 122) diximus, unde apparet, mutationem quoque ad Tricensimum (itin. p. 551; *Barbeirac*), quae m. p. VIII a Carcasone aberat, ad hoc oppidum pertinuisse. Ab altera deinde parte cum tabula Peut. habeat locum Fines remotum XXXIV m. p. a Tolosa, ideoque, si itinerarium Hieros. (p. 551) sequeris, XXVIII a Carcasone [17], hoc loco sive inter stationes itinerarii Elusionem et

16) Fest. Avien. ora marit. vv. 610—614.

17) Inter Fines et Eburomagum numerus deest in tabula; ceterum cfr. de hoc loco Anv. p. 304 sq.

Sostomagum confinium Tolosae et Carcasonis videtur fuisse, unde consequitur, non solum ipsum Sostomagum (*Castelnaudary*), sed etiam vicum Hebromagum (itin. p. 551, Eburomagum *tab. Peut.*: prope *Villarazan*) et mutationem Cedros (*Mont-Soulens* Lapie apud Pind. et Parth., prope *Villesequelande* Uckert p. 407) Carcasensium fuisse. Contra qui inter Carcasonem et Rutenos fuerint termini, non potest erui.

Tolosae (*Toulouse*), secundum ea, quae modo de Carcasone diximus ex itinerario Hierosolymitano tribuenda esse apparet loca Elusionem (prope *bassin de Naurouze*, Anv. p. 289 sq., *Montferrand* Lapie), ad Vicesimum (*Vieille-Vigne* Lapie, *St. Rome* Uckert p. 407), ad Nonum (*Pontpertuzat* Lapie, *Castanet* Uckert); quibus addas stationem illam tabulae, quam non nisi mutilam Bad ... legimus et Baderam fuisse vult Anville (p. 135), Badinonem sive Badum Uckert (p. 407), uterque autem idem iudicat esse ac *Basiège*; distabat a Tolosa m. p. XV ideoque sita erat inter stationes ad Nonum et ad Vicesimum. Accedunt fortasse Aquitaniam versus mutationes ad Iovem (prope *Guerin*), et Bucconis (prope *Ile-en-Jourdin*, Lapie), ex quibus illa VII, haec XIV leugas aberat a Tolosa; quod vero leugae hic numerantur, inde non concluseris, haec duo loca iam pertinere ad Aquitaniam; nam cum longe maxima pars eius viae esset provinciae Aquitanicae, natura ferebat, ut reliqua quoque pars, etiamsi Narbonensis erat, eandem sequeretur numerandi rationem. Deinde quod eiusdem viae stationem Cobiomachum commemorat Cicero (pro Font. 9, 19), haec aut iam non potest indicari, aut cum Mommseno pro *Cobiomacho* legendum est *Ebromago*. Locus denique Volcalo, quam eadem Fonteiana stationem portorii exhibet, in qua provinciae occidentalis parte fuerit, non potest diiudicari. [18])

Ruscino (*Castel Roussillon* prope *Perpignan*) primum constat attributam habuisse Illiberim, quem vicum m. p. VII remotum a Ruscinone eodem loco fuisse volunt, quo postea fuit Helena illa (*Elne*), ubi a. p. Ch. 350 mortuus est imperator Constans; accedunt ex itinerariis stationes ad Stabulum (*Boulou*)

---

18) Cfr. Mommseni excursum ad editionem huius orationis ab Halmio confectum.

et ad Centuriones (*itin.* p. 397; ad Centenarium *tab.*, prope *Ceret* Anv. p. 223, *St. Martin de Foneuille* Lapie), quae sunt inter Ruscinonem et summum Pyrenaeum (itin. Ant. p. 390. 397); addit Mela Portum Veneris (*Port Vendres*) et, ubi fines Galliae ponit, locum Cervariam, qui nomen dedit promontorio, quod hodie dicitur *Calla Cervara* (Anv. p. 224); denique Plinii regio Consuaranorum commodissime attribuitur Ruscinoni.

Confinem huic oppido si ponimus Tarasconiensium oppidum Latinum (Plin.), coniecturam sequimur Anvillii (p. 635), qui hanc civitatem collocat ad radices Pyrenaei montis loco quodam, ubi medio aevo castrum Tarascum erat, hodie est *Tarascon* ad ripam fluvii *Ariège*; namque si de Tarascone ad Rhodanum sita dixisset Plinius, haud dubie nomen loci potius quam incolarum nominasset. Postea si idem Anville (p. 635) Tasconos Plinii ad Cebennicos montes relegat prope *Tescou* sive *Tescon* fluvium, qui et ipse influit in fluvium *Tain*, haec nominum similitudo efficit quandam probabilitatem.

Umbranicorum utique civitas Latina, si tabulam confers, in hac fere regione circa Cebennam videtur consedisse, sed nimis incerta est tabulae illa dispositio, quam ex qua accuratior definitio possit desumi. Minime vero certum est, ubi collocandi sint Cambolectri Atlantici; quorum nomen nisi, ut sunt qui coniecerint (cfr. Uckert p. 273), latere accipis sub nominibus hodiernis *Cambo-Haut de Clarence* et *Cambo-Bas de Clarence*, quae loca sunt in Pyrenaeis, unum tantum restat argumentum, quod Plinius 4, 33 inter Aquitaniae gentes recenset Cambolectros Agesinates. Inde enim possit concludi Atlanticos Cambolectros in ea Narbonensis parte habitasse, quae vicina erat Aquitaniae. Utique hoc Latinorum genus, quod nominibus incolarum, non oppidorum denominatur, per agros potius dispersum videtur habitasse, quam certum oppidum habuisse et ex hac quoque caussa verisimile est, in montibus eos esse collocandos.

Iam vero in hac parte nihil restat nisi **Helviorum** civitas, cuius ager natura inclusus inter fluvios *Ardèche* Rhodanumque et montem Cebennam idem fere erat atque nunc regio, quae dicitur *département de l'Ardèche.* Ceterum in hac regione cum rarissimae sint inscriptiones neque via publica transierit, praeter

caput civitatis Albam (*Aps*, *arrond. Privas*) nihil potest commemorari.

Quam omnem oppidorum in dextra Rhodani ripa distributionem si consideramus, apparet, non fortuito casu factum esse, ut Nemausensium latus ager a Tectosagibus separaretur interpositis minoribus territoriis Baeterrarum, Piscenarum, Lotevae, quibus accedit quodammodo Narbo, quae colonia civium Romanorum ut imperii Romani sedes ex Arecomicorum civitate erat exempta. Nempe etsi maximam numerosae Arecomicorum gentis partem Romani non verebantur constituere coniunctam, tamen eam curam egisse videntur, ut exiguis territoriis inter duas gentes, Arecomicos et Tectosages, constitutis communia veterum civitatum consilia impedirentur. Eiusmodi enim civitatum minorum magis haud dubie intererat, ut novum ius a Romanis concessum tuerentur, quam ut maioris civitatis essent partes; Romanorum autem tale consilium ut posteriore aetate, cum tranquilla omnia essent in hac provincia et tuta, mirum videretur, ita aetate Caesaris, imperio Romano in ulteriore Gallia nondum firmato, non erat reiciendum.

A dextra Rhodani ripa si ad eam provinciae Narbonensis partem transimus, quae inter Rhodanum est et Alpes, prinsquam singula perlustremus et disponamus, omnium primum necesse est inquiramus, quae ad provinciam pertineant civitatum Alpinarum nomina, et definiamus qui secundum Alpium iuga termini provinciae nostrae fuerint. De qua re cum non ex omni parte constet, primum quaecunque veterum extant testimonia afferemus, deinde haec inter se comparabimus, denique, quid inde de Narbonensis provinciae finibus efficiatur, concludamus. Et testimonia quidem illa hic habeas composita: (vide p. 132 sq.)

Inter quae testimonia Pliniana provinciae descriptio (3, 5), arcus Segusinus, tropaeum Alpium (Plin. 3, 24) Strabo, Mela aetate vix inter se differunt; contra quae excepta tropaei inscriptione hist. nat. 3, 24 refert Plinius, non ad Augusti sed ad ipsius scriptoris aetatem sunt referenda; Ptolemaeus autem secundi p. Ch. saeculi formam describit; denique notitia provinciarum Galliae, quamquam quinti demum p. Ch. saeculi formam repraesentat, tamen quoniam in partes quidem divisae

sunt a Diocletiano et Constantino veteres provinciae neque vero inter se mixtae, quod quidem ad fines provinciae attinet, vel de prioris aetatis statu potest testari. Iam vero si quaerimus, num, quae ex Augusti sive proximorum eius successorum aetate extant testimonia, inter se consentiant, invenimus quidem quasdam differentias, sed leves neque difficiles explicatu; quas collectas habes his, quae sequuntur:

1. Qui Plin. 3, 5 inter provinciales recensentur Suetri, nominantur etiam in tropaeo Alpium, cuius omnia reliqua nomina ad provinciam Narbonensem non pertinent, itemque Ptol. 3, 1 Suetri Maritimis Alpibus attribuuntur, et simili modo Quariates Plinii (3, 5), si quidem, id quod verisimile est, iidem sunt atque arcus Segusini Quadiates, Cottianis in hoc arcu civitatibus adnumerantur; ac si, ut sunt qui coniciant (cfr. Uckert p. 301), Adnuicates Plinii (3, 5) iidem sunt atque Edenates tropaei et Adanates arcus, de his quoque diversa inter se enuntiantur. Iam vero cum Agrippae commentarii, quibus usus est Plinius, recedant ultra annum a. Ch. 22, arcus autem Segusinus et tropaeum Alpium non recedant ultra annum a. Ch. 9, differentia illa minus in testimoniorum fide quam in tempore videtur posita, atque concludendum est, Suetros quidem in bellis gentium Inalpinarum rebellasse ideoque et in tropaeo Alpium esse nominatos et, cum anno a. Ch. 14 provincia Alpium Maritimarum institueretur armata, huic esse contributos; quadiates autem sive Quariates neque minus Adnuicates sive Edenates sive Adanates fieri potuit ut, cum primum ad provinciam pertinuissent, postea regno Cottiano concederentur. Cuiusmodi inter provinciam Narbonensem et finitima territoria commutationes fecerunt et Claudius, quem Cassius Dio (60, 24) testatur Cottii regnum auxisse et Galba, qui Plinio teste (3, 5) duas gentes Inalpinas nostrae provinciae formulae adiecit.

2. Desunt in Plinii descriptione Albienses et Albioeci, Iconii, Medulli. At Albienses et Albioeci continentur oppido Alebece Reiorum Apollinarium, Iconii autem haud dubie civitate foederata Vocontiorum; Medullos vero Plinius nequaquam omittit, sed habet inter tropaei civitates devictas extra provinciam sitas; qui ordo si abhorrere videtur et ab arcu Segusino, qui Cottiano regno eos adicit et a Ptolemaeo, qui non minus quam

Plin. 3, 5:

Avatici
Anatilii
intus { Desuviates
Cavares
rursus a mari { Tricorii
et intus { Tricolli
Vocontii
Segovellauni
mox Allobroges
at in ora Camatullici
dein Snclteri
supraque Verrucini
in ora { Oxubii
Liganni
super quos { Suetri
Quariates
Adunicates
in ora Deciates

—

Accedunt ex oppidorum Latinorum catalogo:

Salluvii
Vnlgientes
Tricastini
Bormauni?
Memini
Cenicenses
Cambolectri?
Avantici
Bodiontici.

Plin. 3, 24:

Nomina gentium Alpinarum, provinciae Narbonensi confinium, inscripta in tropaeo Alpium, quod extructum est post annum a. Ch. 8 (Aug. imp. XIIII cfr. Eckhel VI. 143 sq.):

Nantuates
Sednni
Veragrii
Salassi
Acitavones
Medulli
Uceni
Caturiges
Brigiani
Sogiontii
Brodiontii
Nemaloni
Edenates
Esubiani
Veamini
Gallitae
Triulatti
Ectini
Vergunni
Eguitnri
Nementuri
Oratelli
Nerusi
Velauni
Suetri.

Addit autem Plinius: 'non sunt adiectae Cottianae civitates XII quae non fuerunt hostiles'.

Orelli n. 626:

Inscriptio arcus Segusini, positi a. a. Ch. 9/8, ubi recensentur civitates, quarum praefectus erat M. Iulius regis Donni filius Cottius:

Seguvii
Segusini
Belaci
Catnriges
Medulli
Tebavii
Adanates
Savincates
Edginii
Veaminii
Venisani
Iemerii
Vesubiani
Quadiates.

Plin. 3, 24:

'Sunt praeterea Latio donati incolae Alpium':

Octodurenses
et finitimi
Centrones
Cottianae civitates
Caturiges
et ex Caturigibus orti
Vagienni Ligures
et qui
Montani
vocantur
Capillatorumque plura genera ad confinium Ligustici maris.

Strabo IV cap. 1, 11:

Λίγυες
Σάλυες
Καούαρες
Οὐοκόντιοι
Τρικόριοι
Ἰκόνιοι
Μέδυλλοι
Ἀλλόβριγες.

(Οὐοκόντιοι … Μέδυλλοι: *τῶν Καυάρων ὑπέρκεινται*)

Mela 2, 5:

Vocontii
Allobroges
Cavares
Deciates
Avatici.

Strabo IV cap. 6, 3—5:

Ὀξύβιοι
Δεκιῆται
Σάλυες
Ἀλβίοικοι
Ἀλβιεῖς
Οὐοκόντιοι
Ἀλλόβριγες
Ἰκόνιοι
Τρικόριοι
Μέδουλλοι.

Ptolem. 2, 9:

Ἀουατικοί, εἶτα
Κομμονοί, εἶτα
Δεκιάτιοι.
Μέδουλοι, ὑφ' οὓς
Σεγαλλαυνοί,
ἀνατολικώτεροι δὲ
Τρικαστινοί.
Καύαροι, ὑφ' οὓς
Σάλυες.
Οὐοκόντιοι, ὑφ' οὓς
Μήμινοι, ὑφ' οὓς
Σέντιοι.

Extra provinciam Narb. Ptolemaeo sita sunt loca quae sequuntur:

Ptol. 3, 1:

Κεντρώνων ἐν Γραίαις Ἄλπεσιν
Φόρον Κλαυδίου
Ἀξίμα
Ληποντίων ἐν Κοττίαις Ἄλπεσιν
Ὄσκελλα
Κατουριγίδων ἐν Γραίαις Ἄλπεσιν
Ἐβουρόδουνον
Σεγουσιανῶν ἐν Γραίαις Ἄλπεσιν
Σεγούσιον
Βριγάντιον
Νερουσίων ἐν Παραλίοις Ἄλπεσιν
Οὐίντιον
Οὐεδιαντίων ἐν Παραλίοις Ἄλπεσιν
Κεμενέλιον
Σανίτιον

Notitia provinciarum Galliae, quae confecta est non ante quintum p. Ch. saeculum (Dom. Bouquet, Rer. Gall. scriptor. I, 122—124):

Prov. Narb. II:
Metropolis civitas Aquensium
Civ. Aptensium
„ Reiensium
„ Foroiuliensium
„ Vapincensium
„ Segesteriorum
„ Antipolitanorum

Prov. Viennensis:
Metrop. civ. Viennensium
Civ. Genavensium
„ Gratianopolitana
„ Albensium (Vivaria = *Alba Helviorum, Viviers*)
„ Deensium
„ Valentinorum
„ Tricastinorum
„ Vasiensium
„ Arausicorum
„ Arelatensium
„ Massiliensium

Prov. Alpium Maritimarum:
Metrop. civ. Ebrodunensium
Civ. Diniensium
„ Rigomagensium
„ Solliniensium
„ Sanitiensium
„ Glannativa
„ Cemenelensium
„ Vintiensium

Prov. Alpium Graiarum et Penninarum
Civ. Centronum Darantasia
„ Vallensium Octoduro.

Strabo provinciae eos tribuit, has differentias si quid omnino auctoritatis his testibus contra Plinium concedis, sic explices: devicti sunt Medulli bellis illis, quae legati Augusti post annum a. Ch. 27 in Alpibus gesserunt et adiecti regno Cottiano; deinde sive sub Augusto sive primis Tiberii annis, utique ante annum p. Ch. 18, quo anno quartus Strabonis liber conscriptus est, in provinciam Narbonensem transierunt et erant in hac provincia etiam Ptolemaei aetate.

3. Dicit quidem Plinius 3, 24, titulo tropaei Alpium non contineri civitates Cottianas XII, ut quae non fuerint hostiles; at in arcu Segusino non solum civitates invenimus numero XIV, sed etiam inter eas Caturiges, Medullos, Adanates, Veaminios, quos inter devictas gentes Alpinas recenset tropaeum, neque tamen aetate differunt duo illa monumenta. At differt aetate et fortasse etiam auctoritate ab his monumentis is, quem Plinius 3, 24 ante oculos habebat, Cottianarum civitatum catalogus, atque hoc fere modo rem explicaveris: dum in Alpibus bellum a Romanis geritur, pacem tenebant Cottianae quae tum erant civitates, sive illae, quae ut in arcu ita non in tropaeo leguntur, et harum numero postea devictis Inalpinis adiecti sunt Caturiges, Medulli, Adanates, Veaminii; tempore deinde Plinii Cottianae civitates, quae iam in provinciae formam erant redactae, numero erant duodecim, quem numerum Plinius, quo loco nomen earum civitatum debuit commemorare, huic nomini adiecit, quamquam priori aetati non aeque conveniebat.

4. Accedunt ex Ptolemaeo ad Plinii descriptionem Commoni, Elycoci, Sentii. At Commonis quidem cum attribuantur oppida Massilia, Tauroentum, Olbia, Forum Iulii, quae nullo modo erant Gallica, facile apparet, nomen hoc esse, quod in aliquo libro vetustiore huic littoris parti adhaerens Ptolemaeus invenit neque vero usurparunt posteriores. Elycoci autem cum circa Albam Augustam habitarent, non nisi pars fuisse videntur agri Reiensis. De Sentiis denique secum ipse pugnare videtur Ptolemaeus, si consentiens cum notitia provinciarum oppidum Sanitium Alpibus Maritimis, civitatem Sentiorum provinciae tribuit; atque revera, quoniam Dinia, quam pro capite Sentiis dat, Plinio auctore Bodionticorum et Avanticorum caput erat, Ptolemaeus 2, 9 de Sentiorum nomine videtur errasse.

Quibus omnibus generatim confirmatur, et Plinii descriptionem veram plenamque provinciae, qualis sub Augusto erat, imaginem dare, et post Augustum paucissima tantum in hac imagine esse mutata. Speciatim consequitur, praeter Medullos et Elycocos revera nullius civitatis nomen formulae Plinianae (3, 5) esse adiciendum, inprimis autem neque Centrones neque Caturiges unquam provinciae Narbonensi esse attributos. Deinde non minus perspicuum est et collato Ptolemaeo (3, 1) confirmatur, ex omnibus iis civitatibus, quae in notitia provinciarum Galliae provinciis Alpium Maritimarum et Graiarum contribuuntur, exceptis Diniensibus nullam unquam provinciae Narbonensis fuisse. Denique probatur, quod supra iam exposuimus, usque ad summa Alpium iuga musquam pertinuisse provinciam nostram, quamvis prope in Allobrogibus ad ea accesserit. — Quibus expositis facilius expeditur huius partis descriptio.

Quae a Rhodani inferiore ad Alpes, a Rhodano superiore ad mare Gallicum tendit regio, natura dividitur in partes tres, quarum prima est inter mare et Druentiam, secunda inter Druentiam et Isaram, tertia inter Isaram et Rhodanum. In unaquaque parte unam quandam gentem sive solam invenimus sive aliis longe praeminentem, in prima scilicet Salluvios, in secunda Vocontios, tertiam totam ab Allobrogibus habemus occupatam. Et in prima quidem parte ante omnia eximitur ex Gallicis oppidis M a s s i l i a (*Marseille*) cum iis, quas post Iulium Caesarem retinebat, stationibus maritimis. Cum autem quae circa Massiliam erat regio Gallica novo modo constitueretur, factum est, ut ager Massiliensis admodum angustus relinqueretur; namque in ora inter Massiliam et Rhodanum non modo oppidum Latinum habes A n a t i l i a m in regione Anatiliorum, sed etiam regionem Avaticorum cum oppido Maritima et Tricorios, quorum oppidum non indicat Plinius (3, 5). Maritimam autem, cum secundum Plinium tam in ora quam ad stagnum Mastramelam (*Étang de Berres*) sita esset, *Martigues* esse (Anville p. 434 sq.) facile credideris, Anatiliae vero situs, nisi quod inter stagnum et Massiliam interfuisse a Plinio dicitur, incognitus est. Ceterum neque Avaticos neque Tricorios[19]), quia latinitatem neutri genti

---

19) Quod Plinius diserte distinguit Tricorios et Tricollos, Livius

tribuit Plinius, Augusti aetate suo iure usos esse credo, sed alii oppido contributos sive Anatiliae sive Arelati, neque vero Massiliae; nam alienum erat a consilio eorum, qui statum provinciae mutarunt, Gallos iterum Graecis subdere. Postea vero ita mutatum esse statum Maritimae ut colonia esset, videmus et ex Ptolemaeo et ex geographo Ravennate (p. 244). Contra ab altera parte Massiliae, quoad neque indigenarum neque coloniae nomen occurrit sive usque ad Athenopolim et sinum Sambracitanum (*Golfe de Grimaud*), oram continuam Graeci tenuerunt, i. e. praeter Athenopolim loca itinerarii maritimi (p. 505—507) Immadras, portum Acmines, Citharistam, Carsicas, Tauroentum, Telonem Martium, Pomponianas, Olbiam, Alconem, Heracliam Caccabariam, quarum stationum situs quomodo hodiernis nominibus definiendus sit, excepto Telone, qui est *Toulon*, nequaquam inter geographos constat. Quibus accedunt insulae Stoechades (îles d'Hyères), quas Tacitus (hist. 3, 43) diserte Massiliensium insulas dicit. — Pone Athenopolim autem quaecunque usque ad ostia Vari reliqua est orae pars, divisa erat inter Forum Iulii et Antipolim.

Forum Iulii [20]), *Fréjus*, colonia Forum Iulii Pacatum (app. n. 183), Octavanorum colonia, quae et Pacensis appellabatur et Classica (Plin. 3, 5), situm erat ad fluvium Argenteum (*Argens*) in Oxybiis, quorum civitas Gallica haud dubie coloniae erat contributa, sicut Deciates contributi erant oppido Latino Antipoli (*Antibes*), cuius ager ut ultimi provinciae oppidi orientem versus definitus erat flumine Varo. Si vero geographus Ravennas (p. 243, 12. 339, 18) Micalam coloniam Dicaeorum commemorat, non dubito, quin Dicaei fuerint Deciates, sed cum nomen Micala nunquam alias inveniatur, Antipolis autem nomen etiam post quartum saeculum extiterit, nescio quid faciendum sit de illo Micalae coloniae nomine. At praeterea per hanc

---

autem (21, 31) et Strabo (IV. p. 203) Tricorios intus collocant pono Vocontios, nos quidem Plinio assentimur, tam quia haud dubie certiores sequitur auctores quam quia non temere Tricorios et Tricollos separatim recensere putandus est.

20) De Fori Iulii reliquiis cfr. Ch. Texier, sur la ville et le port de Fréjus in Mémoires présentés à l'Acad. II. série tome 2. p. 169 sqq.

oram complura alia gentium barbararum nomina recensentur, quae cum propriam rempublicam non habuerint quaeritur, ad quod oppidum pertinuerint. Et primum quidem hic collocandi videntur illi Ligures, quos, ut supra (p. 94) vidimus, Strabo ita a Latinis oppidis distinguit, ut eos dicat subiectos esse rectoris provinciae imperio, a quo exempti sint Latini. Inter quos Quariates, Adunicates, Suetros postea a provincia separatos esse suo loco (p. 131) exposuimus; qui vero provinciae esse non desierunt Camatullici, Suelteri, Verrucini, haud dubie non minus quam Alpium Maritimarum et Cottiarum gentes paullo post Augustum Latio sunt donati (cfr. supra p. 96 sq.); sed, quidquid id est, et dum stipendiarii erant et dum Latini, propria republica carebant et contributorum condicione erant. Contribuerim autem tam Camatullicos, qui a dextra fluvii Argentei erant, quam Suelteros et Verrucinos Foro Iulii, si quidem hi revera, ut volunt geographi, inter mare considebant et montes Salluviorum; quin etiam fortasse ab altera quoque parte Argentei Ligauni, utpote fluvio propiores, ad Forum Iulii potius pertinuerint quam ad Antipolim.

Salluviorum deinde regio ab una parte Arelatensibus, Caenicensibus, Glanicis, ab altera Aquensibus et Foro Vocontii ita erat divisa, ut illi quae plana sunt inter Druentiam et Rhodani ostia tenerent, hi montuosa, quae super orae tractum eminent.

Arelas, *Arles*, colonia Iulia Paterna (app. n. 338 pass.), colonia Sextanorum (Plin. 3, 5), sita erat eo loco, quo per plura ostia diffluere incipit Rhodanus. Agro autem Arelatensi occidentem versus terminum natura dedit Rhodanum, ad orientem vero, ubi Aquis Sextiis est confinis, terminus videtur fuisse fluvius Cenus (*Arc*), neque tamen ita, ut quaecunque inter stagnum Mastramelam, montium initia, Druentiam, Rhodanum intererant, Arelatensium essent, sed considebant ad ipsum fluvium Cenum Ceniceuses, ab altera parte sive in angulo illo ad confluentes Druentiae et Rhodani Glanici. Ceniceuses quidem, quos Latio usos esse ex Plinio scimus, Ceno accoluisse ipsum nomen indicat, neque vero, quomodo agros huic fluvio adiacentes cum Arelatensibus diviserint, iam potest erui nec magis decerni, in utrius oppidi finibus fuerint arcus illi, qui erecti a C. Donnio C. f. Flavo, flamine Romae et Augusti, hodie quoque viden-

tur ad rivum *Touloubre* prope vicum *St. Chamas* (app. n. 359). Quod autem quinque vel sex leugis hodiernis a Massilia orientem versus in vico *St. Jean de Garguier* invenimus paganos pagi Lucretii, qui dicunt se esse in finibus Arelatensium loco Gargario (app. n. 358), hi aperte longius quam Cenicenses remoti erant ab Arelate et in ea regione, quam Aquensibus potius tribueris quam Arelatensibus. Itaque nisi forte statuis, angusto limite Arelatensium fines continuos inter Cenicenses et Aquensium montes usque ad pagum Lucretium pertinuisse, hic habes exemplum vici contributi separati a territorio eius oppidi, cuius erat, et inclusi in territorio alieno. — Glanum deinde Livii [21]) (*St. Remy*), quamquam duobus monumentis maioribus hodie quoque conservatis insigne est, arcu, ut videtur ad celebrandam victoriam nescio quam extructo et mausoleo familiae cuiusdam Iuliae (app. n. 361), quae duo monumenta proxime ad Iulii Caesaris aetatem videntur accedere, tamen respublica minoris momenti videtur fuisse; contribuerim ei et stationem viae publicae Bellintum, remotam ab Ernagino m. p. X, ab Avenione V (itiner. p. 553; *Barbantane* aut *Lauzac* Uckert p. 436) et Tarasconem, ut quo loco reperta sit inscriptio hominis profitentis tribum Voltiniam (app. n. 362); Voltinia enim tribus non Arelatensium erat, sed Glanicorum. — In eadem regione fuisse Desuviates inde concludas, quod a Plinio inter Anatilios et Cavares collocantur; a quo nomine si revera derivandum est nomen vici *Déseaumes*, qui medius interest inter Arelatem et stagnum Mastramelam (Uckert p. 298), intra Arelatensium fines eos ponas. Denique stationes quoque viarum, quae ab Aquis Sextiis Arelatem ducebant, hoc loco sunt commemorandae. Quae viae erant duae, altera ducens per Glanum Livii et Ernaginum, altera per Massiliam; stationes autem prioris viae, cuius adhuc extant quaedam reliquiae, praeter Glanum et Ernaginum indicat tabula Peutingeriana Pisavas m. p. XVIII ab Aquis (prope vicum *Pelisanne*) et Tuicias? m. p. XV ab Aquis, a Glano XI remotas (*Jean-Jean*) [22]), viae Massiliensis inter Aquas et Massi-

21) Glanum *Livii* cur hic locus appellatus sit, nescio.

22) Cfr. Uckert p. 436, qui in assignandis nominibus hodiernis sequitur librum: 'Statistique du dép. des Bouches-du-Rhône'. — *Tuicias* legit Mannert, *Te-icias* A. Maury (Revue archéol. 1864 p. 63).

liam, quae m. p. VIII inter se distant, stationes non erant, inter Massiliam autem et Arelatem geographus Ravennas (p. 244. 340) indicat Solariam (*la Bédoule*), Calcariam (*Calas*), ad Vicesimum (situs incerti), Maritimam (*Martigues*), Fossas Marianas (*Foz*).[23] Quae loca quo modo inter territoria oppidorum sint divisa, conicere inutile est.

Quae cum ita sint, Aquae necesse est agrum habuerint pone ipsam urbem orientem et septrentrionem versus. Sitae enim erant A q u a e S e x t i a e, *Aix en Provence*, colonia Iulia Aquae (app. n. 378), colonia Iulia Augusta Aquae (n. 356), inter primos montes Subalpinos, qui ab ora Massiliensi orientem versus secundum Druentiam et *Verdon* fluvios usque ad Alpes surgunt. Qui montes ita sunt dispositi, ut duobus tractibus, altero septentrionali, meridionali altero et iter publicum, quod recta via Aquis Forum Iulii conducebat, et fluvium Argenteum, qui medius interfluit, sequantur; atque quaecunque in ea regioue nominantur loca, iueniuntur secundum viam illam, quae dicebatur Aurelia, et dividendae sunt territoriis Aquarum, Fori Iulii, Antipolis, F o r i V o c o n i i, quod oppidum remotum erat a Foro Iulii m. p. XXIV Aquas versus (cfr. infra app. epigr. p. 135 sq.). Ceterum hic quoque ad distribuenda viae Aureliae stationes praeter distantiae rationem omnia desunt testimonia ideoque satis habemus, et nomina locorum et itinerarii mensuras hic apposuisse.[24] Erant stationes

a) inter Antipolim et Forum Iulii: ad Horrea (itin. 297; Peut.), m. p. XII ab Antipoli, XVIII a Foro Iulii (*Cannes*, Anv. p. 373, alii aliter);

b) inter Forum Iulii et Forum Voconii: pons Argenteus (Cic. ad fam. 10, 34. 35), si quidem vicus ibi erat nec nisi castra tantum ad pontem habuit, qui Ciceroni 'ex ponte Argenteo' litteras illas misit, Lepidus;

c) inter Forum Voconii et Aquas Sextias: Matavonium sive Matavo (itin. p. 298) m. p. XII a Foro Voconii (XVII Peut.;

23) Cfr. praeter Ravennatem tab. Peut. et itiner. p. 298 sq. Uckert p. 298 sq.

24) Quae de via Aurelia ex inscriptionibus colligi poterant infra composuimus app. epigr. p. 132—137.

Cabasse; cfr. infra app. ad n. 624); ad Turrem (itin. p. 298) m. p. XIIII a Matavonio (XVII Peut.), XXXII ab Aquis (app. epigr. n. 385; *Tourves* Anv. p. 665); cuius stationis ioco Ravennas (p. 244. 340) habet nomen Carnarium; Teguiata (itin. p. 298) sive Tegulitia (Rav.) m. p. XVI ab Aquis (*la grande Pagère* Anv. 637 sq.). — Quibus stationibus adnumeres Anteias (Peut.; *Draguignan?* Valck. 1, 256), stationem viae, de qua mox dicemus, qui locus, cum a Foro Voconii afuerit m. p. XVIII, a Reiis XXXII, utique ilii oppido videtur attribuendus.

Albioeci et Albienses. — In tabula Peutingeriana a Foro Voconii videmus viam proficiscentem Reios Apoliinares (cfr. infra app. epigr. p. 137), quae via necesse est, priusquam Reios pervenerit, conduxerit per montem qui hodie dicitur *Estérel*. Quam viam sequentes cis fluvium *Verdon* in summo monte transvehimur prope iocum *Aups*, sub quo nomine haud dubie latet vetus Aiba Augusta, oppidum, si Ptolemaeum audis, Elycocorum, quam gentem pro parte Aibioecorum habendam esse supra (p. 134) diximus. Apud Strabonem quidem iiic locus deest; at cum dicat hic scriptor (IV. p. 203), Albienses et Albioecos (Ἀλβιεῖς καὶ Ἀλβίοικοι), qui pone Salluvios colerent, habitare τὰ προσάρκτια μέρη τῶν ὀρῶν, septentrionalia montis Estérei declivia videtur iis attribuere, ideoque, cum Alba Strabonis aetate iam deberet extare, fieri potest, ut Strabonis Aibienses incolae huius loci fuerint, Albioeci incolae oppidi Alebece, utraque autem civitas pars fuerit gentis iilius Albicorum a Caesare commemoratae, quae in duas partes divisa erat fluvio Verdon. Quidquid id est, cum Aiba neque recenseatur inter Plinii oppida Latina neque inveniatur in notitia provinciarum, nunquam iure civitatis hic locus usus est, sed contributus erat Reiis Apoiiinaribus, ita ut horum ager comprehenderet, quidquid agri provinciaiis inter Verdon et Druentiam fluvios intererat. Quam ob rem A l e b e c e R e i o r u m A p o l l i n a r i u m, *Riez*, colonia Apollinaris Reiorum (app. n. 112), colouia Reiorum Apollinarium (n. 357), colonia Iulia Augusta Apollinaris Reiorum (n. 113), pro loco contributo habebat Aquas Griselicas (app. n. 495. *Gréoulx*), sitas prope confluentem fluvii Verdon. Septentrionales autem agri Reiensis fines indicat fluvius *Asse*, ultra quem habitabant **Bodiontici** et **Avantici**, quorum oppidum erat D i n i a (*Digne*). Quae gentes

quo tempore a Galba formulae Narbonensis provinciae sunt adiectae (Plin. 3, 5), cum antea Alpium Maritimarum fuissent iam a Nerone Latio donatarum, necesse est Latium iam habuerint, atque cum Diniam, redditam tum Alpibus Maritimis, inveniamus in notitia provinciarum ius civitatis habere, nihil obstat, quo minus a Galba iam oppidi Latini iure constitutam eam esse admittamus. — Reiensium autem et Diniensium agri cum ultimi essent provinciae, huius terminos orientales hoc fere modo traxeris: ab ostiis Vari statim occidentem versus reflectentes ita ad *Verdon* et *Asse* fluvios conducebant, ut et Salinia (*Castellane*) et Sanitium (*Senez*) e provincia excluderentur; traiecto deinde fluvio *Asse* usque ad confluentes fluviorum Druentiae et *Ubaye* sequebatur tractum montium qui dicuntur *la Montagne Neuve* et *la Montagne Blanche*.

Transgressi ex Albioecis Druentiam priusquam ad Vocontios perveniamus, incidimus in **Meminos et Vulgientes**. Et Ptolemaeus quidem, qui Vulgientes omittit, omnem illum angulum Druentiae flexu effectum Meminis videtur tribuere, iisque pro capite dat Forum Neronis, quam ob rem et levi quadam nominis similitudine seductus Anville (p. 325 sq.) hunc locum *Forcalquier* (*dép. des Basses-Alpes*) hodie esse conicit, Henry autem (Antiq. du dép. des B.-A. p. 138) ob reliquias Romanae antiquitatis in vico *Mane* prope Forcalquier inventas huius vici loco collocat Forum Neronis; at neque hae reliquiae probant quidquam in solo ex omni parte reliquiarum Romanarum pleno, neque Forcalquier unquam aliud quidquam fuisse quam Forum Calcarium potest probari. Immo cum Plinius, testis multo accuratior, Meminis tribuat oppidum Carpentoracten, coloniam Iuliam Meminorum (app. n. 415), huiusque situs nomine urbis hodiernae *Carpentras* accurate definitus sit, Meminos consedisse videmus in campo, qui Rhodanum versus adiacet monti *Ventoux*, ideoque cum non verisimile sit, civitatem Meminorum a Carpentoracte ad Druentiam usque habitasse, Forum Neronis, quod, quia neque a Plinio neque in notitia provinciarum commemoratur, ius civitatis nunquam videtur habuisse, propius illum montem est collocandum. Deinde cum Plinius Vulgientibus tribuat coloniam Iuliam Aptam (app. n. 421), eiusque coloniae situs item definitus sit nomine urbis *Apt* (*dép. de Vau-*

cluse), quae adiacet fluvio *Calavon* [25]), inter Vulgientes autem et Druentiam alius civitatis nomen non appareat, Vulgientium civitatem consequitur et angustam illam vallem tenuisse, quam perfluit Calavon, et regionem montis *Leberon* Aptae imminentis et ea quae inter hunc montem intersunt et Druentiam, sive omnem fere regionem, quae hodie est *l'arrondissement d'Apt.* Oppidum autem Latinum praeter Aptam ibi non fuit, sed haud longe a dextra fluvii Calavon ripa vicus, qui hodie est *Gordes,* nomen conservavit pagi Vordensium Aptae contributi (app. n. 424), litteris V et G eodem modo commutatis atque in nomine oppidi Vapinci, quod hodie est *Gap.*

In eadem regione cum in via publica, quae Cabellione per Aptam secundum Druentiam ducebat Segusterionem et ad Caturiges, in itinerario Antonini (p. 343) stationem habeas Fines m. p. X ab Apta, XII a Cabellione remotam, hic fortasse sive prope locum *Goult* terminos posueris, ubi agri Cabelliensis, Aveniensis, Aptensis erant confines; stationes autem eiusdem viae ad hanc regionem pertinentes sunt Catuiaca (*Calaon* Anv. p. 215, *Cerest* Lapie) XII m. p. remota ab Apta, et Alaunium (*Hospitalet* Anv. p. 43. *Montlaux* Lapie) m. p. XVI a Catuiaca.

Cavares. — De huius gentis sedibus Strabo [26]) et Plinius ita inter se consentiunt, ut ille, quidquid inter Druentiae et Isarae cum Rhodano confluentes interest, Cavarum esse dicat, hic et Avenionem (*Avignon*) et Valentiam (*Valence*) sive eiusdem regionis extrema loca iisdem attribuat. A Plinio autem Ptolemaeus ita differt, ut Valentiam in finibus Segovellaunorum constitutam dicat; at quia apud Plinium quoque Segovellauni eodem loco collocantur, haec differentia nullius momenti est, praesertim cum Valentiae, coloniae civium Romanorum fortasse pars potior non ex indigenis constaret. Cum vero Vulgion-

25) Cuius fluvii nomen volunt commemorari in hac Bouchii (Chorogr. de Prov. 1, 28) inscriptione: MINER|VAIHVLI|AVCALONIS|MVSAE, atque Uckert quoque p. 140 et Spruner mappam antiquae Galliae depingens inde nomen Aucalonis fluvii receperunt; at inscriptionem illam, siquidem recte descripta est, potius legeris: *Minervae Iulia Ucalonis Musae.*

26) Strabo IV. p. 185: *πορθμείῳ διαβᾶσιν εἰς Καβαλλίωνα πόλιν ἡ ἐφεξῆς χώρα πᾶσα Καυάρων ἐστὶ μέχρι τῶν τοῦ Ἴσαρος συμβολῶν πρὸς τὸν Ῥοδανόν.*

tium, Vocontiorum, Tricastinorum agri satis Rhodanum versus prolati essent atque praeter Avenionem et Valentiam, **Arausio** (*Orange*) colonia civium Romanorum et oppida Latina **Cabellio** (*Cavaillon*) atque **Aëria**, de cuius situ incerto supra (p. 28) diximus, pertinerent, nullum ex his oppidis agrum latius patentem potuit habere; quomodo autem limes, qui a Druentia inferiore ad Isaram secundum Rhodani cursum protrahitur, quinque illis oppidis sit dividendus, iam non potest erui. — Nomina deinde locorum minorum, quae ex hac regione ad nos pervenerunt, haec sunt:

a) inter Avenionem et Arausionem: Cypresseta (itin. p. 553 '*au pont de Sorgues*' Anv. p. 260), m. p. V ab Avenione, XV ab Arausione; Vindalium, locus celeber clade Arvernorum (cfr. supra p. 46) situsque ad confluentem Sulgae (*Sorgues*) fluvii;

b) inter Arausionem et Valentiam: mutatio ad Letoce (itin. p. 553 '*passage du Lez*' Anv. p. 404, *Mondragon* Lapie); ibidem fere, sive in vico *St. Pierre de Sénoz* Valckenaer recte collocare videtur locum tabulae Peutingerianae Senomagum[27]; mutatio Novem Craris (itin. p. 553; '*passage du Berre*' Anv. p. 488, *Pierrelatte* Lapie); mansio Acunum (itin. p. 553; *Anconne*), quem locum qui dicunt nihil aliud esse quam Ptolemaei Acusionem recte videntur indicare, neque obstat huic coniecturae, quod de colonia Acusione dicit Ptolemaeus, ut qui minus accurate usurpet oppidorum titulos; mutatio Vacianae (itin. p. 553; Vatiana geogr. Rav., Batiana Peut., *Baix*); mutatio Umbenum (itin. p. 553; prope *Beauchastel* Lapie);

c) inter Valentiam et Tricastinos: Cerebelliaca (itin. p. 554), m. p. XII a Valentia, X ab Augusta (*Chabeuil?* Anv. et Lapie).[28]

Inter Cavares et Vocontios qui intersunt **Tricastini** pro oppido habebant **Augustam** (*Aouste-en-Diois*), quae in notitia provinciarum dicitur civitas Tricastinorum. Quod vero Ptolemaeus Tricastinis contribuit locum Noeomagum, non video

---

27) Nescio qua ratione permotus Uckert p. 443 ad ipsum Rhodanum loco oppidi *Pont St. Esprit* Senomagum ponat.

28) Mensuras itinerarii si accipis, difficile est, de vico *Chabeuil* cogitare, qui propior est Valentiae quam Augustae.

quid obstet, quo minus cum Scaligero (apud Anv. p. 120) et Uckerto aliisque *Nyons* eum locum esse accipiamus, praesertim cum quae inter Arausionem et *Nyons* est regio, hodie quoque dicatur *le Tricastin*. Quod si ita se habet, Tricastini aeque ac Cavares angustum limitem a meridie septentrionem versus tendentem tenebant iisque tribuendus est pagus Aletanus (app. n. 448), quoniam hic titulus, ubi mentio eius fit, repertus est in vico *Taulignan* prope Noviomagum.

Ex Tricastinis transitus est ad **Vocontios**; quorum ager secundum ea, quae iam exposuimus, ita iam definitur, ut a septentrione pro termino habeat Isaram, a meridie montes *Ventoux* et *Lure*, ab oriente fluvios Druentiam et *Drac*, ab occidente limitem illum agri Tricastini, qui a Noviomago Augustam tendit. Inter quos terminos Plinius dicit esse duo capita, Vasionem, *Vaison*, quae colonia dicitur Iulia Augusta Vocontiorum app. n. 434, respublica Iuliensium n. 433, ac Lucum Augusti, *Luc-en-Diois*, situm ad Drunam (*Drôme*) superiorem, et oppida ignobilia undeviginti. Ex quibus oppidis ignobilibus iam sub primis imperatoribus ad coloniae Latinae ius elatam vidimus coloniam Deam Augustam (app. n. 460), *Die*, sitam ad Drunam mediam, neque solum ex inscriptionum Romanae aetatis multitudine, sed etiam ex notitia provinciarum, ubi praeter Vasionem non Lucus Augusti commemoratur, sed civitas Deensium, perspicuum est, Deam mox insigniorem fuisse Luco; quin etiam cum quae in inscriptione nostra n. 450, reperta Deae, commemoratur civitas Vocontiorum, nihil aliud esse possit quam Dea Augusta, hanc civitatem tertio p. Ch. saeculo primum inter Vocontios locum obtinuisse apparet, idque, cum Dea ad frequentem viam publicam sita esset, Vasio autem ab ea distaret, facile comprehenditur. Inter reliqua deinde loca minora eminet pagus Vertacomocorum (Plin. 3, 21), cuius nomen hodie quoque gerit regio inter Deam et Isaram sita, ubi invenis vicos *St. Agnan-en-Vercors*, *La Chapelle-en-Vercors*, *St. Martin-en-Vercors*, *St. Julien-en-Vercors*. Neque solum hunc pagum Deae tribueris, sed ex itinerariis quoque huc trahas mutationem Darentiacam (itin. p. 554; *Saillans?* Lapie), remotam ab Augusta m. p. X, a Dea XVI. Ad Lucum deinde ex eodem itinerario Hierosolymitano (p. 554 sq.) referas mutatio-

nem Vologatas (*'entre Beaurières et La Baume'* Lapie), mutationem Cambonum pone Gauram montem (*Col de Cabres*) sitam (*La Baume* Anv. p. 195; *St. Pierre d'Argençon* Lapie), mansionem Montem Seleuci (*Mont-Saléon*), mutationem Daviamum (*Veyne* Anv. et Lapie), mutationem ad Fines (*la Roche des Arnauds* Lapie). Quod Finium nomen indicare mihi videtur, priore tempore terminos ibi fuisse totius provinciae idque eo magis, quod quae sequitur mansio Vapincum, *Gap*, remota a Finibus m. p. XI, a Plinio non nominatur. At quod idem Vapincum in notitia provinciarum nominatur inter civitates provinciae Narbonensis secundae, quod deinde in eadem fere regione secundum Strabonem (IV. p. 203) collocandi sunt **Medulli**, quorum civitatem post Agrippam provinciae ascriptam esse invenimus (supra p. 134), Vapincum Medullorum civitatem fuisse iudicaverim receptisque Medullis fines provinciae ita prolatos, ut iam essent inter Vapincum et oppidum Caturigum; ipsum Vapincum autem, quod in notitia iure utitur civitatis, antea oppidum Latinum fuisse credo. Denique ad Vasionem referendi sunt et Cadienses, qui commemorantur in titulo nostro n. 446, reperto in vico *Mirabel* prope Vasionem, et fortasse pagus Epotius (app. n. 489), qui hodie videtur esse *Upaix*, *dép. des Hautes-Alpes;* neque minus huc pertineat pagus Bag .... inscriptionis nostrae n. 447, quae reperta est in vico *Le Buis*, *arrond. Nyons.* Accedunt ex itinerario Antonini (p. 342 sq.) Segustero et Alabon; nam Segustero (*Sisteron*, *dép. des Basses-Alpes*), sita ad confluentem rivi *Buech* et Druentiae, cum apud Plinium desit, priore tempore nihil nisi statio viae sive vicus videtur fuisse, et postea demum obtinuit ius civitatis, ut vides ex notitia provinciarum, ubi civitas Segesteriorum nominatur provinciae Narbonensis secundae; a Segusterone autem proxime aberat locus Theopolis (app. n. 490), cuius nomen servavit locus qui hodie est *Théou*, prope vicum *St. Géniez*. Alabon vero m. p. XVI remota a Segusterone hodie est Alemont, quo loco reperta est illa, de qua modo diximus, inscriptio pagi Epotii. Postremum tabula Peutingeriana suppeditat stationem Geminas inter Lucum et Alpem Cottiam.[29]

29) De quo tabulae loco aperte corrupto cfr. Anv. p. 344. Ueckert p. 449 n. 81.

Restant ultimi in hac provinciae parte Tricolli, quos Strabo minus recte Tricorios appellat (cfr. supra p. 135. n. 19) et Iconii. Quorum sedes definiendae sunt ex finibus Medullorum, quibus erant finitimi: et Strabo quidem [30]) dicit, Medullos usque ad summa Alpium iuga habitasse, atque quamquam satis incertum est hoc testimonium, tamen non nego fieri posse, ut Medulli provinciales medii inter Caturiges et Centrones propius ad culmina Alpium accesserint. Tum vero Tricorii et Iconii necesse est tenuerint vallem fluvii *Drac*, atque quae apud geographum Ravennatem (p. 241) inter Cularonem et Catorissium est statio Fines, fines et harum gentium et universae provinciae videtur indicare; cuius loci situs, cum desiut apud Ravennatem viarum mensurae, accuratius definiri non potest; nec nisi id certum est, circa inferiorem fluvium *Romanche* eum esse quaerendum. Oppidum vero nullum in his locis proprio iure videtur esse constitutum, sed omnia Deensibus attributa, quo modo cum et horum et Vasiensium agri latius paterent, quam qui commode possent administrari, facile intellexeris, cur Vapincum et Segustero proprio iure postea sint constituta.

In extrema provincia septentrionali inclusa inter Isaram et summas Alpes et Rhodanum tamquam in custodia posita erat **Allobrogum** valida et numerosa gens, quae quo promptius custodiendi munus susciperet, civitate Romana erat donata. Horum fines a meridie quidem et occidente ac septentrione satis definiti erant, sed qui ab oriente termini et huius territorii et totius provinciae fuerint, est quaerendum. Usque ad Genavam utique Allobroges pertinuisse supra (p. 91. 94) vidimus, a Genava autem orientem versus haud longe afuisse fines provinciae, inde videmus, quod Nantuates, Allobrogum finitimi, et ipsi partem lacus Lemanni obtinebant (Caes. b. g. 3, 1); porro meridiem versus, ubi Centrones finitimi circa oppidum Tarantasiam agrum colebant, qui hodie dicitur *la Tarantaise* sive regionem, quae interest inter Isaram superiorem et fluvium *Arc*, alium terminum suppeditat statio itinerarii (p. 346; tab. Peut.) ad Publicanos, quae ipso nomine indicat confinia provinciae Centronum-

30) Strabo IV. p. 203: *μετὰ δὲ Οὐοκοντίους Ἰκόνιοι καὶ Τρικόριοι καὶ μετ᾽ αὐτοὺς Μέδουλλοι, οἵπερ τὰς ὑψηλοτάτας ἔχουσι κορυφάς.*

que, quoniam ibi vectigal levabatur quadragesimae Galliarum, quam stationem Anville p. 535 vult esse *l'Hôpital de Conflans.* Deinde ad definiendum ulterius territorium Allobrogicum argumento nobis sunt ii tituli, qui in his regionibus reperti tribum Voltiniam exhibent, quae tribus erat Allobrogum neque pertinebat ad gentes Allobrogibus finitimas; suppeditant autem eiusmodi titulos haec, quae sequuntur, Sabaudiae loca (cf. app. epigr. pp. 121—124):

1) in regione, quae dicitur Basse Savoye: *Viviers* inter oppida Chambéry et Aix; *Aix; St. Blaise* prope Yenne ad Rhodanum; *Gresy* inter vicos Montailleur et St. Pierre d'Albigny; *Fontaines* inter Gresy et St. Pierre d'Albigny; *St. Marcel* inter Rumilly et Alby ad fluvium Chéran;

2) in regione, quae dicitur Genevois: monastère de *Taloire* prope Annecy, Gresy-en-Genevois;

3) in regione Faucigny: *Passy*, vicus situs ad dextram fluvii Arve ripam prope Sallanche. —

Quod optime quadrat ad id, quod diximus de Centronibus et Nantuatibus. Pertinuerunt igitur ad Narbonensem Sabaudiae partes Basse-Savoye, Genevois, Fauciguy, contra regio Chablais Nantuatium erat, et Haute-Savoye, quae regio a dextra Isarae superioris usque ad fontem fluvii pertinet aeque ac Tarantasia erat Centronum, atque hic quoque videmus, summa Alpium culmina, quorum transitum ab omni periculo tutum esse Romanorum maxime intererat, a provincia inermi esse separata.

Iam vero in hac regione, quae ab Rhodano Viennam praeterfluente ad *Arve* fluvium, ab Isara ad lacum Lemannum pertinet, quae erant oppida? Una Vienna, *Vienne*, colonia Vienna (app. n. 502. *passim*). Reliqua loca omnia, ut diserte testantur inscriptiones, vicorum loco erant Viennae contributorum, scilicet vicus Cularo, quae postea erat civitas Gratianopolis (*Grenôble*), vicus Augustus (*Aoste-St. Génis, dép. de l'Isère*) vicus Genava (*Genève*), vicus Albinnensis (*Alby, en Savoye*). Neque enim solum, qui his locis sunt homines honorati, Viennae funguntur honoribus et muneribus, sed etiam vicani dicuntur incolae, vicani Augustani (app. n. 568), vicani Genavenses (n. 589), vicani Albinnenses (n. 579); Cularonem autem, quamquam non diserte dicitur vicus, tamen quoniam homines Cularenses Viennae

10*

erant decuriones (app. nn. 543. 544), aeque vicum tantum Viennae contributum fuisse apparet. Minus certum est, utrum locus Aquae (*Aix-en-Savoie*) vici loco fuerit, an, ut vult Millin (Voy. en Savoye 1 p. 36), nihil nisi villa thermis alioque apparatu urbani luxus instructa, cuius apparatus hodie quoque extant reliquiae. Et monumentum quidem Pompei Campani, quod depictum habes apud Guichenon (hist. de Sav. 1 p. 31), quaeque alia circa hoc monumentum sunt reperta, leviora sunt quam quae probent, vicum ibi extitisse maiorem similem Genavae et Cularoni. Contra quod in uno titulo (app. n. 574) ibi reperto nominantur possessores Aquenses, possessorum vero ubi fit mentio, semper de maiore aliquo loco agitur, eo tempore, quo positus est ille titulus, Aquis vicus necesse est sit constitutus. Quod tempus tertio saeculo superius esse vix credo; namque et quae rarissimae extant inscriptiones possessorum ordinis municipalis instar congregatorum, ad posteriores potius imperatores pertinent, et Aquae Allobrogum neque in itinerariis veteribus commemorantur, neque inscriptionum maior numerus ibi invenitur. — Praeterea locus Bergusia nominatur et in inscriptione nostra Narbonensi n. 48, et in itinerariis (p. 346; tab. Peut.), qui vicus hodie est *Bourgoin*, *dép. de l'Isère*, remotus a Vienna orientem versus m. p. XX. Contra, quae in bello ab Allobrogibus anno a. Ch. 61 cum Romanis gesto insigniora loca fuisse vidimus (supra p. 69), Ventia (*Vinai?* Vales. p. 529; Anv. p. 689) et Solonium (*S. Sorlie?* Uckert p. 454) postea non iam commemorantur.

Denique ut penitus excutiamus locorum describendorum nomina, ex itinerariis haec adicimus: Erant in Allobrogibus viae quattuor 1) Valentia Viennam 2) Vienna ad Alpes Graias 3) a vico Augusto Genavam, quae via Augusti devertit a praecedenti 4) Vienna Cularonem, unde per Tricollos et Medullos continuatur ad Caturiges; stationes autem earum viarum hae sunt: 1) inter Valentiam et Viennam: *Tegna* (Peut.; *Tain*); Ursolae (It. 358; *Roussillon* Vales. p. 624, Lapie; *St. Valier* Anv. p. 724); Figlinae (Peut.; *St. Rambert* Anv. p. 300). 2) inter Viennam et Alpes Graias: praeter Bergusiam et Augustum Labisco (it. p. 346; *Novalèse 'au passage de la petite rivière de Laisse'* Anv. p. 403; *Beauvoisin* Lapie); Lemincum (*Lemens* prope *Chambéry*

Anv. p. 406), Mantala (*Montailleur* Anv. p. 433; *St. Jean la Porte* Uckert p. 458; *St. Pierre d'Albigny* Lapie). 3) inter Augustam et Genavam: Etanna (Peut.; *Yenne* Anv. p. 294); Condate (Peut.; prope *Seyssel* Anv. p. 238). 4) inter Viennam et Cularonem: Turecionnum (Peut.; Urdonno geogr. Rav. p. 241; *Ornacieu* Anv. p. 663); Morginnum (Peut.; Maurogena geogr. Rav. p. 241; *Moiran* Anv. p. 465); Cularo.

Habes hic provinciae nostrae formam, quantum fieri potuit, restitutam; in qua si omnibus locis, quae in Romanarum antiquitatum documentis deprehendimus, suam cuique sedem, suam condicionem conati sumus tribuere, restiterunt conatui duo nomina oppidorum Latinorum a Ptolemaeo tradita, Bormanni et Comacina, ad quorum situm definiendum nullum inveniri potest argumentum.

Caput II.

De institutis municipalibus.

Descriptis definitisque iam, quantum fieri potest, per totam provinciam territoriis antequam ad exponenda oppidorum iura et instituta accedamus, liceat paucis exponere, unde repetenda sit rei municipalis in provincia nostra descriptio.

Si quod oppidum sive in Italia sive in qua provincia sive coloniae civium Romanorum sive coloniae Latinae sive municipii iure a Romanis constituebatur neque foederis ratione haec constitutio fiebat, per legem publicam populi Romani eiusmodi oppidum instituta accipiebat municipalia. Poterat autem eiusmodi lex aut generalis esse i. e. ad omnia, quae quo tempore alicuius generis sive in toto orbe sive in una aliqua imperii parte extabant, oppida pertinens aut specialis i. e. singulis oppidis data. At neque illae leges adeo erant generales, ut non singularis quarundam partium condicionis ratio haberetur, neque hae tam speciales, ut

non maior pars talis legis desumeretur ex lege aliqua generali; quin etiam cum duobus oppidorum Italico modo constitutorum generibus, civium Romanorum et Latinorum, maximam partem communia essent instituta municipalia atque ex eadem origine repetita, ex altero genere ad alterum, quaecunque non ad civitatis Romanae et latinitatis discrimen pertinebant, poterant transferri. Iam vero si provinciam Narbonensem respicimus, incidimus primum in legem celeberrimam, cuius fragmenta reperta sunt in oppido Italiae inferioris Heraclea, quamque Savigny [1]) cognovit esse legem Iuliam municipalem, commemoratam in inscriptione Orelliana n. 3676 [2]) et in titulo Digestorum 50, 1, inscripto: 'ad *municipalem* et de incolis', latamque a Iulio Caesare consule IV. sive anno a. Ch. 45. [3]) Haec lex a Mommseno [4]) et Rudorffio [5]) pertinere iudicatur ad omnia oppida civium Romanorum, quae per totum imperium Romanum et tum erant et postea erant futura, sive et ad urbem Romam et ad oppida Italica et ad oppida civium Romanorum provincialia. Iam vero eo ipso anno 45 in Gallia Narbonensi finita erat deductio coloniarum civium Romanorum: tenebantur igitur hae quoque coloniae lege Iulia municipali, eaque Narbone, Baeterris, Arelate, Arausione, Foroiulii non minus in foro est proposita quam Heracleae, in cuius oppidi ruinis quod ad nos pervenit exemplar est repertum. Habemus igitur legem generalem, cuius eam videmus esse naturam, ut singulorum quidem oppidorum non fiat mentio, attamen quae ad urbem Romam, quae ad reliqua Italiae oppida, quae ad provincialia pertineant, facile possint distingui, eademque lex si quod postea oppidum, sicut Vienna et Valentia, ad civitatem Romanam pervenerat, ad id quoque facile potuerit adhiberi. Latina deinde oppida, quae

1) Vermischte Schriften 3, 279—412.

2) Nominatur ibi *quattuorvir aediliciae potestatis ex lege Iulia municipali.*

3) Ad archetypon depictam edidit tabulam Heracleensem Ritschl, Priscae Latinitatis monum. tab. 33 et 34, vulgaribus litteris expressam Mommsen, Corp. inscr. Lat. I. num. 206.

4) Mommsen, Corp. inscr. Lat. I. p. 123 sq.

5) Rudorff, Roem. Rechtsgeschichte 1, 34.

supra statuimus uno consilio a Iulio Caesare esse constituta, verisimile est item una eademque lege Iulia instituta quibus uterentur accepisse; sed haec lex ignota est, potuit autem vel ea ratione esse generalis, ut ad omnia totius provinciae oppida pertineret singulis non nominatis, vel ita mixti generis, ut eadem lex omnibus coloniis Latinis simul daretur, sed singulis oppidis singillatim distribueretur et nominatim ad singulas adhiberetur, cuius generis videmus esse leges Salpensanam et Malacitanam, quae inter annos p. Ch. 82 et 84 ab imperatore Domitiano duobus quidem oppidis Hispanicis Salpensae et Malacae singillatim datae sunt, at eodem tempore iisdemque verbis conceptae et eodem modo haud dubie communicatae sunt cum omnibus eius provinciae oppidis, quae a Vespasiano ius Latii simul acceperant.[6]) At eaedem leges oppidorum Hispanicorum ad Narbonensem quoque provinciam nonnullius momenti sunt, quippe quarum cum veteribus Romanorum institutis comparatio demonstret, et has et omnes municipiorum coloniarumque leges quasi ex ultimo fonte repetitas esse ex institutis et ipsius urbis Romae et municipiorum Latinorum, qualia erant primo fere tempore liberae reipublicae, ideoque, quae eius generis in una provincia inveniuntur, ad alias posse transferri, quatenus non diserta testimonia repugnant. Quae cum ita sint, ad describendum oppidorum nostrae provinciae Latinorum ius saepius erit, quod recurramus ad leges Salpensanam et Malacitanam. Denique ob illa ipsa generalia Romanorum in his rebus consilia Rubria quoque lex, quae anno a. Ch. 49 Galliae Cisalpinae civitate a Iulio Caesare donatae administrationem ordinavit[7]), in quibusdam rebus ad reliquas provincias forsitan possit adhiberi. — Ex altera autem parte quamquam hae priorum imperatorum leges usque ad Constantini aetatem pro fundamento erant institutorum municipalium, tamen natura ferebat, ut ante Constantinum quo-

6) Plin. hist. nat. 3, 4 extr. Editas et explicatas habes has tabulas a Mommseno in dissertatione, quae inscribitur: Die Stadtrechte der latinischen Gemeinden Salpensa und Malaca (Abhandl. der saechs. Gesellsch. der Wissensch.; philol.-hist. Classe 1857, 361—507); item edidit Henzen n. 7421.

7) Ediderunt hanc legem Ritschl, Priscae Latinitatis monum. tab. 32. Mommsen, Corp. inscr. Lat. I. n. 205.

que saepe esset, quod si quae legibus illis minus bene cauta erant, sive alia temporis ratio mutationem veteris instituti flagitabat, imperatores constitutionibus suis ea supplerent et determinarent. Cuius generis supplementa composita habes in Digestorum libro quinquagesimo. Contra probe ab oppidorum statu Constantino anteriore distinguenda sunt, quae in codice Theodosiano de saeculorum p. Ch. quarti et quinti institutis invenimus; quamquam enim ne in illo quidem libro desint, quae priorem aetatem illustrent, et quamquam initia institutorum posteriorum iam ex secundo p. Ch. saeculo repetenda sunt, tamen universus rei municipalis qui ibi describitur status alienus erat a statu temporis praecedentis, quod discrimen qui neglexerunt, multis erroribus fuerunt obnoxii.

Verum omnes eiusmodi descriptionis nostrae partes incertae essent et dubiae fidei, nisi de omni re ex certissimis omnium et fidelissimis testibus indicii nostri normam quaereremus et regulam, ex inscriptionibus scilicet, quae ex magna veterum provinciae Narbonensis parte hodie quoque extant.

1. De nominibus, generibus, iure oppidorum, de pagis et vicis.

Quo tempore Augustus senatui provinciam Narbonensem tradidit, oppida in ea erant haec:

I. Coloniae civium Romanorum: Arelas, Arausio, Baeterrae, Forum Iulii, Narbo Martius, Valentia, Vienna — numero VII.

II. Oppida civium Latinorum: Aëria, Alba Helviorum, Alebece Reiorum Apollinarium, Anatilia, Antipolis, Apta Iulia, Aquae Sextiae, Avenio, Augusta Tricastinorum, Bormanni, Cabellio, Cambolectri Atlantici, Carcasum, Carpentoracte, Cenicenses, Cessero, Comacina, Forum Voconii, Glanum Livii, Loteva, Nemausus, Piscenae, Ruscino, Rutenae, Samnagenses, Tarusconienses, Tasconi, Tolosa, Umbranici — numero XXIX, qui numerus, postquam accesserunt Dinia, Segustero, Sextantio, Vapincum secundo p. Ch. saeculo erat XXXIII.

III. Civitas foederata Vocontiorum iure Latii donata et distributa oppidis tribus civium Latinorum Deae Augustae, Luco Augusti, Vasioni, quae si reliquis oppidis Latinis adnumerantur, universus civitatum Latinarum numerus erat XXXVI.

IV. Civitas foederata, libera, immunis Massilia.

Accedebant per aliquod tempus

V. Ligurum quaedam civitates stipendiariae, quarum certa oppida non nominantur. Extiterunt igitur ea aetate, qua maxime florens erat provinciae status, oppidorum territoria XLIV.

Cum quo oppidorum catalogo si confers ea, quae alibi recenseri solent oppidorum in orbe Romano uomina et genera[8]), desideraveris praefecturas et municipia civium Romanorum Latinorumque. Et praefecturae quidem cum omnino Italiae potius sunt quam provinciarum, tum vel in Italia imperatorum aetate rarissimae. Municipia autem quae alibi sunt, in hac nostra provincia summota sunt nomine coloniarum sive re quidem erant, nomine non erant. Municipia enim imperatorum aetate erant oppida antiquitus constituta, quae, postquam desierunt sui iuris esse, civitate sive Romana sive Latina donata, sed colonis eo non deductis in imperium Romanum transierant[9]); erat igitur municipium Vienna, erant municipia omnia oppida Latina pridem Gallica ex indigenis constituta ideoque ab ipsa re et veritate non alienus est Tacitus, si municipia appellat Lucum Augusti et Antipolim.[10]) At Iulii Caesaris liberalitati vidimus debuisse haec oppida omnia splendidius coloniae nomen, cuius honoris Tacitus quidem nullam habuit rationem sive notitiam, rationem studiose habebant lapides inscripti; unde factum est, ut duo tantum oppidorum Italico modo constitutorum genera in uostra provincia essent: coloniae civium Romanorum et coloniae Latinae. Cui rei non obstat, quod interdum cives alicuius oppidi municipes dicuntur, sicut ex. gr. Arelatenses (app. n. 330); namque imperatorum aetate *abusive*, ut ait Ulpianus, *municipes dicebantur suae cuiusque civitatis cives.*[11]) Deinde si quod op-

8) Cfr. Marquardt, Handbuch der roem. Alterthümer 3, 1 p. 51.

9) Municipia esse et civium Romanorum et Latinorum probant tabulae Salpensana et Malacitana. Mommsen, Stadtrechte p. 400 n. 23. cfr. praeterea Rudorff, Roem. Rechtsgesch. 1. §. 12. Municipia Latinorum quoque civium fuisse negant etiam post editas leges municipiorum Hispanicorum A. W. Zumpt., Stud. rom. p. 269 sqq. Walter, Gesch. des roem. Rechts 1. §. 217.

10) Tacit. hist. 1, 66. 2, 15.

11) L. 1, §. 1 Digest. ad munic. (50, 1).

pidum videmus appellari *rempublicam* (Nemausum app. n. 97 not. extr., Glanum n. 360, Vasionem 433), hoc nomen adhiberi poterat ad omnia ea oppida, quibus proprii magistratus erant concessi. *Urbis* vero nomen in uno tantum titulo habemus, ad oppidum provinciale adhibitum eoque dubiae fidei (Baeterrensi n. 82). De *civitatis* postremo nomine, quod in quibusdam titulis usurpatur, notandum est, et omnino rarissimos esse eos titulos certae lectionis (app. n. 77 Narbon., n. 106. Foroiul., n. 498. 519 Viennens., 450 Alb. Helv., Deens., Valent.; fortasse etiam 389 Reiens.), et unum modo (n. 106) ultra medium saeculum p. Ch. secundum posse referri, reliquos aut posterioris aetatis esse, ut Viennensem (n. 489), qui Augustos commemorat, Deensem (n. 450), qui anni est p. Ch. 245, Narbonensem, qui quarti p. Ch. saeculi est, aut carere auctoritate, ut Viennensem (n. 519) positum a statore coloniae, homine scilicet inculto. Immo ingens inscriptionum multitudo probat, usque ad aetatem Antoninorum oppida provincialia prae se tulisse et diligenter indicasse insignius coloniarum nomen, nec nisi postquam et deterior fieri coepit oppidorum status et civitate a Caracalla per omnem orbem Romanum propagata veteres gradus vilioris sunt facti, non iam interfuisse, antiquum nomen conservare, ita ut vetera et nominis et iuris discrimina uno illo mergerentur nomine et iure civitatis, quod oppositum erat ab una parte vicis sive oppidis contributis, ab altera parte metropoli. Quo fit, ut in notitia provinciarum Galliae civitates appellentur quaecunque enumerantur oppida nec nisi in quaque provincia una e reliquis emergat metropolis.

Iam vero si a nominum varietate ad iuris discrimen procedimus, duae quaestiones sunt instituendae, unde eruamus, primum quid fuerit cuiusque oppidorum generis ius, deinde num quae provinciae nostrae oppida inter Augusti aetatem et Caracallam iure sint aucta, ex quibus quaestionibus priorem tum demum poterimus tractare, cum antea breviter exposuerimus, quam generalem Romani in his rebus imperatorum aetate secuti sint rationem.

Omnino Romanos in constituendo per quamque provinciam iure tria videmus respexisse, propriae dominationis securitatem, ipsius provinciae mores et instituta, simplicitatem et facilitatem

publicae universi imperii administrationis. Et securitas quidem imperii flagitabat, ut sublatis iis, quae ante adiectam imperio provinciam fuerant, foederibus separarentur inter se singulae civitates, quae autem sive novae inirentur societates sive ex vetere statu privilegii ratione conservarentur, eae ad imperii usum converterentur; quo consilio in Galliis clientelae, quae inter maiores minoresque civitates intercesserant, sunt sublatae, novam vero societatem inire non nisi sacrorum domus Augustae caussa videbimus esse permissum. Neque minus securitatis imperii caussa fiebat, ut quo quaeque civitas recens subiecta hostilior fuerat et periculosior, eo arctius simulque severius ipsius rectoris provinciae imperio teneretur obnoxia, nec nisi quae prorsus pacatae erant civitates, libertate gauderent suis legibus utendi, suas res per proprios magistratus administrandi; qua ipsa ratione effectum est discrimen illud, quod intererat inter civitates stipendiarias et varia melioris condicionis oppida. Secundo loco flagitabat et imperii securitas et nationum imperii diversitas, ut gradus essent sive iuris sive meri honoris, unde et vetera merita maiora praemia privilegiaque sequerentur et aemulatio intercederet oppidorum inter se, qua quae nondum ad optimum ius pervenerant, bene de imperio merentia praemium melioris iuris studerent acquirere; atque ipsorum subditorum ratio flagitabat, ut quae gentes remotiores erant a dominantis populi moribus atque institutis, paullatim praepararentur ad exercenda ea, quae cum optimo iure coniuncta erant instituta: quo consilio fiebat, ut qui ex deditione stipendiariorum iure erant, primum linguae Latinae usu et omni provincialis imperii apparatu, cui subiecti erant, et exemplo coloniarum vicinarum ad latinitatem, postea iure Latii ad plenam civitatem praepararentur. Ab altera autem parte quod tertio loco posuimus aequandae per omne imperium administrationis studium modum imponebat varietati illi et graduum ordini et ad unam iuris rationem omnes partes tendebat adducere. Quod unitatis et simplicitatis studium imperatoriae aetatis erat proprium, atque etiamsi non omni tempore eodem modo efficax erat, tamen et a primo imperatore diserte enuntiatum est et a successoribus eius in singulas imperii partes continuatum et a tertii saeculi imperatoribus ad finem perductum. Extare autem coepit id consilium, ex quo

tempore universum nomen Italicum civitate donatum est et iuventus ille municipiorum ordo, quo singula Italiae oppida aequo inter se iure et iisdem institutis donata pro partibus imperii Romani censerentur sive ex Sullana fere aetate[12]), in firmo fundamento repositum est lege Iulia municipali, ipso denique nomine indicatum invento sive a Iulio Caesare sive ab Augusto iure Italico, quo quaedam oppida provincialia censerentur esse eiusdem iuris atque oppida Italica; cuius iuris commoda quamquam non ea erant, quae per universas provincias propagarentur, tamen hoc institutum Indicavit saltem, non insuperabili discrimine separatam esse Italiam a provinciis. Postremum sublevandae administrationis ratio flagitabat, ut singulis civitatibus quam maxima administrationis pars permitteretur, nec nisi, ubi de ipsius Imperii commodis ageretur, interiori oppidorum statui immiscerent se magistratus publici. Unde fit, ut Romanorum res municipalis, qualis priorum imperatorum tempore erat, miram quandam libertatis speciem praebeat.

Quae omnis ratio primo p. Ch. saeculo intacta permanebat, atque florens per id tempus erat tam Italiae quam provinciarum status; postea autem duplex intercessit mutatio: namque ad universum imperium quod attinet, cum antea consilium praevaleret provincias paullatim adducendi ad Italiae commoda libertatesque, iam inversus est rerum ordo atque ita exaequari coeptae sunt Italia et provinciae, ut illa ad harum incommoda et onera descenderet; in singulis deinde imperii partibus paullatim publici Romanorum magistratus municipalem administrationem magis magisque sibi arrogabant nec nisi servilia publicae administrationis instrumenta esse patiebantur instituta municipalia.

Qui omnis rei municipalis ordo, ut ne ab orientis quidem provinciis alienus erat, quippe quae, quoad non antiquitus instituta Romanis similia haberent, concessis veteris iuris nominibus ipsa re ad reliquarum provinciarum normam accommodarentur[13]), ita melius a primis initiis elucet in provinciis occidentalibus et septentrionalibus, in Hispaniis, Galliis, Germaniis. In Narbo-

---

12) Cfr. Mommsen, Roem. Gesch. 2, 360—363.

13) Cfr. Kuhn, Beiträge zur Verfassung des roem. Reichs p. 117 sqq. Marquardt, Handb. der roem. Alterth. 3, 1, 383 sqq.

nensi autem provincia prima initia iam supra exposuimus atque rei municipalis historiam usque eo sumus persecuti, quo stipendiarii quidem prope nulli iam extiterunt vel minimi utique momenti erant, maior autem indigenarum pars ad latinitatem pervenerat, magna denique provinciae portio plena civitate gaudebat. Itaque hoc loco stipendiariis prorsus omissis reliquos tantum iuris municipalis gradus hic tractabimus eo ordine, ut quo quodque genus propius ad Italicorum municipiorum condicionem accedebat, priore loco ponamus, primum autem ipsum Italicorum municipiorum ius succincte exponamus.

Proprium erat municipiorum Italicorum, ut cuiusque municipii municipes cives Romani optimo iure essent, ut ipsa municipia libera essent tributis soli et capitis, ut in rebus internis suo iure uterentur, dummodo huius iuris forma ea esset, quam Romani lege municipali dederant, neve quid ex publicis populi Romani legibus inde corrumperetur. Forma autem illa publice municipiis data posita erat in magistratibus collegis et annuis, qui quoad non publicorum populi Romani magistratuum imperium certam quandam iurisdictionis partem praesumeret, ius in quoque oppido redderent, in senatu sive ordine decurionum, in comitiis.[14] Contra in omnibus rebus externis municipia nihil erant nisi imperii partes, quae rempublicam non separatam haberent a communi imperio. Neque a municipiis diversum erat ius coloniarum; olim quidem coloniarum civium Romanorum proprium fuerat, magistratibus peculiaribus non uti et in internis quoque rebus nihil nisi pro partibus urbis Romae haberi; at in hoc novo imperii ordine suos et ipsae magistratus habebant, suum ordinem, sua comitia oppidana, ideoque in his omnibus coloniae nisi nomine et honore non diversae erant a municipiis.[15] — Quarum civitatum ius cum optimum esset in imperio excepta urbe Roma, in provinciis primo loco ponenda sunt

14) Cfr. Liv. 26, 16: (Capuae placuit) *corpus nullum civitatis nec senatus nec plebis concilium nec magistratus esse;* cfr. item Cic. de lege agr. 2, 32, 38 sqq.

15) Quod Mommsen Stadtr. p. 436 proponit municipiorum et coloniarum discrimen positum in legis actione illis concessa, his adempta, omisi, quia ad provincias vix pertinuit.

ea oppida, quae proxime ad hoc ius accedebant sive oppida civium Romanorum iuris Italici, quod ius ipso nomine indicatur in eo esse positum, ut talis oppidi territorium ex communi provincialium sorte exemptum iisdem commodis frueretur atque oppida in solo Italico posita, ergo liberum esset oneribus, quae solo provinciali inhaerebant. Quod genus Augusti quidem aetate in provincia Narbonensi defuit, postea autem huc translatum est ideoque infra erit, quod de eo disseramus.[16]) Secundo loco erant simplices coloniae civium Romanorum, quae civitate quidem Romana et iuris Quiritium commodis privatis sive conubio et commercio utebantur, at nisi aut universa provincia admissa erat ad ius honorum in urbe adipiscendorum aut ipsa privilegii ratione id acceperant, hoc iure carebant. Oneribus autem obnoxii erant eiusmodi coloni tam iis, quae omnibus civibus Romanis communia erant, vectigalibus et stipendiis in legionibus merendis, quam iis, quae solo provinciali erant propria, tributis soli et capitis. Ab his coloniis civium Romanorum reliqua genera exceptis stipendiariis ita erant diversa, ut cum illae eodem fere modo partes imperii Romani essent atque hodie cuiusque regni oppida partes sunt communis eius regni reipublicae, haec sive fictione sive revera loco essent foederatorum, eo inter se discrimine, ut coloniae Latinae proxime a communi Romanorum republica abessent, dein sequerentur eae civitates, quae speciali sensu foederatae dicebantur, extremo loco essent civitates liberae et immunes. Et colonias quidem Latinas pro foederatis esse habitas diserte dicit Cicero[17]); quod autem Ciceronis aetate fuerat ius Latinorum coloniariorum i. e. ius duodecim coloniarum sive ius Arimini, ut quod datum esset primae coloniae Latinae Arimino anno a. Ch. 268[18]), id ius im-

16) Commemorant ius Italicum Plin. hist. nat. 3, 4. L. 1. 6. 7. 8 Dig. de censibus (50, 15); num, quod Dio 48, 12 appellat **τὸν τῆς Ἰταλίας νόμον** idem sit atque ius Italicum, dubium est. Quas de hoc iure varias opiniones enuntiaverint viri docti, succincte expositum habes a Waltero, Gesch. des roem. Rechts 1, §. 319 sq. Ipse Walter aeque ac Savigny (Roem. R. im Mittelalter 1 §. 18) ad Iulium Caesarem refert hoc institutum, alii ad Augustum.

17) Cic. pro Balbo 24, 54. cfr. Mommsen, Gesch. des roem. Münzwesens p. 310.

18) Cic. pro Caec. 35, 102: *iubet* (Sulla Volaterranos) *eodem iure*

peratorum aetate non est mutatum, nisi quod interna oppidorum administratio secundum leges Iuliam municipalem et Rubriam videtur esse temperata, et Augusti aetate, ut supra (p. 101) exposuimus, iure proprios nummos signandi Latinae respublicae sunt privatae. Erat igitur ius oppidorum Latinorum tum positum in eo, ut quicunque talis oppidi cives essent, utique haberent latinitatem, sive ut commercium iis esset cum Romanis, conubium non esset, qui vero magistratu municipali essent functi, civitatem Romanam adipiscerentur, idque, ut videtur, et ipsi et coniuges parentesque ac liberi[19]), ut denique eandem administrationis formam haberent ac municipia civium Romanorum, nisi quod magistratuum iurisdictio erga Latinos municipes non iuri civili erat astricta, sed iuri Latino; onera vero et soli et capitis his quoque ex communi provincialium condicione erant iniuncta. Differebant igitur coloniae civium Romanorum a Latinis multo magis statu personarum quam statu universi oppidi, unde factum est, ut tum saltem fictione potius quam veritate Latini essent foederati. Olim quidem primo loco inter rempublicam Romanam et Latinos intercesserat foederis ratio, secundo loco ex foedere consecuta erant quaedam de mutuo civium utriusque civitatis foederatae inter se iure pactiones; postea vero cum praevalente in annos re Romana Latinorum foedus ex aequo iniquum factum esset hique nomine magis quam re sui iuris esse coepissent, maior pars publici iuris sublata est nec nisi in iure privato versabatur Latinorum erga Romanos condicio. Fieri quidem tum quoque poterat, ut si quod oppidum peregrinum latinitate donabatur, eius oppidi populus fundus fieret ei legi Romanae, qua id donum oblatum est haeque forma antiqui iuris speciem servaret, at si quae oppida *coloniarum* Latinarum nomine constituebantur, ut nostrae provinciae oppida, probabile est, legem a Romanis impositam ea non minus accepisse quam colonias civium Romanorum. Dicit quidem Strabo, proprium

---

esse quo fuerint Ariminenses: quos quis ignorat duodecim coloniarum fuisse et a civibus Romanis hereditates capere potuisse? cfr. Mommsen, Roem. Gesch. 1, 392.

19) Quod dicebatur Latium maius; cfr. Gaii instit. 1, 39 sq. Mommsen, Stadtr. p. 405 n. 40.

esse Latinorum, exemptos esse ab imperio proconsulis; at si accuratius inquirimus, quae revera fuerit ea exemptio, voluntariam tantum iurisdictionem invenimus magistratibus Latinis concessam[20]: in reliquis omnibus rebus aeque Romanis legibus, Romanis tributis atque oneribus erant astricti. Quo factum est, ut foederis titulus in Latinis oppidis, cum non nisi ex veteris temporis extaret memoria, paullatim oblitteraretur et vel in publicis Agrippae commentariis indeque in Plinii descriptione imperii diserte distinguerentur civitates foederatae a Latinis oppidis, ideoque in nostra provincia Vocontiorum civitas foederata, quae Latina erat et ipsa, exciperetur ex reliquis Latinis. Ab altera autem parte hoc foederatorum genus, quo Vocontii comprehendebantur, non minus distinguitur a civitatibus liberis, sive ut plenius dicuntur, liberis et foederatis. Quae igitur foederis Vocontiorum erat natura? Positum erat id foedus neque in immunitate, ut quae liberarum modo civitatum esset, neque in eo, ut prorsus exempti essent a proconsulis imperio: nam ut taceamus de iurisdictione, si communibus provincialium oneribus astricti erant, quomodo cogitari potest, Romanos abstinuisse, in eorum administrationem internam id exercere imperii ius, quod necessario coniunctum erat cum impositione tributorum soli et capitis? At positum esse poterat in eo, ut administrationis municipalis forma ab Italica ratione aliena concederetur: verum Latinos fuisse Vocontios Strabo diserte testatur.[21]) Restat igitur id tantum discrimen, ut ii quidem latinitatem non ex lege acceperint, sed ex foedere receperint, sive ut, cum reliquis lege Romana impositum esset ius Latii atque hoc ipso ea condicio, qua foederatorum quodammodo loco haberentur, apud Vocontios primo loco fuerit foederatorum ratio a Romanis concessa, eius autem foederis una condicione cautum sit, ut ad Latinorum oppidorum formam suam civitatem Vocontii accommodarent. Et praeterea aliam quoque eius foederis condicionem mihi videor invenisse, qua a reliquis Latinis Vocontii differebant, delectus scilicet rationem. Quod enim in inscriptione quadam commemoratur ala Vocontiorum exercitus

20) Cfr. Mommsen, Stadtr. p. 402.
21) Strabo IV. p. 203. cfr. supra p. 94.

Britannici et quod Trebellius Pollio de tribunatu Vocontiorum refert Postumio iuniori, imperatoris filio, dato[22]), apparet, Vocontios aeque atque foederatos ulterioris Galliae populos militasse inter auxilia iisque et equitatum et peditatum suppeditasse. Iam vero reliquos Latinos in legionibus stipendia meruisse quamquam non diserte traditur, ex inscriptionibus tamen non potest esse dubium; namque invenimus in lapidibus nostris legionarios Nemausenses (app. n. 162, fortasse etiam nn. 164. 165. 255. 256), Helvios (nn. 285. 286), Carcasensem (n. 266 a), Aquenses (nn. 371. 372)[23]), Cabelliensem (n. 400), unde consequitur, sicut olim in legionum ordinem Latinorum quoque copiae redigebantur, ita etiam imperatorum aetate legionibus attributos esse Latinos. At cum olim propriae Latinorum constituerentur legiones, postea legionibus civium Romanorum miscebantur eo iure, ut capessenda militia civitatem adipiscerentur; namque omnes illos milites gregarios civitatem Romanam videmus profiteri, ideoque ad Latinos referendum censeo, quod apud Aristidem legimus de mutato a tironibus statu, de civitate militibus recens delectis data.[24]). Alia erat Vocontiorum condicio: hi non de-

22) Henzen n. 5918. Trebell. vita Postumii.

23) Quem app. n. 373 habemus *M. Orbium M. f., Aquis Sextiis*, optionem militum peregrinorum, is reliquis exemplis non obstat. Poterat enim, cum e militis gregarii loco ad optionis gradum promoveretur, ex legione ad peregrinos transmitti.

24) Arist. I. p. 352 Dind.: *πῶς οὖν ἐποιήσατε· εὕρετε οἰκεῖον στράτευμα τῶν πολιτῶν οὐκ ἐνοχλουμένων· — ἐλθόντες ἐπὶ πᾶσαν τὴν ὑπήκοον ἐντεῦθεν ἐσκέψασθε τοὺς λειτουργήσοντας τήνδε τὴν λειτουργίαν, καὶ ὡς εὕρετε, ὁμοῦ τῆς τε πατρίδος ἀπηλλάξατε καὶ τὴν ὑμετέραν πόλιν ἀντέδοτε αὐτοῖς, ὥστε καὶ αἰσχυνθῆναι καὶ τὸ λοιπὸν αὐτοὺς ἐκείνους γ' ἂν εἰπεῖν, ὅθεν ἦσαν τὸ ἀρχαῖον. Ποιησάμενοι δὲ πολίτας οὕτω καὶ στρατιώτας ἐποιήσατε, ὥστε τούς τε ἀπὸ τῆς πόλεως μὴ στρατεύεσθαι καὶ τοὺς στρατευομένους μηδ' ὅτι οὖν ἧττον εἶναι πολίτας, πολιτείας τῆς μὲν ἀρχαίας ἀπολίδας γεγενημένους ἅμα τῇ στρατείᾳ, τῆς δὲ ὑμετέρας πολίτας τε καὶ φρουροὺς ἀπὸ τῆς αὐτῆς ἡμέρας.* Qui locus plerumque ad peregrinos refertur, et Marini quoque (Atti p. 434 sqq.) atque Marquardt (Handbuch der roem. Alterth. 3, 2, 416 not. 2421), Aristidem solita rhetorum ratione sententiam valde exaggeratam proferre indicantes de peregrinis agere accipiunt. At peregrinos constat non accepisse civitatem nisi cum honesta missione, hoc autem loco plus semel in eo versatur oratio,

sierunt antiquo foederatorum iure uti, separatas a legionibus sive cohortes sive alas exercitui Romano suppeditandi; atque usque ad medium tertium p. Ch. saeculum hanc Vocontiorum cohortem remansisse testatur ille Pollionis de Postumio locus. Obstare quidem videtur, quod inscriptiones nostrae nn. 477—480 milites legionarios exhibent e Luco Augusti ortos, qui Lucus Augusti ob tribum Voltiniam vix alius esse potest quam Vocontiorum illud oppidum; at neque ex mentione cohortis Vocontiorum consequitur, Vocontiorum etiam eos, qui cives Romani erant, alienos fuisse a stipendiis legionariis, neque ipsa illa cohors necesse est semper composita sit ex Vocontiis, cum haud dubie saepius accideret, ut partes exercitus ex gentibus foederatis denominatae ex aliis quoque gentibus supplerentur quam ex ea, cuius nomen gerebant. Utique postquam Caracallae constitutione anno 212 Vocontii non minus quam reliqua, quae nondum habebat, provincia civitatem Romanam acceperunt, sive Postumii aetate illa Vocontiorum cohors non iam ad foederis rationem pertinebat, sed antiqui modo iuris memoriam quodammodo conservabat. — Denique fortasse Iulienses illi, quorum praefectus erat C. Sappius Voltinia Flavus (app. epigr. n. 433) nihil aliud sunt quam haec Vocontiorum ala vel cohors in Iulii Caesaris, qui foedus Vocontiis dederat, honorem hoc nomine appellata.

Latinorum cum Romanis foedus cum nomine magis esset quam re, Vocontiorum foedus iniquum, una civitas erat in provincia Narbonensi, cum qua aequum foedus Romani percusserant, Massilia. Cuius foederis aequitas non solum ante Caesarem plena fuerat, sed etiam postquam capta a Caesare urbs deditionis ratione in fidem Romanorum venit, imminuta quidem sunt foederis commoda, sed quod efficiebat aequum foedus, integrum etiam tum mansit, ideoque non foederata solum, sed etiam libera dicitur Massilia.[25]) Qua libertate comprehensa sunt primum et

quod Romani ex ipso delectu tironibus civitatem soleant dare, quod non potest adhiberi nisi ad Latinos. Quae ratio ab una parte imperio Romano inserviebat, civium Romanorum onera sublevans, ab altera parte inde satis fiebat ei legi, quae vetabat in legionibus stipendia fieri ab aliis quam civibus Romanis.

25) Dio 41, 25. Strabo IV. p. 181.

immunitas et ius in proprio territorio portoria capiendi[26]), deinde ea libertas, quam Graeci *αὐτονομίαν* vocant, sive ius propriis inter se legibus, propriis magistratibus utendi, non, sicut Latina oppida, legibus et magistratibus ad Romanae reipublicae formam accommodatis, sed patriis et antiquitus institutis. Quam ob rem instituta Massiliensium describens Strabo (IV, 179) dicit: *διοικοῦνται κ. τ. λ. — οἱ δὲ νόμοι Ἰωνικοί, πρόκεινται δὲ δημοσίᾳ*, sua quoque aetate veteribus illis legibus eos uti testans.[27]) Ex eadem denique foederis aequitate sequitur ius exules Romanos in civitatem Massiliensium recipiendi. Quod ius cum Tiberii aetate a Massiliensibus exerceretur, fuerunt quidem qui contestarentur, at rite defensum est a Graecis et confirmatum a senatu Romano.[28]) Contra renovato foedere cautum esse videtur, ut proprios nummos signare desineret Massilia;

---

26) Diserte non relatum invenimus, in suum usum portoria exegisse Massiliam; nam quod Strabo dicit (IV. p. 183) reditus ex fossa Mariana Massiliensibus a Mario esse concessos, ex hoc loco non certo affirmatur, imperatorum quoque aetate id ius fuisse Graecorum; sed et alias civitates liberas hoc iure usas esse constat (cfr. Marquardt, Handbuch 3, 1, 253 not. 1776), et si Massiliae id esset ademptum, fuisset illo loco, quod Strabo hoc commemoraret.

27) Cfr. Senatuscons. de Chiis Corp. inscr. Graec. n. 2222: *ἡ σύγκλητος ἐβεβαίωσεν, ὅπως νόμοις τε καὶ ἔθεσιν καὶ δικαίοις χρῶνται, ἃ ἔσχον, ὅτε τῇ Ῥωμαίων φιλίᾳ προςῆλθον, ἵνα τε ὑπὸ μηθ' ᾡτινιοῦν τύπῳ ὦσιν ἀρχόντων ἢ ἀνταρχόντων, οἵ τε παρ' αὐτοῖς ὄντες Ῥωμαῖοι τοῖς Χείων ὑπακούωσι νόμοις.*

28) Tac. Ann. 4, 43: *tunc tractatae Massiliensium preces probatumque P. Rutilii exemplum: namque eum legibus pulsum civem sibi Smyrnaei addiderant; quo iure Vulcatius Moschus exul in Massilienses receptus bona sua reipublicae eorum ut patriae reliquerat.* — Caylus, Recueil d'antiquités tom. VI. p. 130 pl. 39 n. 3 affert silicem ('caillou roulé dans la rivière') insculpta navis imagine insignem inscriptumque hisce verbis: *Μασσι(λία) Φωκ(αιέων) ἄσυλ(ος) αὐτ(όνομος)* eiusque formam longius describit, quasi ipse viderit adiciens: 'l'antiquité de cette pierre est indubitable et les caractères sont du meilleur temps', atque ne De la Saussaye quidem (Numism. de la Gaule Narb. p. 80 sq.) hoc monumentum repetens de sinceritate dubitat. At mihi quidem non dubium videtur, quin falsum sit et satis inepte confectum, quod nisi ex ipsis verbis elucecret, indicaretur iam eo, quod Caylus tacet, ubi extet hic silex.

namque in magno veteris Massiliae nummorum numero, qui hodie quoque extat, nullum est exemplum, quod imperatorum prodat aetatem.[29]) Officia autem Massiliensibus erga Romanos imposita haud dubie eadem erant atque omnium foederum, scilicet auxilia, si opus esset, praestanda.

Quos modo enumeravimus iuris oppidorum gradus, nemo non videt accommodatas esse nationum discriminibus. Qui enim optimo iure a Caesare donati sunt, coloni fuerunt nationis Italicae, qui iure Latii, indigenae, qui libertate et foedere ut peregrini, Graeci. Nationis autem discrimen desiit extare, ubi primum indigenae ad civitatem sunt promoti, idque eo magis, quod iam latinitate ex vera origine erant exempti. Itaque cum Viennenses ab Augusto civitatem accepissent, nullum erat inter eos et Narbonenses reliquasque colonias iuris dignitatisve discrimen neque nisi tribu expressa manebat originis differentia. Constat, tribum fuisse insigne civitatis Romanae, et quicunque ad civitatem accesserint, eos uni ex triginta quinque tribubus, in quas universi cives Romani erant redacti, esse adscriptos. Iam vero si quod oppidum universum una lege civitate donabatur, omnes eidem tribui solebant adscribi; quin etiam si eodem tempore complura eiusdem provinciae oppida civitatem adipiscebantur, haec omnia eidem tribui invenimus esse adscripta. Quod eo processit, ut si in qua provincia ex indigenis Latinorum oppida constituerentur, una aliqua tribus eligeretur, cui adscriberentur et omnes municipes cives Romani et quicunque magistratibus municipalibus functi ex ipso iure Latii ad plenam civitatem Romanam essent accessuri; eiusque tribus postea quoque essent omnes, qui eius municipii munici-

29) Massilienses post Caesarem iure propriorum nummorum caruisse Mommsen quoque statuit (Roem. Münzwesen p. 675). Aliter iudicat De la Saussaye (Numism. p. 77 sqq.), qui partem nummorum Massiliensium a se editorum imperatoriae aetati tribuit neque dubitat, quin usque ad extremam antiquitatem Massilienses proprios nummos signaverint. At cum reliquae civitates liberae, quae sub imperatoribus proprios nummos signabant, nunquam omitterent aliquo modo Romanum imperium commemorare, in his nummis Massiliensibus nihil tale invenimus, neque aliud ipse De la Saussaye argumentum affert quam vilem deformemque eorum nummorum fabricam.

pes essent futuri, sive cives Romani nati essent sive fierent. Unde factum est, ut tribus insigne esset non solum civitatis Romanae, sed etiam originis sive patriae. In provincia igitur Narbonensi et quo tempore maior Latinorum oppidorum constitutus est numerus, omnibus qui inde ad civitatem Romanam accessuri essent, tribus designata est Voltinia, et Viennenses cum ius Latii sub Augusto cum civitate commutarent, omnes eidem tribui sunt adscripti, ei scilicet, quae antea iam partis municipum honoratae fuerat. Contra invenimus, colonias illas extrinsecus deductas non solum tribui Voltiniae non esse adscriptos, sed quamquam eodem tempore deductae sunt, suam cuique separatam a reliquis tribum esse assignatam, Narboni Papiriam, Baeterris Pupiniam, Arelati Teretinam, Foro Iulii aut Voltiniam aut Aniensem[30]; Valentiae denique et Arausionis ut origo ita tribus incognita est. Quae tribuum in coloniis varietas quibus caussis sit statuta, non potest erui. At una eademque tribus Voltinia omnibus indigenis attributa novum praebet argumentum, haec oppida uno eodemque tempore Latii iure esse donata.

Qui cum provinciae Narbonensis status esset eo tempore, quo senatui ab Augusto tradita est, quaeritur iam, num qua eius status mutatio intercesserit inter annos a. Ch. 22 et p. Ch. 212, quo anno Caracalla civitatem omnibus, qui in imperio tum erant, ingenuis concessit. Et primum quidem aucta iure sunt omnia provinciae oppida sive civium Romanorum sive Latinorum tum cum primum haec provincia senatores imperio coepit suppeditare. Iam supra (p. 158) statuimus, neque qui in colo-

30) Grotefend, imp. Rom. tributim descr. p. 118, Forum Iulii provinciae Narb. tribuit Voltiniae, Forum Iulii Venetiae Aniensi. Quod non ex omni parte constare mihi videtur: desunt testimonia certissima lapidum in ipsis oppidis repertorum, militum autem tituli in alienis provinciis reperti, qui profitentur tribum Aniensem, in neutram partem argumento sunt; ex tribus deinde exemplis, quae Grotefend ad Forum Iulii provinciae refert, primum (app. nostr. n. 433), quo commemoratur praefectus Iuliensium, ad Vasionem pertinere, ad titulum illum docuimus; tertium (Henzen n. 5204) non dicit de Foro Iulii, sed de Foro Augusti; secundum solum (app. nostr. n. 46) alicuius est momenti, cum verisimilius sit, Cornelium illum ex ipsa provincia esse ortum. At verisimile tantum hoc est, non certum.

niis erant cives Romani, neque qui in oppidis Latinis magistratus gesserant municipales, eo ipso ius quoque honorum in urbe adipiscendorum habuisse. Quod perspicuum est ex celebri illa oratione, qua imperator Claudius in senatu Romano ius honorum per provincias propagatum defendit.[31]) Ubi si ex longo iam tempore Viennensium coloniam Claudius dicit senatores curiae Romanae conferre[32]), apparet, non ab initio, sed ex certo quodam tempore ex hac colonia senatores prodiisse. Num vero uno aliquo senatus consulto id ius sive Viennae sive toti provinciae datum sit, dubium est; potuit utique dari uno tempore eadem ratione, qua ex ipsa illa principis oratione Aeduis est datum; at si quod eiusmodi senatusconsultum in favorem Narbonensis provinciae extitisset, nonne imperator diserte eius auctoritatem appellasset neque satis habuisset singulorum hominum exempla attulisse? Ergo sicut Balbi ex Hispania non ex aliquo senatus consulto, sed principum Romanorum gratia in senatum pervenerunt, ita principum beneficio, qui primus ex hac provincia in curiam pervenit, sive bello sive pace bene de imperio meruit, ad eum honorem videtur esse admissus; ubi primum vero unus hunc honorem est adeptus, nihil iam obstitit, quo minus alii eiusdem provinciae primores ad urbanos magistratus senatoriamque dignitatem admoverentur. Id tantum ex dictis in senatu de hac re sententiis potest concludi, non promiscue tanti honoris prodigos fuisse imperatores, sed quanto quae provincia propius accedebat ad Italiae cultum, tanto maturius eam esse admissam. Primi autem inter Narbonenses provinciales, si non soli ante Claudii principatum, Viennenses videntur hoc iure usi esse, atque satis memorabile est, hanc ex indigenis constitutam coloniam tam mature ad eam dignitatem esse provectam. Brevi deinde post non solum municipes coloniarum civium Romanorum, sed etiam homines ex Latinis oppidis ortos ad honores urbanos videmus accedere, atque sub Vespasiano non solum

31) Constat duplici modo hanc orationem ad nos pervenisse, et in tabulis aëneis expressam Luguduni repertis ac conservatis, quas Lugudunenses in eius beneficii memoriam publice exposuerant (Boissieu, Inscriptions de Lyon p. 133 sqq.) et succinctius traditam a Tacito annal. 11, 23—25

32) Tab. Lugud. col. II. v. 9 sq.

Antonius Primus Tolosanus consularia habet insignia[33]), sed ab eodem imperatore C. Fulvius C. f. Voltinia Lupus Nemausensis (app. n. 123) gestis in patria magistratibus municipalibus factaque militia equestri inter praetorios est allectus, ideoque hic quoque confirmatum habes, quod Suetonius dicit, a Vespasiano honestissimum quemque Italicorum et provincialium in senatum esse allectum.[34]) Neque minus L. Aemilium M. f. Voltinia Honoratum (app. n. 102) et T. Iulium Sex. f. Voltinia Maximum (n. 104) ob tribum et statuas Nemausi positas Nemausenses fuisse iudico. Quibus accedunt ex Narbone Martio L. Aemilius Papiria Arcanus sub imperatore Hadriano (n. 17), avus fortasse Arcani illius, qui Martialis poetae erat amicus[34a]), ex Tolosanis Q. Trebellius Q. f. Rufus (n. 295), ex Viennensibus C. Valerius C. f. Voltinia Macedo (n. 512), cui imperator Hadrianus latum clavum cum quaestura urbana obtulit, quem honorem homo provincialis recusavit; quin etiam ex reliquis Allobrogibus monumento celebratur nescio quis, qui omnibus honoribus Viennae functus in amplissimum ordinem allegitur et usque ad praetoria munera pervenit (n. 572). Videtur adiciendus etiam Trebonius Rufus ille, quem Plinius (epist. 4, 22) Viennae in duumviratu suo gymnicum agona sustulisse refert. Quem cum Plinius virum egregium dicat sibique amicum, qui caussam ipse egerit coram consilio principis, non homo mere municipalis, sed senatorii ordinis videtur fuisse.

Et eadem colonia Vienna, quae primos in curiam urbanam contulit senatores, haud longe ante Claudii illam orationem ad summum qui provinciali oppido contingere poterat iuris et dignitatis gradum accessit, ad ius Italicum. Verum est, et primum et solum Paullum, clarissimum sub Severo Alexandro iuris auctorem, Viennensium iuris Italici ipso verbo tenus mentionem facere[35]); at iam in uno Claudianae orationis loco idem mihi videtur latere. Dicit Claudius[36]), postquam commemoravit co-

33) Tac. hist. 4, 4.

34) Suet. Vesp. 9.

34a) Martial. epigramm. 8, 72 et infra not. 97.

35) L. 8 §. 1 Dig. de censibus (50, 15): *Lugdunenses Galli, item Viennenses in Narbonensi iuris Italici sunt.*

36) Tab. Lugud. col. II. vv. 15—17.

loniam Viennensium ex longo iam tempore senatores curiae urbanae conferre, palaestrinum quoddam prodigium i. e., ut vulgo interpretantur, Valerium Asiaticum Viennensem ante in domum consulatum intulisse, quam eius colonia solidum civitatis Romanae beneficium consecuta sit. Quod solidum civitatis Romanae beneficium ius honorum esse, ut indicat A. W. Zumpt[37], non possumus admittere. Imperator enim si voluisset dicere, Asiaticum peculiari alicuius principis beneficio exceptum esse ex reliquis Viennensibus, ut qui postea demum ius honorum essent adepti, haud dubie aliter id significasset, haud dubie pro solido civitatis beneficio in oratione de iure honorum habita ipsum ius honorum nominasset. Deinde ex longo iam tempore non unum aliquem Viennensem, scilicet Asiaticum, sed plures in senatum allectos esse dicit Claudius, neque, cum Asiaticus primum consul, quoquo anno fuit, esset utique ante necem quidem Caii Caesaris sed non longe ante Tiberii Caesaris exitum[38]), si hic primus singulari quadam exceptione iure honorum esset usus, potuisset dicere, ex longo iam tempore Viennam senatores imperio conferre. Quid quod fortasse inde ex Iulii Caesaris vel Augusti aetate per bellorum civilium militiam insigniores Narbonensis Galliae homines in senatum pervenerunt et, quo inter reliquos excelluit Asiaticus, non generale fuit ius honorum, sed summus honorum gradus, consulatus. Si vero ius honorum non fuit id, quo perfectum et absolutum est Viennensium civitatis beneficium, necesse est fuerit ius Italicum sive, ut item dicitur a Paullo, Italicae coloniae respublica, neque enim singulorum, sed universae civitatis erat id ius. Quod si accipitur, optimo hoc iure donata est Vienna inter primum Asiatici consulatum i. e., ut remotissimum supponamus terminum, inter annum p. Ch. 30 et annum 48, quo orationem illam Claudius habuit. Fortasse ipsius Asiatici priore apud principes gratia factum est, ut eius patria hoc modo honoraretur. Italico autem iure cum contineretur, ut solum immune esset a tributo soli et cives a tributo capitis, nec nisi penderentur vicesimae

37) Zumpt, Stud. Rom. p. 332—334.

38) Cons. iterum Asiaticus fuit a. p. Ch. 46, consularis autem (ἀνὴρ ὑπατευκώς) iam dicitur a Cassio Dione necem Caii Caesaris referente 59, 30. cfr. Ioseph. Antiq. Iud. 19, 1, 20.

hereditatum et libertatis quaeque muneribus continebantur, revera satis magnum fuit beneficium eoque gravius, quod Vienna agrum habebat maximum inter huius provinciae oppida, qui ager necessario comprehensus est iure Italico; et memorabilius etiam est, quod Lugdunum quoque vicinum eo privilegio tum videtur esse donatum. Quod enim Claudius dicit[39]: *quid ultra desideratis, quam ut vobis digito demonstrem, solum ipsum ultra fines provinciae Narbonensis iam vobis senatores mittere, quando ex Luguduno habere nos nostri ordinis viros non paenitet,* consequitur Lugdunum tum et ius honorum habuisse et ius Italicum. ut quod unum *solo* iuhaereret. Luguduni autem natus erat Claudius eaque caussa videtur fuisse huius liberalitatis.

At maioris etiam momenti est quaerere, num quo tempore ante Caracallae illam constitutionem sive omnia oppida Latina una eademque lege sive nonnulla saltem singillatim iure sint aucta. Ad quam quaestionem diiudicandam uno tantum argumento niti possumus eoque satis incerto, inscriptionibus scilicet oppidorum Latinorum, in quibus homines ingenui quidem sed plebeii, qui non per magistratus civitatem adepti sunt, tribum profitentur, exceptis tamen inscriptionibus militum, quos supra (p. 161) statuimus ex ipso delectu civitate esse donatos. Verum est, maiorem eiusmodi titulorum partem indicio aetatis carere ideoque posse etiam esse tempore Caracallae posteriorem, at ut omnino tertio saeculo monumenta inscripta, quae non imperatoribus sive publice sive privatim posita sunt, rariora incipiunt esse, ita natura ferebat, ut ipso tertio saeculo postquam per omnem orbem propagata est civitas Romana, tribus minus diligenter indicaretur.[40]

Iam vero ut ab occidente incipiamus, homines plebeios ea tribu insignes, cui locus, unde erant oriundi, adscriptus erat, invenimus Tolosae unum (app. n. 276) aetatis incertae, Nemausi in ipsa urbe octo (nn. 166—171. 173—174), ex quibus tres (167. 170. 173) apices habent litteris superpositos, qui apices Nemausi inveniuntur usque ad aetatem Severi Alexandri (app. n. 101); in agro Nemausensi quinque (251. 257. 258. 259.

39) Tab. Lugud. col. II. vv. 27—29.

40) Cfr. Mommsen, Berichte der saechs. Gesellsch. 1850 p. 215 sq.

262), ex quibus quattuor primi incertae aetatis sunt, quintus cum praeter civem Romanum C. Octavium Cn. f. Voltinia Certum aperte civem Latinum indicet Cn. Octavium Cn. f. Caiaucum, ad id tempus est referendus, quo nondum vulgata erat civitas Romana; Avenione unum (n. 405); in Vocontiis Vasione unum (437), Deae unum (464), praeterea unum Vocontium incolam Nemausensem (178), Aptae unum (428), Aquenses duos (375. 175); de reliquis oppidis desunt testimonia. Unde concludimus, nonnisi unum oppidum Latinum, Nemausum, qui et agrum habebat latissime patentem et secundum Viennam inter omnia Gallica oppida insignissimum obtinebat locum, ante Caracallam civitate esse donatum. Iam vero Plinii sive imperatoris Vespasiani aetate Nemausenses erant Latini, quoniam sicut probat Avanticorum et Bodionticorum exemplum et latinitatis Hispanicae (3, 4 extr.) commemoratio, si inter Agrippam et Vespasianum cives Romani facti essent, Plinius id notasset; inter hunc vero terminum et Caracallam si licet conicere, commodissime eiusmodi erga provinciales liberalitatem tribuamus Hadriano, quem constat, cum orbem Romanum peragraret et in Galliam pervenisset, Nemausi morantem in Plotinae honorem splendidam extruxisse basilicam; nisi forte Antoninus Pius, cui genus paternum Nemausense erat, patriae suae hoc modo consuluit.

Caracallae autem constitutione postquam non solum quae tum quoque extabant oppida Latina, sed etiam Massilienses ad civitatem pervenerunt, quaeritur num Graecorum libera respublica et libertatem et Graeca instituta retinuerit. Et in aliis quidem provinciis etiam post Caracallam extitisse civitates nomine saltem liberas, ex nummis ab eiusmodi rebuspublicis signatis apparet[41]), de Massiliae autem statu neque nummi testantur neque illius aetatis scriptores quidquam referunt; quae vero duumviros Massilienses commemorat inscriptio nostra (app. n. 611), ea haud dubie male descripta est et caret auctoritate. Quod autem sub M. Aurelio et L. Vero Augustis Cn. Valerium Cn. f. Quirina Pompeianum (n. 613) Massiliae videmus appellari augurem perpetuum, fieri potest, ut magnus Romanorum numerus, qui Massiliae degebant, ad exercendum cultum patrium

41) Cfr. Marquardt, Handb. 3, 1, 256 n. 1791.

coierit et cum alios sacerdotes tum augures sibi elegerit. Linguam utique Graecam Graecosque mores, quibus sub prioribus imperatoribus iuvenes Romani ad eam urbem erant adducti [42], quin etiam Graecas leges Graecaque publica instituta viguisse Massiliae usque ad barbararum gentium invasionem, apparet ex eo, quod Agathias affert sexti p. Ch. saeculi scriptor. [43] Eo autem statu, quem *πάτριον πολιτείαν* Agathias appellat, etiam post Constantinum veterem libertatem immunitatemque esse comprehensam, non possit affirmari. [44]

Omnia oppida, sive coloniae civium Romanorum erant sive Latinorum sive foederata sive libera et immunia, quoddam agri territorium vidimus habuisse in eoque loca minora ab ipso oppido pendentia. Haec loca, quae Plinius generali vocabulo appellat oppida attributa, in Italia quidem diversis nominibus appellantur fora, conciliabula, castella, pagi, vici [45]; in provincia vero Narbonensi, excepto uno Foro Domitil, quae statio viae Domitiae (supra p. 126) ad initia provinciae recedit, non nisi commemorantur pagi et vici; nam quae ibi appellabantur Fora Iulii, Voconii, Neronis coloniarum iure erant constituta. Pagi autem dicuntur: in ,Volcis is locus, qui in hodierno vico *Moux* erat constitutus (app. n. 78), in Arelatensibus Lucretius (n. 358), Fori Voconii Matavo (n. 385), Aptensium Vordensis (423), Tricastinorum Aletanus (448), Vo-

42) Tac. Agric. 4, annal. 4, 44. Romanos, qui Massiliae degebant, ad sacerdotia Graeca esse admissos, apparere videtur ex L. Avidii commemoratione in titulo ad sacerdotium Massiliense pertinenti app. n. 618.

43) Agathias hist. 1, 2: (οἱ Φράγγοι) *ἔχουσι καὶ Γαλλιῶν τὰ πλεῖστα, οὐ πρότερον πρὸς αὐτῶν κατεχόμενα, ἀλλ' ὕστερον ἐπικτηθέντα, καὶ τὴν Μασσαλίαν πόλιν τοὺς Ἰώνων ἀποίκους· ταύτην γὰρ δὴ πάλαι Φωκαεῖς ἐξ Ἀσίας ὑπὸ Μήδων ἀναστάντες κατῴκισαν, Δαρείου τοῦ Ὑστάσπεω Περσῶν βασιλεύοντος, καὶ νῦν ἐξ Ἑλληνίδος ἐστὶ βαρβαρική· τὴν γὰρ πάτριον ἀποβεβληκυῖα πολιτείαν τοῖς τῶν κρατούντων χρῆται νομίμοις· φαίνεται δὲ καὶ νῦν οὐ μάλα τῆς ἀξίας τῶν παλαιῶν οἰκητόρων καταδεεστέρα.*

44) Ex iis quae de aliis Graecis civitatibus Marquardt, Handb. 3, 1, 256 n. 1792 affert, vix licet certi quidquam statuere.

45) Cfr. Marquardt, Handbuch 3, 1, 51 et legum Romanarum Rubriae et Iuliae municipalis fragmenta, item Agrimensorum scripta variis locis.

contiorum Epotius (489), Vertacomacororum (Plin. h. n. 3, 21), Bag... (app. n. 447); vici vero, ut mittam vicum Hebromagum itinerarii Hierosolymitani (p. 551), ut qui libellus posterioris aetatis sit, tres tantum Allobrogum Augustus (app. n. 568), Genava (589), Albinnensis (579). Et in Italia quidem pagorum nomen recedit in antiquissima tempora memoriae cognita, at ne ibi quidem antiquissimi illi pagi idem erant atque ii, quos postea invenimus in universa Italia municipiis distributos; multo vero minus id, quod in Narbonensi post Caesarem invenimus pagorum institutum, recedit ad aetatem Romanorum dominatione superiorem[46]), neque magis conferri potest cum pagis quos Caesar commemorat Helvetiorum. Neque enim unquam, quae ante Romanorum adventum in ipsa Gallia erant indigenarum respublicae, appellantur pagi, sed civitates, neque quidquam extat, quod indicet, pagos posterioris aetatis non attributos fuisse proximis coloniis rationemque eorum aliam fuisse quam omnium locorum attributorum. Immo pagus Lucretius diserte dicitur fuisse *in finibus Arelatensium*. Neque est, quod iuris discrimen statuamus inter vicos pagosque, atque quod in Allobrogibus nonnisi vicos invenimus[47]), in reliquis civitatibus pagos, nomen tantum peculiare Allobrogibus erat, nisi forte, qui in Allobrogibus erant vici, hoc nomine ut maiora inter contributorum genus loca distinguebantur a minoribus pagis vel omnino maiora loca vici, minora pagi dicebantur. Quae cum ita sint, quicunque in provincia nostra inveniuntur vici pagique quid fuerint, exprimitur loco illo Isidori[48]): *vici et castella et pagi ii sunt, qui nulla dignitate civitatis ornantur, sed vulgari hominum conventu incoluntur et propter parvitatem sui maioribus civitatibus attribuuntur.*

Quae autem locorum attributorum erga oppida, quibus attributa erant, fuerint officia, quod ius, eius quaestionis genera-

46) Ita falso iudicat tempora et instituta confundens Voigt, drei epigraph. Constitutionen Constantins p. 103.

47) Insolitum in Allobrogibus nomen pagi confirmat iudicium Mommseni titulum Beaumontianum, quem Henzen recepit n. 5922, pro spurio habentis.

48) Isid. Orig. 15, 2, 11.

lem rationem ex inscriptionibus nostris videmus hanc esse[49]: Natura fert, ut quae extant inscriptiones pagorum vicorumque, prope omnes hanc eorum condicionem demonstrent, qua, ut dicit Festus (p. 317 ed. Müller), partim habent rempublicam. Videmus pagum Matavonem votum suscipientem pro salute imperatoris Caii (app. n. 385), paganos Vordenses statuam patrono suo ponentes (n. 423), paganos pagi Lucretii caussam balinei gratuiti, quod beneficium iis ablatum erat, et coram praesidibus et coram principe defendentes (n. 358), vicanos et Albinnenses et Genavenses dona accipientes (579. 589)[50]; invenimus aediles vici Genavae (n. 595), pagi Aletani (n. 448), pagi Bag... (n. 447), magistros pagi in inscriptione vici *Moux* (n. 78), qui magistratus omnes erant a vicanis sive paganis electi, non a colonia praepositi; invenimus denique patronum cooptatum a Vordensibus (n. 423). At ab altera parte invenimus praefectum pagi Epotii sive magistratum non a paganis electum, sed praepositum a magistratu coloniae nec nisi eius vice fungentem, vicorum autem Allobrogicorum inscriptiones commemorant vicanos honoribus et muneribus in colonia Vienna fungentes. Ex quibus exemplis quae tandem efficitur vera locorum attributorum condicio? Erat fere haec: ex tribus, quibus constitui censebatur corpus civitatis, comitiis, senatu, magistratu nihil pleno iure habebant; populum enim separatum a populo municipii non constituebant nisi in rebus sacris ea lege, ut collegii instar iuris haberent personam, bona possent possidere legataque accipere et proprios sibi cooptare patronos neque minus quosdam eligere magistratus; ii autem magistratus non aequo honore et iure erant ac magistratus oppidani; namque si magistri erant sive ingenui sive liberti (app. n. 78), non nisi ad sacram pertinebant rem, si aediles, administrasse tantum videntur bona pagana in hisque rebus fortasse quandam habebant iurisdictionem; poterat etiam fieri, ut pars officii eorum in eo

49) Ad haec quae ex Narbonensi collegimus, cfr. quae ex universo Imperio exempla attulit Voigt, drei epigr. Const. p. 145 sqq.

50) Quod illustratur optime hoc Digestorum (l. 73, §. 1 tit. de legat. et fideic. [30, 1]) loco ex Gaio desumpto: *Vicis legata perinde licere capere atque civitatibus rescripto imperatoris nostri significatur.*

versaretur, ut publicae inservirent administrationi, habendo delectui, exigendis tributis etc.; ea autem iurisdictio, quae non a certo munere pendebat et maiorem municipalis magistratus partem efficiebat, in pagis quoque non erat nisi penes universi municipii magistratum sive penes praefectum, quem is imposuerat. Senatu denique sive ordine decurionum pagi vicique prorsus carebant, nam, qui in titulo Genavensi decretum fecisse dicuntur decuriones (app. n. 588), Viennenses sunt, non Genavenses, ideoque cum in hoc tum in reliquis institutis nihil aliud est vicus quam pars territorii maioris. A civitate autem cui contributa erant, ea loca aliquoties ita pendebant, ut certum tributum annale ei praestarent sive partem reditus soli sive pecuniam.[51]) Contra si qui vicani paganique erant locupletiores, neque quidquam erat, quod legitime obstaret, iis petitio erat honorum municipalium; qui vero in his aliisque rebus fuerit usus, infra in singulis rei municipalis capitibus illustrabimus.

Vicos denique pagosque, si qui frequentius incolebantur sive ob quam aliam caussam e re videbatur, numerum territoriorum augere, ius civitatis potuisse adipisci, et per se intellegitur et exemplis probatur Sextantionis, Diniae, Segusteronis, Vapinci, de quibus egimus in descriptione territoriorum; quibus sub Diocletiano et Maximiano, qui portas murosque ei loco dederunt, accessisse videtur Cularo, quae postea a Gratiano imperatore appellata est Gratianopolis.[52])

2. De populo municipiorum eiusque partibus.

a) De municipibus et incolis.[53])

Qui in quoque oppido sunt homines ingenui, distinguuntur ut cives sive, id quod saepius usurpatur, municipes et incolae

51) Voigt, l. l. p. 17, III. 8 sqq. cfr. l. 18 §. 25, Dig. de muner. (50, 4): *habent quaedam civitates praerogativam, ut hi, qui in territorio earum possident, certum quid frumenti pro mensura agri per singulos annos praebeant.*

52) Append. epigr. n. 542. In notitia provinciarum Galliae civitas est Gratianopolitana.

53) Quae sequuntur, maximam partem conveniunt cum discrimine originis et domicilii, cuius doctrinam, qualis ex iuris Romani fontibus

sive peregrini, qui vero coloniae cives sunt, accuratius dicuntur coloni (app. 1. 13. 87 passim). Quae duo genera civium sive municipum sive colonorum et incolarum sive peregrinorum recte dixerunt[54]) tam distincte inter se separari, ut commune omnium qui in quaque civitate domicilium habent nomen non extet sed necesse sit aut municeps sive civis sive colonus appelletur aliquis aut incola. Iuris autem ratione haec genera ita distinguuntur, ut plenam quidem civitatem in aliquo oppido non nisi habeat eius oppidi municeps, incola parte tantum civitatis utatur. — Ut sit municeps aliquis, aut talis natus sit oportet aut factus; quem autem municipem efficit nativitas sive origo, non potest non esse municeps, cum ex origine nemo possit voluntate sua eximi.[55]) Quod originis ius si quis nativitate non habet, potest ad eum transferri aut iure coloni eo deducti aut allectione inter cives aut adoptione aut manumissione. Unde consequitur, triplex genus esse auctorum civitatis in municipio aliquo adipiscendae, *imperatores*, qui in quem locum aut singulos veteranos aut maiorem colonorum numerum deducunt[56]), qua ipsa deductione coloni plenam municipii civitatem habeant, *populum municipii* sive qui pro populo suffragii ius exercent allectione alienigenarum inter cives, *homines privatos* aut adoptione aut manumissione. Qui enim adoptatur a patre alienae civitatis, ex sua origine ne is quidem eximitur, sed quamdiu non emancipatur, duarum civitatum civis fit, eius, ex qua originem traxit et eius, cuius est pater adoptivus.[57]) Qui vero

---

emanat, exposuerunt Savigny, System des roem. Rechts l. 8 p. 38—89 et Kuhn, Beiträge zur Verfassung des roem. Reichs p. 1 sqq. Si hoc loco, quae de hac quaestione inscriptiones nostrae doceant colligimus, neque nostrum esse putamus, hanc rem ex omni parte absolvere, neque omnino abstinere possumus a tractanda ratione generali.

54) Kuhn l. c. p. 7.

55) L. 4 Cod. Iust. de munic. et orig. (10, 38).

56) Cfr. Henzen n. 6990, ubi eiusmodi colonus dicitur *adlectus in coloniam Caesaraugustanam ex beneficio Divi Hadriani.*

57) L. 15 §. 3 ad munic.: *ius originis in honoribus obeundis ac muneribus suscipiendis adoptione non mutatur, sed novis quoque muneribus filius per adoptivum patrem adstringitur*, l. 16: *sed si emancipatur ab adoptivo patre, non tantum filius, sed etiam civis eius civitatis, cuius per adoptionem fuerat, factus esse desinit.*

manumittebantur, eos constat olim quidem liberae reipublicae temporibus tribubus tantum urbanis esse adscriptos. At imperatorum aetate postquam publica civitatis iura evanuerunt, non iam interfuit illam legem retinere ideoque praescriptum est, ut filii libertorum domicilium originemve sequerentur liberti paterni et patroni manumissoris[58]), unde effectum est, ut si quis patronum haberet duarum civitatum municipem, per manumissionem earundem civitatum esset municeps[59]), qui autem a pluribus manumissus esset, omnium patronorum originem sequeretur.[60]) Quin etiam si quis manumittebatur a senatore orto ex municipio, ne is quidem plebi urbanae adscribebatur, sed originem nactus est in eo municipio, quae patria fuerat manumissoris.[61])

Quarum legum exempla si in inscriptionibus quaerimus, omnium primum ad tribum oportet animum advertamus, quoniam tribus insigne erat non solum civitatis Romanae sed originis quoque sive patriae.[62]) Et primi quidem generis exempla duo nobis praesto sunt, sed neutrum ita, ut rei rationem plene perspicias. Habemus (app. n. 520) C. Carantium C. f. Voltinia Verecundum Vienna, veteranum deductum ab Divo Vespasiano Reate; qua deductione mutata est origo, atque ut apparet ex Orelliana n. 3685, deductus adscribi debuit tribui Quirinae, quae erat Reatensium; omisit igitur Carantius novam indicare tribum. Alterum exemplum est T. Iulii Festi, qui postquam in legione XVI militavit annos XXV, missus a Ti. Caesare honesta missione deductus est Nemausum; at hic tribum indicat omnino nullam (app. n. 109). Allectionis deinde exempla plura videantur posse afferri, scilicet eorum, qui alienigenae honores in aliquo municipio gerunt; at de his melius mox dicemus; diversam autem esse hanc allectionem ab allectione imperatoris beneficio facta iam inde vides, quod tribum hi non mutant, ita ut allectionis ea

58) L. 22 pr. ad munic. — Filios libertorum nomino, quod ad eos solos munera a civitate pendentia pertinebant, ad ipsos libertos generalis tantum originis et domicilii ratio.

59) L. 27 pr. ad mun.

60) L. 7 ad mun.

61) L. 23 ad mun.

62) Cum his nostrae provinciae exemplis conferas quae collegit Grotefend, imper. Rom. tributim descr. p. 11—24.

omnino minus esset quam incolatus ratio. Filii vero adoptivi inscriptio est P. Sammii Materni, qui dicitur alumnus P. Sammii P. f. Voltinia Eutyciani, at quod ipse Maternus tribum non profitetur neque constat, num is quoque fuerit Nemausensis, nihil inde potest desumi. Contra libertorum condicio ex titulis nostris est perspicua. C. enim Liberius Decimanus (app. n. 536), nauta Araricus, tribum quidem non indicat ut libertus, civis autem dicitur Viennensis. Deinde T. Spurius Voltinia Gratinus (n. 258) Nemausensis, quod pater non nominatur, tribus autem indicatur Nemausensium, filium se prodit liberti eorumque sequitur legem. S. autem Fadium Papiria Musam Narbonensem (n. 18), qui et ipse ut patris tacet nomen, ita tribum profitetur eamque coloniae Narbonis, filium videmus esse liberti admissum ad omnes honores municipales. Denique L. Aemilius Moschus, libertus L. Aemilii L. f. Papiria Arcani Narbonensis, qui ab imperatore Hadriano in senatum urbanum erat allectus, sevir Augustalis idemque municeps est Narbone (n. 17).

Municipibus cum civitas cuius sunt pro patria sit, incolae sive qui ex aliena civitate immigrarunt sedem perpetuam in eo municipio, in quod immigrarunt, habituri, domicilium quidem ibi habent, patriam vero non desinunt habere eam, unde erant oriundi. Plerisque quidem hominibus unus est domicilii et civitatis locus, sed originis potius caussa quam propria voluntate; incolae sua voluntate domicilium habent a patria diversum. Ab altera autem parte ipsius domicilii caussa sive, ut dicitur in codice Theodosiano[64]), laris collocatione incolae differunt ab hospitibus et adventoribus[65]), qui et ipsi peregrini sunt sicut incolae, at rursus discessuri.[66])

Iam vero quaeritur primum, quae in quoque oppido municipiis incolisque fuerint communia, deinde quibus rebus diverso inter se iure sint usi. Et primum quidem videmus sacra municipalia utrique generi fuisse communia: itaque coloni incolaeque Narbonenses aram Augusto dedicant et numini eius colendo se

63) Cfr. praeterea Orelli-Henzen 3189. 6426.
64) Cod. Theod. 12, 1, 52.
65) Or.-Henzen 2287. 6962. 3326.
66) Lex 7 cod. Iust. de incol.

obligant (app. n. 1), itemque si Narbonenses dicuntur publice taurobolium fecisse (n. 12), coloni incolaeque eo nomine videntur comprehendi. Deinde si iidem Narbonenses statuas imperatoribus ponunt (nn. 8. 9), neque diserte posuisse dicuntur decumani Narbonenses (5. 6. 10), item coloni incolaeque sunt intellegendi. Tum si quis beneficia cui civitati confert, incolas quoque horum videmus esse participes (87); quin etiam in quibusdam imperii oppidis ne adventores quidem et hospites eiusmodi beneficiorum sunt expertes. Contra si agitur de honorando patrono civitatis (330), soli municipes eum honorem decernunt. Unde concludimus, ubicunque populi nomine legitime aliquid erat agendum, cives tantum sive municipes populi vice egisse et civitatis iura exercuisse, in reliquis autem rebus incolas quoque aequo iure atque cives esse computatos. In iurisdictione deinde constat, ex foro domicilii incolam magistratibus eius loci, quem incolebat, debuisse parere; exempla vero natura fert ut lapides huius rei non suppeditent. Neque minus constat fungendis honoribus et muneribus municipalibus non solum municipes sed incolas quoque esse adstrictos et ad confirmanda ea, quae fontes iuris Romani de hac re statuunt[67]), praesto est exemplum Sex. Vencii Iuventiani, qui dicitur *incolatus nomine adlectus in curiam Lugudunensium* (app. n. 453), eodemque incolatus nomine honoribus fungebantur Viennae, cuius tribus erat Voltinia, C. Aquilius, C. f., *Pomptina*, Valens (503), L. Lil....., Sex. f., *Aniensi*, Laena (515), T. Iulius, T. fil., *Cornelia*, Valerianus oriundus e colonia Equestri (590); Reiis Apollinaribus, quorum item tribus erat Voltinia, Severius, M. f., *Fabia*, Viator (357).

Attamen neque ab initio id erat institutum neque postea aequo sive iure sive onere incolae muneribus fungebantur: immo si legimus, quasdam colonias beneficio imperatorum im-

67) L. 29 ad munic.: *Incola et his magistratibus parere debet, apud quos incola est et illis apud quos civis est, nec tantum municipali iurisdictioni in utroque municipio subiectus est, verum etiam omnibus publicis muneribus fungi debet.* Contra cautum est, ne eodem tempore honores in duabus civitatibus gererentur et statutum, ut si simul utrubique conferrentur, potior esset originis caussa. L. 17 §. 4 ad munic. — Cfr. etiam app. n. 296.

petrasse, ut incolae, qui intra territorium colerent, honoribus fungi in colonia deberent[68]), manifestum est, priore tempore stricto iure incolas non debuisse, nec nisi ex eo tempore, quo pro onere potius quam honore censebatur magistratus municipalis, vulgatum esse illud honorum ab incolis gerendorum ius. Ceterum incolas, et quod pauciores erant et quod in pluribus civitatibus honoribus debebant fungi, minus saepe quam municipes esse adstrictos facile intellegitur. Denique quae de honoribus municipalibus diximus, ad reliqua quoque munera civilia, de quibus infra erit dicendum, pertinent.

Municipium et incolarum discrimen idem erat per totum cuiusque civitatis territorium. Nam et eo loco, quem modo attulimus (not. 68), diserte dicitur, incolas, qui *intra territorium colerent*, honoribus in colonia fungi debere et Allobrogum inprimis inscriptiones plura huius legis exempla nobis offerunt: neque enim solum Genavenses et Cularenses Viennae honores gerunt, sed etiam incola Genavensis idemque civis coloniae Equestris ad honores Viennenses adscitur (app. n. 590). Itaque non solum qui ex vico ortus erat, eam patriam intellegebatur habere, cui reipublicae ille vicus respondebat[69]), sed incola quoque vici incola simul erat coloniae. Neque tamen in muneribus distribuendis omne discrimen sublatum est eorum, qui intra ipsius oppidi muros colebant et eorum, qui per agros degebant vicosque, sed sicut Veiis a reliquis distinguuntur municipes intramurani[70]), ita omnino maiora onera iis possessoribus debebant imponi, qui in ipso oppido habebant domicilium, minora iis, qui in praediis suis degebant; neque enim solum, quod domicilium oppidanum plura praebebat commoda, sed etiam quod, qui in quo vico erant, vicanis quoque quaedam debebant praestare[71]), tale discrimen aequitatis ratione flagitabatur.

Hucusque postquam eorum, qui in quaque civitate dege-

68) Agenn. Urbicus de controv. agr. p. 84 (Agrimens. ed. Lachmann).

69) L. 30 Dig. ad munic.

70) Or.-Henzen nn. 110. 3706.

71) Exemplum Tergestinorum (Henzen n. 7168) non potest ad hanc quaestionem conferri, quoniam status Carnorum Catalorumque at-

bant, condicionem consideravimus municipalem, quaeritur iam, quomodo cum ea iuncta sit status ratio, quam quisque municeps habebat erga imperium Romanum. Et primum quidem ex eo, quod iam exposuimus, apparet, quicunque plenam civitatem alicuius coloniae civium Romanorum habebat, eum et ipsum civem fuisse Romanum, qui vero coloniae Latinae erat municeps, si plebeius erat, civem fuisse Latinum, si honoris aliquem gradum obtiuuerat in municipio, gesto honore civem factum esse Romanum. Incolae deinde quem statum peregre apportaverant, eum retinebant, in quocunque oppido domicilium habebant, neque, qui minoris iuris erant quam ipsi municipes, incolatus iure mutabantur, nisi quod qui incolatus nomine magistratus gerebant Latini, haud dubie et ipsi civitatem Romanam inde adipiscebantur. Iam vero quo tempore coloniae civium Romanorum conditae sunt, ubique indigenae quoque his sunt attributi: qui utrum aequo iure gaudebant atque coloni an latinitate tantum, ut reliqui indigenae, sunt donati? De hac re nullum extat testimonium neque magis constat, num Narbone, in quam veterem coloniam a Iulio Caesare novi deducti sunt coloni, veterum et recens deductorum extiterit discrimen. Extitisse in aliis civitatibus inter indigenas colonosque iuris discrimina et separatos quadam ratione esse colonos recens deductos a veteribus, A. W. Zumpt compluribus probavit exemplis [72]; quod autem idem Zumpt Narbone quoque statuit eiusmodi fuisse discrimina, alterum quoniam coloni discernerentur ab incolis (app. nostr. n. 1), colonorum indigenarumque, alterum [73], quoniam Decumani discernerentur ab Atacinis [74], colonorum novorum et veterum, illud prius Zumptii discrimen nemo non videt a vulgari colonorum incolarumque distinctione prorsus esse alienum, alterum autem inter ipsos colonos discrimen, ut non potest negari, ita ne statuere quidem licet; ad Melae autem lo-

---

tributorum ab Augusto coloniae Tergestinae peculiaris videtur fuisse, inferior scilicet iure ipsorum Tergestinorum.

72) Zumpt, comment. epigr. 1, 464 sqq.

73) Ibid. 1, 314.

74) Mela 2, 5. Idem Decumanorum Atacinorumque discrimen Zumpt 1, 314 de colonorum indigenarumque interpretatus est discrimine; cfr. supra p. 56.

eum quod attinet, utique melius Atacinos indigenas intellegas, Decumanos colonos; neque vero ullum demonstrari potest institutum, unde eiusmodi discrimen eruatur.

At cum supra viderimus, posse et allectos in alienam civitatem et filios adoptivos et manumissos plurium civitatum cives esse, quomodo hoc convenit cum illo iuris Romani praecepto, quod sic enuntiat Cicero[75]): '*duarum civitatum civis noster esse iure civili nemo potest*'? Deinde si quis civis erat Romanus eodemque tempore municipii alicuius sive civium Romanorum sive Latinorum municeps, nonne is quoque duarum civitatum civis erat? Namque qui civis Romanus erat, originem putabatur habere Romae, urbsque Roma omnium qui ubique erant, civium Romanorum communis erat patria, sicut qui latinitatem habebat, homo ex Latio oriundus fingebatur esse ideoque nominari potest civis ex Latio.[76]) Hac in re imperatorum aetate aliam iuris Romani fuisse rationem quam aetate Ciceronis, cum ipsis verbis de duarum civitatum civibus dicant iuris auctores[76a]), non potest negari; atque stricto iure ii quoque, qui ex municipiis cives Romani erant facti, inprimis ex municipiis civium Latinorum, duarum civitatum cives erant; nam Latina municipia foederatorum loco quodammodo fuisse vidimus, municipia autem civium Romanorum et ipsa quadam ratione separatam habebant a communi republica Romana suam rempublicam. At haec duplex civitas facile explicatur: scilicet mutato imperii Romani sub imperatoribus ordine necessario factum est, ut municipia et civium Romanorum et Latinorum etiamsi suam habebant rempublicam, in quibusdam tamen rebus non nisi pro partibus essent communis reipublicae. Natum igitur est idem fere discrimen iuris civitatis atque extat apud nos inter originem municipio alieni adstrictam et generale civitatis ius adstrictum universae reipublicae, nisi quod haec civitas generalis apud nos una eademque omnibus est, apud Romanos erat tripartita, civitas Romana, latinitas, peregrinitas. Iis tantum, qui ad summum imperii ordinem promovebantur, originis ratio consumpta est eo statu, quem in urbe sive in universo imperio

75) Cic. pro Balbo 11, 28.
76) Cfr. Sallust. Iug. c. 69.
76a) Cfr. supra p. 176 n. 59.

obtinebant. Quicunque enim ex provincia ad senatoriam pervenerant dignitatem, non solum a Traiano tertiam, a M. Aurelio quartam saltem patrimonii partem in Italica praedia iubebantur conferre[77]), sed omnino cum filiis suis ex origine eximebantur, ut urbem pro sola patria haberent, nisi quod magistratus municipales in vetere patria etiam post adeptos honores urbanos poterant gerere et ne in hoc quidem, ut vidimus, antiquam originem prorsus deponebant, quod qui ab iis manumittebantur, eius municipii efficiebantur municipes, unde ipsi originem habuerant.[78]). Alia autem erat eorum condicio, qui aut ab alienarum civitatum civibus erant adoptati aut manumissione plurium civitatum municipes facti; in horum quidem condicione vetus ius non prorsus in oblivionem venisse, inde vides, quod ueutrum ex his generibus tribum mutabat, mutabant ii tantum, qui vere et proprie in alienam civitatem transibant, i. e. qui deducebantur in coloniam sive allegebantur beneficio imperatoris. Hac scilicet allectione civitas aliena est parta, at simul ea quae antea extiterat perdita; neque minus vera in civitatem allectio erat eius, qui, cum nullius civitatis fuisset, in aliquam civitatem est receptus.[79]) Reliqua genera allectorum cives quidem dicuntur duarum civitatum, re vera autem unius tantum cives erant, eius ex qua originem trahebant, atque tam levis momenti erat secunda illa civitas adoptione parta, ut emancipatione perderetur.[80]) In Graecis quidem civitatibus Romano imperio subiectis multiplex permittebatur civitas, at Graeci iam Ciceronis aetate multarum civitatum fuerant homines[81]); contra in occidentalibus imperii partibus, ubi in-

77) Plin. epist. 6, 19. Capit. vita M. Aur. c. 11.

78) L. 22 §. 5 Dig. ad munic.: *senatores et eorum filii filiaeque origini eximuntur, liceant municipalem retineant dignitatem.* L. 23: *municeps esse desinit senatoriam adeptus dignitatem quantum ad munera, quantum vero ad honores, retinere creditur originem; denique manumissi ab eo eius municipii efficiuntur municipes, unde originem trahit.*

79) Savigny (p. 49 sq.) quidem et Kuhn p. 33 simpliciter statuunt duplicem civitatem distinctione non facta inter varias caussas; at hi iuris Romani tantum fontes respiciunt inscriptionum sive tribuum in inscriptionibus indicationis ratione non habita.

80) Cfr. supra not. 57.

81) Cic. pro Balbo 12, 30.

stituta vere Romana valebant, infracta quidem neque vero prorsus sublata est vetus consuetudo.

b) De generibus hominum et ordinibus.

Genera hominum ea appellamus, quae constituuntur discriminibus nationis, status, quaestus; ordinum autem gradus appellamus eos, qui positi sunt in ratione iuris civitatis, in re familiari, in insignibus sive ornamentis honorificis, in vulgari hominum aestimatione.

α) De generibus hominum.

Ad nationum quidem discrimina quod attinet, usque ad Strabonis aetatem Gallos indigenas, quamquam Latini erant, probe tamen videmus distingui a colonis alienigenis. Gallos enim dicit Strabo olim bellicosissimos iam a Romanis exercendo aratro esse adactos, propriam Gallicis mulieribus celebrat fecunditatem, unde frequentissimus sua aetate indigenarum sit populus, Allobrogum mores describit ut gentis integrae neque alienigenis mixtae et Nemausenses denique Latio donatos ut indigenas probe distinguit a colonis civibus Romanis. Sed idem Strabo non solum universam gentem agriculturae testatur sua aetate coepisse assuefieri, sed Allobrogum civitatem maximam refert positis armis valles Alpinas iam colere et Viennam, nobilium Allobrogum domicilium, qui vicus quondam fuerit, iam ad frequentis oppidi dignitatem esse elatam; omnino autem iam non barbaros dicendos esse indigenas, ut quorum maxima pars lingua, genere vitae, moribus, legibus ad Romanorum cultum se conformaverit.[82]) Vespasiani autem tempore non solum agrorum cultu, sed etiam virorum morumque dignatione Narbonensem nulli provinciarum Plinius dicit esse postferendam, immo Italiam verius quam provinciam.[83]) Quam nationis Gallicae transformationem ultimis quasi vestigiis tenus deprehendimus in lapidibus inscriptis. Inter quas quo quae antiquior est, Gallica sive nomina exhibet sive cognomina: in Tectosagibus

82) Strabo IV. p. 158 C. 180. 181. 186. 187.
83) Plin. hist. n. 3, 5 init.

Carcasone C. Cominium C. f. Bitutionem (n. 266), Tolosae Hanarrum Dannoricis filium (n. 281) ibidemque permagnum Deorum indigenarum numerum; Nemausi Arecomicorum Helvium Ecimarium, Voltinia, Vitalem cum uxore Togiacia (n. 136), Vernonium Virillionem (n. 142), Toutium Diviciantilli filium cum Iulia Porronis filia (n. 252), Cn. Octavium Cn. f. Caiaucum (n. 262), Mansuetum Andorouri filium (n. 263), Solimarum Leiturronis (n. 264); Reiis Apollinaribus Vindemialium (n. 397) et Veratium Moeccimari filium (n. 398); Aptae Iuliae Aucalonem (n. 427); Vasione Vocontiorum Litnccum (n. 437); Genavae Allobrogum P. Decium, Troucetei Vepi filium, Esunertum in inscriptione anni a. Ch. 8 (n. 600), C. Craxsium, Voltinia, Hilarum Vitalionis filium (n. 601); at magna reliquorum nominum moles exceptis Graecis libertorum cognominibus prorsus Romana est. Aeque duae inscriptiones Celtica lingua conceptae (nn. 249 et 445) inter tot Latinos titulos confirmant potius quam debilitant imaginem evanescentis nationis Gallicae. Contra Graecorum ditio hic quoque ut in omni imperio Romano moribus vitaeque institutis fere intacta restitit, ut videas satis habuisse Romanos, indigenas ex Graecorum morum potestate parum efficaci transtulisse ad suorum institutorum imperium efficacius, quo consilio ad finem perducto Graecam Massiliae indolem adeo non sustulerunt, ut foverent eam urbem tamquam insignem Graecae comitatis Graecorumque studiorum sedem.

Status deinde quaestusque rationes ita inter se sunt iunctae, ut quaestus pendeat a statu libertatis. Distinguuntur autem secundum statum libertatis ingenui, liberti, servi: quorum quanta cuiusque generis in Narbonensi fuerit multitudo, quamquam cognovisse magni momenti esset ad diiudicandam provinciae condicionem, tamen nemo erit qui numeris censere velit. Omnino autem facile intellegitur, ea, quae legimus de nationibus servorum Romae coacervatis, de milibus mancipiorum in singularum domuum privatarum usum coëmptis nullo modo transferri posse ad provincias, immo in hac quoque re provincialem et municipalem parsimoniam modum statuisse luxuriae. In Narbonensi vero ipsa multitudine oppidorum a primis imperatoribus per omnem provinciam institutorum cautum est, ne solum provinciale pro praeda esset paucorum possessorum, at-

que etiamsi familiae senatoriae hic quoque latifundia possidebant, tamen a Iulio Caesare, priusquam exhausta esset indigenarum frequentia, optime est provisum, ut Gallorum multitudo per omnem provinciam aeque distributa ad agriculturam verteret hocque modo maior provinciae pars possessoribus mediae fortunae servaretur. Unde factum est, ut Straboni Narbonensis provincia speciem offerret regionis a numeroso populo libero optime cultae, cuius ne eae quidem partes, quae agriculturae minus idoneae erant, relinquerentur desertae.[84]) Quam populi frequentiam hodierna vix fuisse inferiorem, perspicias ex monumentis huius provinciae, amphitheatris praesertim et theatris Arelatensibus, Nemausensi, Arausiensi, atque permansisse hanc frequentiam usque ad saeculum p. Ch. secundum, testari videntur inscriptiones quoque nostrae, quarum longe maxima pars huius est aetatis. At eaedem inscriptiones testantur, oppidanae plebis statum paullatim quodammodo esse mutatum: cum enim haud dubium sit, quin initio maior oppidanorum pars ex ingenuis constiterit iisque possessoribus, numerosae sevirorum Augustalium et collegiorum inscriptiones demonstrant, paullatim increscente luxuria praeter possessores beatiores et honoratos praevaluisse in oppidis libertorum turbam ab agricultura alienam imminutamque esse modicam agrorum possessionem.

At his, quae modo commemoravimus, iam pervenimus ad eam quaestionem, quae versatur in describendo quaestibus provinciae nostrae populo. Quemadmodum enim per omne imperium, ita hic quoque ab initio non id erat oppidanorum et rusticorum discrimen, ut sicut in nostrae aetatis civitatibus illi commercio potius operam darent, hi agriculturae; immo Caesaris utique primorumque imperatorum aetate oppidani quoque ingenui longe maximam partem agrorum erant possessores. Quod ut intellegas, satis erit monuisse, colonorum deductiones nunquam factas esse sine assignatione agrorum eo consilio ut unusquisque colonus agro colendo daret operam, atque ut longius conservaretur hic rerum status, contribuit haud dubie Romanorum illa opinio de quaestibus et artificiis liberalibus sor-

84) Strabo IV. p. 178. 186.

didisque. Sordidum Cicero [85]) appellat quaestum operariorum, sordidum omne opificium, sordidam mercaturam, si tenuis sit, sordidas eas artes, quibus non maior insit prudentia sive quae non positae sint in cultu ingenii, sicut medicina, architectura, doctrina rerum honestarum, et hae quoque artes honestae non sunt nisi iis, quorum ordini conveniunt. Digna libero homine et omnibus ordinibus honesta una est agricultura, digna autem iis, qui non summi ordinis sunt, mercatura quoque magna et copiosa. Quod iudicium expressum a viro, qui inter principes erat primi ordinis, facile intellegitur non eodem rigore valuisse in provinciis apud homines municipales, atque quae ex sordidis illis artibus acquirebatur pecunia, eam inter locorum possessionem modestiorem non omni caruisse aestimatione. At ingenui hominis non esse eiusmodi quaestum facere, quantopere in provinciis quoque obtinuerit, nostri lapides inscripti abunde demonstrant: primum enim, qui opifices vulgares non adscripti sunt collegiis, aut diserte libertos se esse indicant aut tria quidem nomina profitentur, sed omisso patris nomine omissaque ab iis, qui in colonia civium Romanorum degebant, tribu, quin nonnulli vel mera cognomina indicant; qui deinde corporati sive collegiis adscripti sunt, item omnes sunt libertini, neque minus si qui eas artes profitentur, quas Cicero dicit honestas ei ordini cui conveniunt, videmus ordinem hunc esse libertorum. Cuius generis sunt medici Caecilius Optatus coloniae Nemausensis (n. 157), L. Pompeius L. l. Diocles (n. 65), Lucceius Philini libertus (n. 66), Flavia Hedone (n. 230) [86]), iuris studiosus Q. Valerius Virillio (n. 226), iuris doctor nomi-

---

85) Cic. de offic. 1, 42, 150 sq.

86) Qui medici partim privatim artem exercebant, partim a civitatibus erant constituti. cfr. Strabo IV. p. 181. L. 1 Dig. de decr. ab ord. fac. (50, 9): *Medicorum intra numerum praefinitum constituendorum arbitrium non praesidi provinciae commissum est, sed ordini et possessoribus cuiusque civitatis, ut certi de probitate morum et peritia artis eligant ipsi, quibus se liberosque suos in aegritudine corporum committant.* L. 4 §. 1: *ambitiosa decreta decurionum rescindi debent;* — §. 2: *sed etsi salarium alicui decuriones decreverint, decretum id nonnunquam ullius erit momenti, ut puta si ob liberalem artem fuerit constitutum vel ob medicinam; ob has enim caussas licet constitui salaria.* Ex hoc loco possis suspicari, quicunque artem liberalem profitentur in lapidibus, homines fuisse publice constitutos.

nis incertioris (n. 469), musicarius L. Avidius Secundus (n. 231), architectus Philippus (n. 227). Mercatura deinde tenuior partim continebatur ipsis opificiis, si quem vero deprehendimus negotiatorem, sicut mercatorem (67) et nummularium (n. 68) Narbonenses, vaenaliciarium graecarium Nemausensem (n. 232), negotiatorem familiae gladiatoriae Arelatensem (n. 352) vinarium Viennensem (n. 538), liberti sunt. Contra mercatura magna et copiosa, quae ne ingenuis quidem indigna erat et saepe iuncta cum possessione agrorum, quaeque sine dubio et Massiliae et Narbone a permultis exercebatur, in inscriptionibus non est obvia, neque eiusmodi negotiatores, cum magna ex parte exteri essent et societatibus iuncti nec certo domicilio adstricti atque, si provinciales erant, satiati quaestu et ipsi in agros possessionesque se conferrent, certum tale genus hominum effecerunt a reliquis diversum, nisi forte proprium eiusmodi genus constituis ex ditissimo quoque libertorum, inprimis iis, qui seviri Augustales erant neque ulli collegio artificum adscripti, quos videmus saepe ea gaudentes fortuna, ut excellere liberalitate erga municipales iis licuerit. Una denique praeter agriculturam extitit quaestus ratio ab ingenuis exercita, sed ab ingenuis infimi ordinis, apparitorum scilicet officia; docent autem tituli nostri, ingenuos fuisse publicorum tantum populi Romani magistratuum apparitores, ut C. Manlium C. f. Papiria Rufum (n. 33), Cornelium P. f. Paetum (n. 34), qui erant ex decuria lictorum viatorum constituta Narbone, contra qui municipalibus apparebant magistratibus, fuisse libertos, cuius generis sunt Cn. Fronto apparitor (n. 158), S. Aurelius Zosimus stator (n. 159) Nemausenses, Lucilius Metrobius stator Viennensis (n. 519), P. Primitivus, Augustorum libertus, stator Cularensis (n. 552). — Ab apparitorum publicorum ministerio magistratus etiam municipales funditus distinguuntur eo, quod illi salarium accipiebant, magistratus gratis munere fungebantur; quam ob rem illi quaestus ratione comprehenduntur, hi ab una parte ratione honoris, ab altera suscipiendi muneris publici, unde fit, ut ab hodierno magistratuum instituto longe differant.

Postremo autem in hac de quaestibus dissertatione non transmittenda est collegiorum illa forma, in quam quaedam opificum genera solebant coire. Quorum collegiorum, qualia imperatorum aetate erant, caussam generalem cohaerere cum re

funeraria Mommsen abunde probavit de eaque re infra erit, quod dicamus; funeraria vero re non omnem collegiorum naturam esse absolutam, iam inde apparet, quod non promiscue in haec collegia coierunt homines tenuiores, sed quaestibus et genere vitae divisi, quodque alia opificia nunquam non commemorantur nisi a singulis hominibus exercita, alia ab hominibus collegii forma iunctis. Unde suspicamur, latere in his opificum collegiis specialem quandam caussam subiectam generali caussae funerariae. Exercent artem suam extra collegia Narbone[87]) ampullarius, auguarius, capistrarius, clavarius materiarius, lanarius, purpurarius, sagarius, solearius; Nemausi cartarius, lintearius, marmorarius et lapidarius, qui idem est exactor operae publicae, vestiarius Italicus, unctor; Viennae sagarius Romanensis; Genavae sagarius; Deae Vocontiorum argentarius, unguentaria; Foroiulii purpurarius. Contra collegia opificum commemorantur Narbone fabrorum subaedianorum, Nemausi fabrorum tignariorum et utriclariorum, in Helviis nautarum Rhodanicorum, Arelate nautarum Druenticorum, naviculariorum marinorum, fabrorum tignariorum, centonariorum, utriclariorum, Ernagini utriclariorum, Glani Livii nautarum Araricorum, qui haud dubie Luguduni consistebant, Avenione centonariorum, Cabellione utriclariorum, Valentiae dendrophororum, et naviculariorum maritimorum, Viennae nautarum et fabrorum, Genavae ratiariorum, Vasione centonariorum et fabrorum, Carpentoracte fabrorum, Aquis Sextiis centonariorum, Antipoli utriclariorum, Massiliae centonariorum et dendrophororum. — Quae duo opificiorum genera si comparamus, facile videmus, alterum genus constitui iis operis, quae facile singulorum negotio et parva pecunia possunt exerceri et quarum merces tenuis mercaturae via venduntur, alterum vero maiore pecunia et coniunctis plurium viribus indigere, ut rite possit exerceri, et commercio ampliori atque ultra proximos fines tendenti esse iunctum. Quae cum ita sint, censemus collegia illa, quantum mere privata erant neque ad

87) Numeros inscriptionum apponere supersedi, quod opificum collegiorumque cuiusque oppidi tituli certum suum in appendice locum habent. Quae singulorum nominum sit significatio, ex lexicis potest perspici, nisi quod auguarii ars quae sit, neque ex verbi forma neque aliunde potest desumi.

publicos usus constituta, primo loco societates fuisse initas a fabris, nautis aliisque eius generis opificibus communis quaestus faciendi caussa, qua ratione iunctae tenuiorum pecuniae viresque idem efficerent, quod apud nos efficiunt singulorum magnae fabricae magnaeque pecuniae. Eaedem deinde societates, sicut alia tenuiorum hominum genera pari vitae ratione iunctorum, in collegii funeraticii quoque formam coibant, eoque modo ad societatem quaestus faciendi caussa institutam eam perpetuam coëundi caussam transferebant, quae illo tempore omnibus tenuiorum generibus communis erat et legibus sancita. Constat extitisse collegia opificum iam primis reipublicae Romanae temporibus nota sub nomine collegiorum Numae: in his priscis collegiis societas opificum eo consilio erat instituta, ut artis ratio et commoda quasi per manus sociorum posteris traderentur simili modo atque medii aevi temporibus per omnia oppida formari solebant collegia opificum, quae artis rationem custodirent et posteris rite traderent. Ab hac caussa aliena erant collegia aetatis imperatoriae, qua non iam agebatur de arcano artis difficilioris custodiendo et conservando: immo has posteriores societates contuleris potius cum nostri temporis studio, ubicunque ad maiorem rem gerendam tenuiorum vires separatae non sufficiunt, societates mutui auxilii caussa ineundi. Ceterum fateor, certa documenta, quibus haec de opificum imperatoriae aetatis collegiis opinio confirmetur, deesse, nec nisi ideo, quod quaedam tantum opificum genera collegii forma coibant eaque multorum viribus nixa, me ad hanc rei expositionem esse adductum. Ceterum quod neque in fontibus iuris Romani neque in inscriptionibus haec commemorantur, re diligentius perspecta non mireris. [88]) Iuris enim ratio collegiis illis, quatenus societates erant commercii caussa institutae, prorsus eadem erat atque omnibus reliquis societatibus, inscriptiones autem de his tacent aeque ac de omnibus reliquis

88) Ceterum locus quidam Digestorum (l. 5. §. 52 de iur. immunit. [50, 6]), ubi ea collegia a reliquis distinguuntur, *in quibus artificii sui caussa unusquisque assumitur, ut fabrorum corpus est*, videtur duplicem indicare coëundi rationem caussamque, communem omnibus collegiis rem funerariam, peculiarem collegiorum artificum positam in ipso artificio.

commercii societatibus, quae non, ut vectigalium societates ad publicam vitam pertinent. Contra de rei funerariae caussa cur in libris iuris Romani fuerit agendum, infra apparebit.

β) De ordinum gradibus.

Ordinum in municipiis divisionem optime cognoveris ex inscriptione arae Narbonensis (app. n. 1): dedicat Augusto aram plebs Narbonensis, *quod iudicia plebis decurionibus coniunxerit:* discernuntur igitur decuriones a plebe, indeque duo efficiuntur ordines decurionum et plebeiorum. Deinde pro plebe sacra re funguntur *tres equites a plebe et tres libertini:* ergo distinguuntur inter plebeios ingenui et libertini, ingenuorum principes autem sunt qui dicuntur equites a plebe, quibus necessario opponendum est alterum equitum genus altiorem dignitatis gradum obtinens. Pendet igitur ordinum divisio ex statu libertatis et, cum tam decurionatus quam equestris dignitas quendam rei familiaris modum supponat, ex censu, ideoque, cum quae Narbone invenimus, omnibus municipiis communia sint, in omnibus municipiis distinguendi sunt duo ordines, plebeiorum alter, alter decurionum, et extant honoris gradus tam inter plebeios quam inter decuriones.

Ab hoc fundamento proficiscentes si primum qui decurionum ordinis gradus fuerint quaerimus, ante omnia statuendum est, quid effecerit decurionum a plebeiis discrimen. Efficiebat receptio in album decurionum, eiusque receptionis condiciones erant praeter aetatem, de qua infra erit dicendum, ipsius recipiendi ingenuitas[89]), vitae integritas, honesta quaestus ratio, census denique, qui, ubicunque sive commemoratur sive supponitur, centum milium sestertiorum esse dicitur isque omnium

89) Ad honores Romae adipiscendos necesse erat esset aliqnis ingenuus ipse patre avoque; sed ad honores municipales satis erat esset ingenuus ipse qui gerebat. Itaque S. Fadium Pap. Secundum Musam (app. n. 18), qui cum patrem non indicet, libertini haud dubie filius erat, omnibus Narbone honoribus videmus esse functum. Ex eadem caussa explicaveris, quod in municipalium magistratuum inscriptionibus patris quidem ingenui professio communis est, rara autem indicatio avi.

municipiorum idem videtur fuisse.[90] Iam vero ex inscriptionibus nostris videmus, merum decurionatus honorem rarissime commemorari idque ab hominibus qui aut e vico orti in ipso municipio eo munere fungebantur (app. nn. 543. 544. 565) aut in pluribus oppidis ad eum honorem erant admissi (nn. 112. 113) aut incolatus nomine in curiam allecti (n. 453), aut si cuius oppidi incolae erant, indicant se in patria ad decurionatus gradum esse evectos (n. 312), aut ab iis, qui ornamentarii tantum erant decuriones (nn. 111—114. 183—188), i. e. ab iis potissimum, qui aliqua extraordinaria erant condicione. Cuius rei caussa in eo erat posita, quod receptio in album plerumque sequebatur gestum infimum honorem municipalem, sive quaesturam sive aedilitatem; unde factum est, ut decurionatus maior quidem esset honor quam quaestura et Nemausensis ille, qui ultra quaesturam non promotus est, quaestorem se diceret *et decurionem* (n. 145), ii autem qui ad ulteriorem pervenerant gradum duumviratumque gesserant, decurionatum tacerent illum modo honorem profitentes, qui et maior erat et minorem continebat; cum vero annui essent magistratus, longe maxima pars eorum, qui quaestura erant functi, ad duumviratum promovebatur. Consequitur ergo, decurionum gradus non solum, quod huc non pertinet, iure dicendae sententiae, sed etiam dignitate esse distinctos, quae dignitas pendebat e gradu gesti honoris, qui vero simplices erant decuriones, eos nonnisi censui honorem debuisse. Alia vero dignitas re quidem et cum decurionatu et cum reliquis honoribus iuncta, caussa tamen ab iis diversa erat eorum, qui aut adscripti erant quinque decuriis iudicum legitime Romae iudicantium[91]) aut ab imperatoribus equo publico erant honorati sive ad equestres militias admissi, qua

---

90) Commemoratur Plin. epist. 1, 19. Petron. Satir. c. 44, supponitur in quarundam mulctarum modo cfr. Rudorff, roem. Feldmesser 2, 246. n. 43. Marquardt quidem (Handbuch der roem. Alterth. 3, 1 p. 367) dubitat, num ex tam paucis exemplis communis regula constituatur; at etiamsi in maioribus ditioribusque municipiis centum milium sest. census parvi aestimabatur, tamen haec proprium minimi census decurionalis modum habuerint non necesse est; licebat videlicet eligere decuriones e ditioribus.

91) Cfr. Or.-Henzen n. 6467.

utraque dignitate qui utebantur, ultra municipalem condicionem erant elati. Iam vero qui simpliciter dicuntur esse e quinque decuriis, plerumque quidem censendi sunt fuisse ex ipsa quinta, quippe cum ii, qui superioris decuriae erant, diligenter notare solerent decuriae numerum[92]), at si qui profitentur, se et esse ex quinque decuriis et equum publicum habere (app. nn. 106. 107) apparet non quintae, sed equestri decuriae eos esse adscriptos; contra Arelatensem Recilium, qui non ultra aedilitatem elatus est (n. 330) et Aptensem (n. 423) C. Allium, quattuorvirum coloniae minoris, qui item dicuntur ex V decuriis, quintae attribuamus decuriae, cuius census erat infra ducenta milia sestertiorum. Si qui vero ab imperatore equo publico honorantur, ii plerumque militiis funguntur equestribus, praefectura fabrum (n. 508), praefectura cohortis (n. 107), tribunatu cohortis (592), tribunatu legionis (106), praefectura alae[93]); neque vero desunt, qui equo publico honorati non nisi municipales honores profiteantur et meri honoris instar equum publicum videantur habuisse (nn. 108. 112. 124. 613), quin etiam ita honoratum videmus filium quattuorviri, iuvenem XX annorum, nullo munere functum (n. 294). Sunt autem inter viros militia equestri functos et qui municipales magistratus iam gesserint (n. 509[94])) et qui post merita stipendia gerant (n. 508. 296); utique inter omnes decuriones et magistratus, qui non ad urbanos honores promoti erant, ii qui equum publicum habebant, primum obtinebant locum. Communia autem omnium decurionalis ordinis hominibus ornamenta ad exemplum senatus Romani concessa erant locus in theatro et epulis publicis honorificus[95]) et haud dubie vestis

92) Cfr. Or.-Henzen 2357. 6469. 6956.

93) Alae praefecti deest exemplum in nostris inscriptionibus. Ceterum numerantur quidem plerumque quattuor militiae equestres (Or.-Henzen 3178. 6827. 7420b. cfr. L. Renier, Mélanges épigr. p. 203—244), praefectura cohortis, tribunatus cohortis, tribunatus legionis, praefectura alae, quod haec munera plerumque continua gerebantur; adnumerandas autem esse praefecturas castrorum et fabrum vides ex nostra n. 629; at cum non necessarius ad altiores gradus per eas transitus esset, in illo numero poterant omitti.

94) In app. n. 509 equi publici honor non commemoratur, sed ob meritas militias equestres per se intellegitur.

95) Eiusmodi locorum exempla in provinciae Narbonensis theatris

insignior; qui vero magistratibus erant functi, iis accedebant toga praetexta et apparitores non fascibus sed bacillis sive virgis insignes [96]), quamquam non deerant, qui, sicut Aveniensis noster IIIIvir C. Otacilius Oppianus, ubi impune fieri poterat, ad sellae curulis et fascium honorem illa insignia extollerent (n. 404). [97]) Praeterea ordo decurionum, si quae sportulae municipibus dividebantur, maiorem quam reliqui experiri solebat liberalitatem. Denique universus ordo appellabatur splendidissimus (n. 453) sive aliis eiusmodi nominibus. [98])

At summa in municipio dignitate gaudebat, si qui homo municipalis, postquam omnibus honoribus in colonia sua functus est, vel per militiam splendidiorem vel ob censum senatorium vel speciali aliquo principis beneficio latum clavum ab imperatore accipiebat sive ad urbanos honores per eosque in amplissimum imperii ordinem senatorium transibat. De quibus supra (p. 166 sq.) iam diximus; est autem, quod hic in memoriam eos revocemus, quod eiusmodi viri proprie quidem municipes non iam erant, retinebant autem originem *quantum ad dignitatem municipalem* [99]) ideoque municipales honores tum quoque poterant gerere. Ceterum miram hominis municipalis modestiam probat inscriptio C. Valerii Macedonis Viennensis, qui oblatam ab Hadriano quaesturam urbanam recusavit lati clavi ornamento contentus (n. 512).

Ex decurionum ordine si descendimus ad *plebem*, duos plebeiorum ordines, ingenuos et libertinos diximus discerni, idque discrimen maxime conspicuum esse genere vitae sive quaestu, quod libertinorum quaestus positus fuerit in tenuiore mercatura, ingenuorum in possessione agrorum. Iam vero in quibusdam inscriptionibus p o s s e s s o r e s sive ordinem possessorum

---

et amphitheatris commemorata non inveniuntur, sed tantum loca decurionum decreto aliis concessa (app. nn. 225. 324); verum et aliunde satis notum est id institutum (lex Iul. municip. vv. 133 sq. 137 sq.) et facile intellegitur, primo loco sibi consuluisse decuriones, priusquam aliis eum honorem concederent.

96) Cfr. Marquardt, Handbuch der roem. Alterth. 3, 1, 355 n. 2308.

97) Cfr. Mart. 8, 72, 3—6: *Arcanum properas sequi, libelle, quem pulcherrima iam redire Narbo, docti Narbo Paterna Votieni, ad leges iubet annuosque fasces.*

98) Cfr. Henzen, ind. ad Orell. p. 151.

99) Cfr. supra p. 182 n. 78.

videmus distingui et ab ordine decurionum et a populo, sed ut omnino rarae sunt possessorum inscriptiones et posterioris aetatis [100]), ita in nostra provincia modo unum extat monumentum (app. n. 575), ubi mentio fit possessorum, Aquis Allobrogum (*Aix-en-Savoie*). Qui ordo possessorum quomodo est explicandus? Possessores proprie erant, quicunque possidebant agros indeque pendebant tributum soli, ideoque si de distinguendis vitae generibus agitur, possessores erant et plebeii et decuriones, modo ex agricultura quaestum traherent. Iam vero ubi ordinis instar a reliquis distinguuntur, opponuntur primum ut potiores inferioribus, sive iis qui nunc κατ' ἐξοχήν dicuntur plebeii, opponuntur deinde et plebeiis et decurionibus eo sensu, ut potiores quidem sint plebe capitis tantum tributo adstricta, inferiores ordine decurionum, in quem ob modestiorem agrorum possessionem non perveniebant. [101]) Quod vero non nisi posteriore aetate sive inde ab Ulpiani fere tempore commemoratur is possessorum ordo, id ita explicaveris: quamdiu et omnino florebant municipiorum res et decurionum ordo pro honore potius erat quam pro onere, non erat, quod qui infra decurionum censum erant, ad suscipienda municipiorum munera ordinis instar instituerentur; praeterea cum libertini suo quaestu saepe magnas compararent pecunias, modica agrorum possessio haud magni erat momenti. Contra ex quo inviti coeperunt municipales decurionatum suscipere simulque increscebant onera ab imperio imposita ingenuis ditioribus eo graviora, quia libertini ob statum non omnia suscipere poterant munera, iam non

---

100) Or.-Henzen n. 3734: *ordo possessoresque Brixillanorum:* n. 3910: *probatissimo defensori pro insignibus eius erga ordinem, possessores et cives meritis;* n. 5171: *defensori ordinis possessorii populique.* cfr. Ulpian. in l. 4 Dig. 50, 9: *medicorum constituendorum arbitrium — permissum est ordini et possessoribus cuiusque civitatis* et quam ad Henz. 5171 notam affert Mommsen locum citans Cod. Theodos. 11, 15, 2: *potiorum tantum id est possessorum domibus delegatis —; haec autem adscriptio inferiores vel plebeios non tenebit.*

101) Rudorff, roem. Feldmesser 2, p. 246 conicit, extitisse minimum possessionis modum, censum decem milium sestertiorum; quod si accipis, illi possessores sunt,, quicunque praedia possident censa inter decem et centum milia sestertiorum.

honoris caussa, sed ut essent qui ea onera subirent, possessores coepti sunt numerari et in ordinis formam redigi, neque iam originis gratia vel incolatus, sed sola possidendi ratione vocari in curiam[102]), unde factum est, ut ipsa possessio paullatim pro onere haberetur et domini praediorum sua praedia fugerent.

At priore tempore alia erat plebeiorum condicio aliaque extabant discrimina. Et primum quidem reveniamus oportet ad aram nostram Narbonensem equitesque illos *a plebe*. Qui quid possunt esse nisi ii equites Romani, qui neque sunt equo publico neque decuriones, ii municipales, qui equestrem dignitatem neque militiis equestribus neque beneficio imperatoris debent, sed mero censui quadringentorum milium nummum, iuncto cum ingenuitate, neque tamen ad municipales honores pervenerunt? Census autem equester Romae quidem minimi aestimabatur eoque minoris, ex quo ad equestrem dignitatem promovebantur, quicunque ad centurionis vel optionis gradum evecti honesta missione mittebantur.[103]) At in municipiis hic census longe superabat censum decurionalem, ideoque et recte Strabo (III. p. 169) dicit municipii Gaditani magnitudinem inde esse conspicuam, quod ibi quingenti viri censi sint census equestris, et Narbonis quoque coloniae florens status inde elucet, quod maior eiusmodi equitum numerus ibi erat; at Narbone, in oppido mari apposito et commercii usu antiquitus frequenti id minus mireris, mireris potius et florentem coloniarum huius provinciae statum inde perspicias, quod in theatro Arausiensi, sive in colonia haud ita celebri tres gradus assignatos videmus equitibus Romanis a plebe, qui ibi habitabant: nam hic quoque, cum qui equestris dignitatis inter decuriones erant, sua loca decurionalia in spectaculis haberent, equites illi ii sunt, qui quamquam censum habent equestrem, plebeii tamen sunt neque recepti in curiam. Ubicunque autem erant hi equites a plebe, proximum a decurionibus locum obtinebant et principes erant plebeiorum. Communia vero equitum Romanorum ornamenta fuisse tunicam angusticlaviam, annulum aureum, ius e lege Iulia theatrali Romae

102) Cod. Theod. 12, 1, 5.
103) Cfr. Renier, Mél. épigraph. p. 239 sq.

in XIV ordiuibus sedendi, inter omnes constat. Quos quattuordecim ordines municipalia theatra quomodo sint imitata, ipsum illud Aransiensium probat exemplum.

Ab ingenuis plebeiis distinguuntur liberti. At ne eorum quidem turba incondita erat et fusa, sed corporibus divisa et constituta, quorum duo erant genera, sevirorum Augustalium alterum, alterum collegiorum funeraticiorum.

De sevirorum Augustalium instituto si hoc loco verba facimus, idoneum iudicamus, primo loco Narbonensem tantum provinciam respicientes quae lapides ibi monstrent colligere, secundo demum quae in iis desiderantur, aliunde requirere.[104]) — Et primum quidem quicunque obvii sunt seviri Augustales, ordinis sunt libertini; deinde nunquam in Narbonensi simplici nomine Augustales vocantur, sed nulli extant nisi seviri Augustales, eorumque in quibusdam oppidis, praesertim Nemausi, tam magnus est numerus, ut non possit cogitari, collegium senorum tantum virorum fuisse, quamquam Genavae collegium sex virorum commemoratur (app. n. 603); inveniuntur autem seviri et in omnibus fere oppidis et in vicis Allobrogum maioribus Cularone (n. 550), Genavae (n. 603), Aquis Allobrogum (n. 574). Qui vero in quoque loco sunt seviri Augustales, corpus efficiunt (n. 342) reipublicae instar constitutum (n. 534), in qua republica distinguuntur decuriones (nn. 17. 117) et populus (n. 116) sive qui simpliciter dicuntur corporati (nn. 116. 117. 185 etc.), unde item perspicias plures quam sex viros comprehendisse id collegium; eorumque decurionum commemorantur decreta, quibus ex praediis sevirorum communibus locus detur ad monumenta sepulcralia (n. 17 cfr. n. 57) et ex arca communi (ibid.) statuae ponantur (n. 49). Praeterea ex decurionum et corporatorum numero neque quinquennales neque quaestores eminent, quorum alibi fit men-

104) Egerunt de sevirorum Augustalium instituto Egger, Examen critique des historiens anciens de la vie d'Auguste; append. II. p. 357 sqq.; idem in Revue archéol. III, livr. 10. 12. A. W. Zumpt de Augustalibus etc. Berol. 1846. Marquardt in Zeitschr. für Alterthumsw. 1847 nn. 63—65. Henzen ibidem 1848 nn. 25—27; 37—40. Marquardt, Handb. der Alterth. 3, 1, 375 sqq.

tio [105]), sed curatores tantum iique rarissimi (nn. 360. 216). Qui curatores, cum ex ipsis seviris sumerentur, non possunt conferri cum curatoribus civitatum ab imperatoribus institutis, sed similes ei curatorum municipalium generi, qui ex ipsis municipibus electi curabant peculium, ludos etc., illi quoque curabant arcam communem etc., idque in aliis regionibus et in nostra quoque provincia vice annua (Or.-Henzen 6111. 7103, app. nostr. n. 360), in aliis munere perpetuo. Erat autem non solum curatoris munus, sed simplex Augustalitas pro honore, qui ut omnes honores municipales redimebatur pecunia honoraria nec nisi peculiari decreto decurionum municipalium interdum erat gratuitus (n. 183). Seviri enim non fiebant ex iudicio corporatorum, sive non cooptabantur, sed ex decreto decurionum totius municipii, et fiebant non annui, sed dignitate perpetua [106]), atque sicut decurionatus municipalis, seviratus quoque a pluribus oppidis ad eundem hominem poterat deferri (app. nn. 183. 280. 360. 378). Insignia autem ornamentaque eius honoris a decurionibus seviris concessa erant certa in spectaculis epulisque publicis loca atque ubi qui honor habebatur decurionibus, secundo loco honorari solebant seviri Augustales. Praeterea in pluribus Italiae urbibus commemoratur honor bisellii insigniioribus Augustalium a corporatis decretus [107]), cuius ornamenti exemplum in nostra provincia non est obvium. Contra sicut in pluribus externis municipiis, ita Nemausi quoque ad eum honorem provectos videmus seviros, ut insignissimus quisque vel decurionalibus ornamentis ornaretur (nn. 183 sqq.). — Iam vero ad quem finem in reipublicae formam coibant hi liberti? Ad colendum numen Augusti, quod et nomen collegii indicat et confirmat titulus Puteolanus (Mommsen, Inscr. Neap. 2527), ubi Augustalis dicitur vixisse annos LXXXIIII, *coluisse* annos XXXXV. Erat igitur caussa collegii perpetua cultus numinis Augusti, ad hunc cultum rite faciendum instituebatur arca

105) Cfr. Henzen, ind. ad Orell. p. 167.

106) Or.-Henzen 2980: *Faustus, — qui inter primos Augustales a decurionibus Augustalis factus est.* n. 7112: *Augustalis perpetuus decreto decurionum.*

107) Cfr. Henzen, ind. ad Orell. p. 167.

communis[108]), ad arcae cultusque administrationem ii, quibus hoc munus mandatum erat, in reipublicae formam conveniebant. Quae cum haud dubia sint, obscurior est eius instituti origo. De qua re non potest generali modo disseri, sed sicut caussa quidem eadem est per omne imperium, forma autem collegii alia in aliis imperii partibus, ita origo quoque multiplex potest fuisse. Ad tempus quidem quod attinet, extra provinciam nostram recedere videmus Augustalitatem usque ultra annum p. Ch. 22[109]), in Narbonensi autem eiusmodi testimonium deest; nihilo vero minus ipsa prima initia et caussa formae seviralis ex inscriptionibus nostris videntur posse erui. Quicunque egerunt de seviris Augustalibus viri docti, non omiserunt animum advertere ad arae Narbonensis inscriptionem, ubi revera habes seviros, qui Augusti cultui se devovent; neque vero alio sensu ad hoc exemplum recurrerunt, quam ut sex virorum collegium saepius in cultu adhibitum esse ostenderent. Attamen facillime potest fieri, ut in huius arae titulo primam originem eorum qui postea existebant sevirorum habeas Augustalium. Quo enim tempore numini vivi tum Augusti colendo se devovit plebs Narbonensis, collegium instituit sex virorum, trium equitum et trium libertinorum, qui plebis nomine eum cultum susciperent. Mortuo deinde Augusto Narbone non minus quam alias non iam tantum a parte populi sive a plebeiis, sed a communi republica numini Divi Augusti prospectum est per flaminium municipale, quod sacerdotium, ut infra videbimus, pertinebat ad cultum Augusti domusque imperatoriae. Tum Narbonenses, ne duplex onus municipio eveniret e cultu numinis Augusti neve ex altera parte prior arae Narbonensis cultus extingueretur, hunc cultum detulisse videntur ad solum ordinem libertorum, ex quorum ditissimis a decurionibus certus numerus eligeretur, qui sua impensa, sed nomine populi id munus municipale susciperet, simulque muneri, quo esset gratius, honor est additus; nomen autem sevirorum, quanquam maior iam corpora-

108) Cfr. Or.-Henzen 3913, ubi seviri Brixienses dicuntur ex permissu Divi Pii *arcam habere*.

109) Cfr. quae dicit Henzen (Zeitschr. f. Alterth. l. l. p. 196. 199. 294) de inscriptione musei Ienkins.

torum erat numerus, huic quoque collegio manebat; fortasse seni in novo collegio erant decuriones. Quae hic exposuimus, non minus probabilia sunt, quod ab instituto proficiscimur peculiari coloniae Narboni; nam facile fieri poterat, ut in reliquis quoque imperii municipiis, quae numen Augusti colebant, primum sevirorum sacerdotium non insolitum instituerctur, deinde postquam defuncto Augusto per omnia municipia proprium Divi sacerdotium communi reipublicae nomine institutum est, sevirorum illorum munus libertis ubique traderetur. Quin etiam fieri possit, ut primum in hac provincia sevirorum institutum a Narbone ad reliqua provinciae oppida transierit, deinde in provincias vicinas, ubi item inveniuntur non simplices Augustales, sed seviri Augustales. Quidquid id est, certa utique sunt haec duo: ex una parte, cum decurionum decreto nominarentur seviri, non ex mera privatorum voluntate ortum esse id institutum, ab altera parte, etiamsi sicut omnia collegia ita haec quoque corpora permissu imperatoris coibant, non tamen unam aliquam communem legem publicam iis esse datam, sed permissam esse huius instituti rationem municipiis, quocum optime conveuit, quod in libris iuris Romani non commemorantur. Quem vero in re municipali locum obtinuerint, tum demum plene perspiciemus, quando et cum Augustalium corpore reliqua libertorum collegia comparaverimus et munerum municipalium intellexerimus rationem.

Collegium funeraticium [110]) corpus est eorum hominum, quibus ex senatus consulto licet ad collegii formam coire, semel in mense convenire, stipem menstruam conferre, unde efficiatur arca communis, ex qua, qui eius corporis sint defuncti, sepeliantur. Est igitur horum collegiorum caussa perpetua cura sepulturae eorum, qui ad eiusmodi corpus coieruut. Inscriptiones autem demonstrant, esse ea collegia sive libertorum sive servorum, utique hominum tenuiorum, qui non sunt assidui, quoniam quicunque agrorum possessionem habent vel

110) De collegiorum Romanorum instituto Dig. cfr. Mommsen, de collegiis et sodaliciis Romanorum. Kiel 1843. Id. Zeitschr. für geschichtl. Rechtswissensch. XV, 353—364. Marquardt, roem. Alterth. 4, 151—159.

minimam, locum possident, ubi sepeliantur, neque habent cur ad emendum sepulturae locum modicas suas facultates cum aliis conferant. Deinde videmus, constare haec collegia ex iis hominibus, qui idem vitae genus habent, sive idem opificii genus tractant, sive eiusdem templi sunt ministri (app. n. 351), sive sub eodem domino scenicam rem faciunt (nn. 353. 468. 537), sive eiusdem patroni sunt liberti (n. 223) sive eiusdem domini servi. Forma autem horum quoque collegiorum eadem est atque rerum publicarum: habent honores annuos, quaestores (n. 281), magistros (281. 220. 223. 349), curatores (341. 514) similes curatoribus sevirorum Augustalium ideoque eodem munere fungentes atque in aliarum provinciarum collegiis quinquennales; habent ordinem, habent plebem corporatorum, habent deinde ius personae, unde ipsi legata possint accipere et ea quae possident bona legum fruantur praesidio, denique hominum privatorum instar[111]) patronos sibi assumunt (323. 327. 356. 514). Funeraticiis autem collegiis adnumeramus et ea, quae nullam nisi rei funerariae caussam profitentur, et collegia opificum, et ea collegia, quae cultores alicuius Dei se esse dicunt, ex. gr. collegium salutare Dianae et Antinoi (Orelli-Henzen n. 6086), collegium Iovis Cerneni (ibid. n. 6087), collegium Aesculapii et Hygiae (ibid. n. 2417); sed diversa sunt ea collegia tam a collegiis opificum antiquis sive collegiis, quae dicebantur Numae, quam a collegiis sacris legesque suas et ius ex imperatorum demum repetiverunt aetate, scilicet ex lege generali Iulia Caesaris Augustique de collegiis[112]) et ex senatusconsulto item generali inter Augusti et Hadriani aetatem facto.[113]) Inter opificum autem collegia imperatorum aetate etiam extantia duo genera sunt distinguenda, alterum eorum, qui privati commodi caussa collatis singulorum pecuniis opificium faciebant, alterum eorum, quae

---

111) Dico *privatorum instar;* nam patroni cooptantur quidem etiam a municipiis, neque tamen in publico iure eius patronatus est origo, sed in iure privato, atque constat, administrationis quidem iure municipia ad publicam imperii Romani rem pertinere, iuris autem ratione privatorum loco esse.

112) Suet. Caes. 42. Oct. 32.

113) Henzen n. 6087 col. I. v. 10: *kaput ex senatus consulto populi Romani* etc. cfr. Mommsen in Zeitschr. l. l. p. 359.

publice *idcirco instituebantur, ut necessariam publicis utilitatibus operam praeberent.*[114]) Utri ex his generibus quodque collegium sit adnumerandum, non potest definiri et fabri imprimis, qui persaepe commemorantur, poterant et privati et publici usus caussa in collegii formam cogi; in nostra autem provincia unum saltem eiusmodi collegium videor mihi deprehendere, corpora quinque naviculariorum marinorum Arelatensium, ut qui pro patrono habuerint procuratorem Augustorum ad annonam provinciae Narbonensis et Liguriae. At et in his duobus opificum generibus et in omnibus collegiis, quae tenuiorum hominum, imprimis libertorum erant, quaecunque erat caussa specialis, generalem utique et perpetuam caussam fuisse rem funerariam, concludo ex exemplo dendrophororum Polensium, qui simili modo ad res sacras pertinebant ac nostri pausarii Isidis (n. 351), collegii autem caussam in eo habebant positam, ut communem possiderent sepulturam.[115]) Poterat autem eiusmodi collegium non solum mutuo niti auxilio, sed etiam beneficio constitui hominis alicuius opulenti ex sua pecunia arcam collegii instituentis; quod nemo impediebat, dum ne quid ex publicis legibus, quae omnia collegia tenebant, inde corrumperetur.[116]) — De reliqua horum collegiorum ratione pauca tamen sunt dicenda: vidimus semel in mense corporatos coisse: in eiusmodi coetibus solebant quaedam sacra facere, epulari, in epulis sportulas dividere, de communi collegii re agere, earumque rerum ordo lege erat praescriptus. Quam anxie vero Romani haec collegia coërcuerint et caverint, ne ad alias caussas constituerentur neve, quae constituta essent, saepius quam e lege liceret convenirent, et inde videmus, quod leges, senatusconsulta, principum constitutiones de ea re agebant et inde, quod Traianus Plinium, provinciae Bithyniae praesidem, vetat incendiorum caussa collegium

114) L. 5 §. 12 Dig. de iure immun. (50, 6).

115) Mommsen, de colleg. p. 97, ubi hanc affert inscriptionem: *dendrophoris Polensium C. Laecanius Theodorus, sacerdos matris Deum magnae Idaeae, locum pro sepoltura dedit.*

116) Cfr. not. praec. et app. nostr. n. 222, ubi patronus nescio quis collegium videtur constituere libertorum suorum iisque mausoleum et arcam communem donat.

fabrum constituere, quia ex eiusmodi quoque collegio factiones possint nasci.[116a]) Id tantum licebat vulgari caussae adicere, ut praeterquam quod sepulturae prospiceretur, etiam eos, qui defuncti erant, ex arca collegii certa pecuniae sequeretur summa, solvenda propinquis et respondens ei pecuniae, quam cum intrassent, capitularii nomine arcae dederant. Hanc enim Hübner suspicatur fuisse caussam eorum collegiorum, quae dicuntur salutaria[117]), atque ut funeraria collegia, ita haec quoque salutaria nemo non videt miro modo convenire cum nostrae aetatis institutis similibus. Quorum salutarium collegiorum hucusque duo tantum nota erant exempla, illud, quod supra commemoravimus Dianae et Antinoi constitutum Lanuvii et collegium salutare institutum Conimbricae in Lusitania[118]): nunc vero ex nostris monumentis tertium nobis videmur posse adicere, collegium salutare familiae tabellariorum Caesaris nostri, qui erant Narbone, quorum mausolei titulum conservavit inscriptio nostra n. 59.

Iam vero si haec collegia cum instituto sevirorum Augustalium conferimus, videmus in aliis rebus ea fuisse similia, in aliis diversa. Et ii qui funerum ratione et ii qui cultus Augusti caussa coibant, corpus collegiumve constituebant, eandem imitabantur reipublicae formam, eodem iure in multis rebus, quoad collegium erant, tenebantur, quod ius praesertim pertinebat ad arcam communem, utrique denique erant liberti. At sevirorum Augustalium caussa municipalis erat, ut qui pro populo municipii colerent numen Augusti, collegiorum funeraticiorum caussa mere privata, cui rationi non obstat, quod quaedam opificum collegia ad publicos usus solebant adhiberi. Itaque seviri a decurionibus nominabantur, inter ordines municipales suum habebant locum, summam honorariam non in arcam sui corporis, sed in arcam communem municipii conferebant, atque ex hac ipsa caussa intellegitur, quomodo fiat, ut in inscriptionibus nostris ne unum quidem inveniamus patronum sevirorum et in reliquis quoque imperii partibus rarissimi sunt patroni Augusta-

116a) L. 1 pr. Dig. quod cuiusc. univers. etc. (3, 4). Plin. epist. 10, 35 sq.

117) Monatsber. der Berliner Akad. 1861 p. 776 sq.

118) Orelli 2415. Hübner l. l.

lium, collegiorum patronis et in Narbonensi et in reliquo imperio saepe obviis. Erat scilicet patronus municipii eo ipso patronus Augustalium ad communem usum institutorum, collegiorum autem caussa a municipiis aliena proprio egebat patrono. Deinde ex eadem caussa explicaveris, quod, ut videbimus, seviri communibus muneribus adstringebantur, collegia non adstringebantur, et quod in libris iuris Romani altum quidem silentium est de Augustalibus, sed agitur de collegiis. Possis quidem id inde repetere, quod eo tempore, quo codices iuris Romani, quibus nos utimur, perscripti sunt, non iam extiterunt Augustales; at ne in iis quidem iuris Romani fontibus, qui Constantino anteriores non continentur illis codicibus, Augustalium fit mentio. Agebant enim libri iuris Romani de iure privato omnibus civibus Romanis communi, de quibusdam iuris publici partibus, de municipiorum erga imperium officiis sive de re municipali, quoad conveniebat cum institutis imperii, non agebant de iure municipali interno: Augustalitas autem institutum erat municipale internum; contra tenuiorum consuetudo coëundi in collegia, stipem menstruam conferendi, certis diebus coetus habendi, et collegiorum munus publicis usibus inserviendi aperte publici erant iuris, ideoque haec sunt in libris iuris Romani. In eo tantum erat, quod Augustalium quoque ratio haberetur in iure civili, quod permissu constituebantur imperatoris quodque bona eorum tutela iuris fruebantur: at in utraque hac re conveniebant cum reliquis corporibus, ut quae in haec cadebant, caderent eo ipso in Augustales. Quae cum ita essent, diversitas duorum corporum satis magna erat, ut, qui et sevir Augustalis et corporatus alicuius collegii opificum erat (nn. 344. 381), non teneretur ea lege, quae vetabat plus unum habere collegium.[119])

At etiamsi proprie municipalia instituta non erant illa tenuiorum collegia, tamen a communi municipiorum caussa non prorsus erant aliena. Immo maxime intererat oppidorum, turbam tenuiorum, imprimis libertorum habere quandam caussam, ex qua redigeretur in certum ordinem constitutum ad sublevandam singulorum sortem et positum in mutuo auxilio, atque

119) L. 1 §. 1 Dig. de coll. et corp. (47, 22): *non licet amplius quam unum collegium licitum habere.*

abunde probant inscriptiones, non solum eos, qui eorum corporum erant corporati, pro honore notasse suum in collegio aliquo locum, sed etiam collegiorum instituto totum id hominum genus ad quandam publicam elevatum esse aestimationem magnumque quod inter homines ingenuos et libertos intererat discrimen, paullo diminutum. Itaque in Nemausensi quidem amphitheatro videmus loca a decurionibus assignata esse etiam collegiis (n. 225), externis quidem, at quod externa commemorantur fortuito casu videtur esse factum, neque est, quod ipsius municipii collegiis eum honorem censeamus esse denegatum. Sed multo magis perspicuum est in Augustalibus, quo modo municipalium aestimatio tribuerit libertorum condicioni, quod non tribuit publica lex. Qui de Augustalibus scripserunt, notarunt, Augustalium ordinem similem in municipiis locum occupasse atque Romae ordinem equestrem, medium inter senatores et plebeios. Quod priori quidem tempore vix potest concedi; nam quamdiu possessores mediae fortunae numerosiores erant in municipiis, et quamdiu in quibusdam saltem coloniis equitum a plebe maior erat numerus, libertorum vel ditissimorum condicio haud dubie non erat media inter decuriones et plebem. At paullatim hic rerum status coepit mutari in peius: qui infra decurionum sortem erant possessores, ex oppidis transmigrabant in agros, in ipsis oppidis libertorum turba locum obtinebat plebeiorum ingenuorum, libertorum divitiae suam exercebant in publicam aestimationem vim, eaedem divitiae ad munera communia, ad edendos ludos municipibus erant commodissima, atque ut nihil obstabat, quo minus libertorum filii ad omnes pervenirent honores municipales, ita ipsi liberti, etiamsi ad decurionatum non poterant pervenire, ad ornamenta tamen pervenerunt decurionalia et tum revera secundum a decurionibus locum in oppidis habebant.

Iamque ut uno quasi oculorum obtutu totam complectaris ordinum municipalium dispositionem, introeas oportet in theatrum: sedent ibi proximi scenae in imis gradibus praesidibus cuiusque anni magistratibus, prout cuiusque dignitas erat, decuriones, sequuntur equites a plebe, sedent in locis honorificis ii, quibus hospitii ratione loca sunt assignata, vides una sedentes seviros Augustales, deinde collegia opificum, habet sua sub-

sellia sive ante sive post Augustales populus possessorum decurionibus inferiorum, sequuntur subsellia mulierum, claudit agmen turba pullatorum sive ingenuorum sive libertorum servorumque[120], ut, quotiescunque publice conveniret populus, suum quisque in municipali ordine nancisceretur dignitatis et aestimationis locum.

3. De iure populi.

In Hispaniae oppidis Latinis Salpensa et Malaca sub finem primi p. Ch. saeculi populo ius fuisse, comitiis curiatis magistratus municipales creare, tabula Malacitana satis probat, neque quisquam dubitaverit, quin recte Mommsen[121] in explicandis his monumentis non solum ad reliqua Hispaniae oppida Latina a Vespasiano iure Latii donata comitiorum ius transferat, sed etiam statuat, tribuendum id esse omnibus oppidis Latinorum coloniariorum, quae ea aetate exstiterint. Itaque in nostra quoque provincia quamquam neque de ipsis comitiis quidquam traditum est neque de populo curiatim diviso, non dubitamus, oppidis Latinis a Caesare et Augusto constitutis per primum utique p. Ch. saeculum comitia tribuere curiata. At, quoniam tabulae Malacitanae is est ordo, ut caput illud, quod agit de comitiis habendis, contineatur ea parte, quae quomodo magistratus creentur praescribit, idem Mommsen animadvertit, praeter magistratuum creationem vix aliam rem tum penes curias fuisse, idque praeterea ex eadem lege Malacitana inde perspici, quod provocatio a multis magistratuum municipalium non ad populum fuerit, sed ad ordinem. Scitorum certe a plebe de administratione municipali factorum nullum extat exemplum.

At quaeritur iam, num eodem iure fuerint coloniae civium Romanorum: erant utique ex lege Iulia municipali, ubi comitia municipalia diserte commemorantur[121 a], neque est, quod cives Romanos eo iure statuamus caruisse, quo utebantur Latini,

---

120) Cfr. Suet. Aug. 44.

121) Stadtrechte p. 398.

121 a) Tab. Heracl. l. 135: — *neve quis eius rationem comitiis conciliove [habeto]* etc.

praesertim cum utrumque genus ad unum idemque exemplar esset constitutum, exemplum scilicet oppidorum veteris Latii. Itaque casui tantum attribueris, quod hucusque neque in nostra provincia neque alibi oppida possunt monstrari, quae certo pro civium Romanorum oppidis habenda populum exhibeant curiatim descriptum. At inscriptiones nostras rerumque scriptores perscrutati alia quaedam vestigia comitiorum in coloniis civium Romanorum nobis videmur deprehendisse, candidatum quinquennalem Arelatensem (app. n. 325), qui largitionibus populi suffragia petit, deinde dissensiones illas Viennensium, quas a Tiberio Caesare anno p. Ch. 11 sedatas esse refert Velleius Paterculus[122]), postremo, de qua re longius est disserendum, locum illum tituli arae Narbonensis (n. 1. col. I. 29 — 31), ubi dicuntur caerimoniae in honorem Augusti decretae cum ob alia tum quod is imperator T. Statilio Tauro M. Aemilio Lepido cos. (i. e. a. p. Ch. 11) *iudicia plebis decurionibus coniunxisset.* Difficile intellectu sunt haec verba nec mirum est, quod, ubi ad viros iuris Romani peritos confugimus, in graves incidimus doctorum virorum de hac re dissensiones. Nam Keller[123]) quidem iudiciorum apud Romanos ordinis imprimis peritus interpretatur ita mutasse Augustum iudiciorum in municipiis et coloniis ordinem, ut sicut Romae, in iis quoque plebi suum in albo iudicum locum daret. Contra Rudorff in historia iuris Romani et ipse de hoc loco agens[124]) interpretatur Augustum et Narbone et alibi iudicandi munus plebi ademptum tribuisse ordini decurionum. Et primum quidem apparet, Rudorffi sententiam inde laborare, quod nullo modo intellegitur, cur plebs Narbonensis divinos honores Augusto ideo decreverit, quod ipsam munere et honore iudicandi privarit: posuit enim aram imperatori *plebs* Narbonensis exceptis decurionibus; itaque hoc tantum si considerares, Keller utique rectius videretur iudicare. At ne huius quidem opinione possumus acquiescere, quia collatis iis

122) Vell. 2, 121: (Tiberius) *cum res Galliarum maximae molis accensasque plebis Viennensium coërcitione magis quam poena mollisset*, etc. cfr. supra p. 109.

123) Keller, Roem. Civilprocess p. 41.

124) Rudorff, Roem. Rechtsgesch. 2, p. 40.

veterum scriptorum locis, qui de albo iudicum agunt, nusquam invenimus iudicandi munus sive nomina in albo iudicum recepta appellari iudicia apposito casu genetivo.[125]) Immo conferendum potius esse censemus locum codicis Theodosiani (12, 1, 171), ubi de electione decurionum dicitur: *consensu curiae eligendos esse censemus, qui contemplatione actuum omnium possint respondere iudicio*[126]), quo loco aperte quod iudicium dicitur, iudicium est creantium. Eodem modo in Narbonensi quoque titulo agi censemus de electione magistratuum, de qua divisa erant decurionum et plebis iudicia. At — dixeris —, si comitiorum erat creatio magistratuum, quod tandem ordinis in ea erat ius? Et cogitari quidem possit de instituto illo, quo, si in quo municipio casu fortuito summi magistratus non sunt, ex lege Petronia ordo praefectos nominat pro duumviris.[127]) Verum e lege Petronia non agebatur de iudiciis populi, sed solius ordinis iudicio nominabantur, qui usque ad instituenda nova comitia summi magistratus vice fungerentur. Itaque suspicamur agi potius hoc loco de eo iudicio, quo qui comitia habebat magistratus ex ordinis sententia de accipiendis aut reiciendis candidatorum nominibus decernebat, ex qua caussa, si qui candidatus suffragiis tantum gaudebat plebis, ex ordinis autem iudicio magistratus rationem eius non habebat, contentiones inter decuriones et plebem accendi potuisse facile intellegitur; praeterea liceat in memoriam revocare, iam tempore liberae reipublicae candidato reiecto, si a magistratu reiciente iniuria videbatur esse facta, licuisse appellare de hac re senatum.[128]) Eiusmodi contentionibus candidatorum videmus anno p. Ch. 4 Pisae factum esse, ut magistratus omnino non essent (Orelli n. 643), et quae eodem illo anno p. Ch. 11 in ipsius provinciae colonia Vienna accensae sunt plebis dissensiones, ad similem

---

125) Cfr. Cic. act. in Verr. I. 13, 37: *iudicia ad senatum translata sunt.* Vell. Paterc. 2, 32. *iudicandi munus, quod C. Gracchus ereptum senatui ad equites, Sulla ab illis ad senatum transtulerant, aequaliter inter utrumque partitus est.* Tac. Ann. 11, 22. Suet. Caes. 41. Oct. 32.

126) i. e.: *von welchen man in Anbetracht ihres ganzen Verhaltens annehmen kann, dass sie der auf sie fallenden Wahl entsprechen würden.*

127) Mommsen, Inscript. Neap. p. 480. id. Stadtrechte p. 446 sq.

128) Liv. 39, 39. Marquardt, Handb. 2, 3, 96 n. 370.

caussam referendas esse, iam supra indicavimus. Atque eiusmodi casus si in qua provincia acciderat, primo loco rectoris provinciae erat, de ea re decernere; et sicut Viennae Tiberius Caesar, qui iure imperatorio tum in Galliis utebatur, finem imposuit illis dissensionibus, atque sicut anno p. Ch. 19 Germanicus eodem iure provincias internis certaminibus fessas suscepit refovendas[129]), ita sive referente ad eum proconsule sive appellantibus ipsis Narbonensibus Augustus contentiones illas videtur sedasse eoque modo iudicia plebis decurionum iudiciis coniunxisse, atque ita cum pacem reddidisset coloniae, facile intellegitur, cur plebs Narbonensis gratiam ei voluerit referre. — At si ordo in creandis magistratibus suam quoque partem eamque haud ita levem habebat, simul comprehendimus, quo modo factum sit, ut aetate imperatorum, postquam Romae iam a Tiberio comitia e campo in senatum sunt translata, paullatim in municipiis quoque praevaleret in electionibus iudicium ordinis neque iam curiatim et certis temporibus populus convocaretur ad creandos magistratus, sed occasione data fuse conveniens candidatos ab ordine propositos consensu suo approbaret, sicut approbare solebat decreta honoraria ab ordine hominibus bene de municipio meritis decreta (app. nn. 388. 453). Quin etiam in inscriptionibus extra nostram provinciam repertis populum videmus consensum et voluntatem suam profiteri in theatro et in spectaculis.[130]) At haec propiora sunt temporibus Constantini quam Augusti: prima utique novorum institutorum aetate in Gallia inprimis indoles naturaque populi debebat efficere, ut et candidati et populus ipsorum comitiorum iure plene uterentur et acria studia ad comitiorum certamina afferrent.

De forma autem comitiorum habendorum, de suffragio incolarum et libertorum et similibus quaestionibus cum ex nostris inscriptionibus nihil omnino redundet, abstinemus disserere satis habentes animadvertisse, ex tabula Malacitana (rubr. 53) apparere, in oppidis utique Latinis incolas, qui cives Romani Latinive

129) Tac. annal. 2, 54.

130) Cfr. quae de hac re affert Philippi, Zur Geschichte des Patronats über juristische Personen in Rhein. Museum N. F. VIII (1853) p. 512.

fuerint, quandam habuisse suffragii lationem ea lege, ut uni curiae sorte ductae omne id genus attribueretur.[131]) Si denique quaerimus, num qui in agris habitaverint, idem ius exercuerint atque oppidani, exempla quidem desunt, ex quibus certi quidquam possit erui, omnino autem non potest dubitari, quin in omnibus iis rebus, quae ad universum territorium pertinuerint, quamdiu iusta comitia erant, discrimen non fuerit inter oppidanos et rusticos. Contra in iis rebus, ubi oppidorum administratio separata erat a vicorum rebus, illud discrimen videtur intercessisse. Itaque ubi alii patroni erant oppidorum, alii vicorum pagorumque, honorem patrono oppidi haberi videmus a *plebe urbana* (n. 388).

4. De ordine decurionum.

De honore et condicione decurionum postquam supra egimus, restat ut disseramus de forma legendi ordinis ac de muneribus negotiisque curiae. Et decurionum municipalium quoque ordinem simili modo ac senatum urbanum quinto quoque anno lectum esse sive a summis cuiusque oppidi magistratibus ordinariis, sive ubi, sicut Narbone et Arelate, quinquennales erant, a quinquennalibus, videmus ex lege Iulia municipali[132]), quae praescribit, quicunque in municipiis, coloniis, praefecturis, foris, conciliabulis civium Romanorum IIviri, IIIIviri futuri sint, ne quis eorum quem in senatum legat neve sublegat neve cooptet neve recitandum curet nisi in demortui damnative locum. Quod ordinis a magistratu legendi institutum non est quod non ad Latina quoque oppida transferamus, neque magis dubito, quin omnibus oppidis Italico modo constitutis commune fuerit, ut qui legeret decuriones, primo loco rationem haberet eorum, qui honore aliquo functi erant[133]), secundo loco descenderet ad eos, qui nullo honore functi censu centum milium sestertiorum, ingenuitate, origine, aetate[134]), quaestu, moribus digni hoc ho-

131) Cfr. Mommsen, Stadtr. p. 407 sq.

132) Tab. Heracl. v. 83 sq.

133) Cfr. app. n. 145: *quaestor et decurio.*

134) In nostra quoque provincia suffecisse utique aetatem viginti quinque annorum probat inscriptio nostra n. 112.

nore erant, ut denique in perscribendo albo dignitatem quam quisque habebat et ordinem quo quisque in curiam lectus erat, spectaret.[135]) Eligi autem potuisse decuriones ex omni territorio, ex vicis non minus quam ex oppido, dum ne quid deesset, quod lex flagitabat, probant decuriones illi, quos vici Allobrogum curiae Viennensi suppeditaverunt (app. nn. 543. 544. 565). Contra ex inscriptione nostra n. 453, ubi Vocontius S. Vencius in curiam Lugdunensium ab horum ordine nomine incolatus dicitur allectus, videmus, siquis singulari qua ratione allegebatur in ordinem, non arbitrio magistratus sed ex ordinis decreto allectionem esse factam; in qua caussa ex alienorum oppidorum inscriptionibus eos quoque videmus fuisse, qui gratuitum decurionatus honorem acciperent (Or.-Henzen 3816. 5330) sive ornamentis tantum decurionalibus ornarentur (Or.-Henzen 880). Ceterum de numero omnium decurionum, qui numerus haud dubie in Narbonensi quoque centenorum erat in quoque municipio, de discrimine eorum, quibus in curia sententiam dicere licebat, et pedariorum sive, ut est in albo Canusino[136]), pedanorum, de praetextatis in curiam admissis, de eo decurionum numero, quo ad facienda decreta legitime opus fuerit, de ratione rogandae sententiae nihil in nostrae provinciae inscriptionibus invenimus. — Contra quae ab ordine sint acta et decreta, uberius ex nostris quoque inscriptionibus poterit cognosci, iisque si adiungemus quae suppeditant tabulae Salpensana et Malacitana, imago satis expressa efficietur officii decurionum. Constat formam decernendi fuisse eam, ut qui magistratus sive sua sponte sive ab alio rogatus ordinem convocaverat, referret de quibus erat referendum, ut deinde rogante sententias magistratu sequeretur ordinis decretum, ut exequeretur denique decretum is magistratus, cuius id negotium erat. Ipsorum negotiorum autem quattuor genera in omnibus tam civium Romanorum quam Latinorum oppidis ab ordine videmus esse tractata, administrationem earum rerum, quae pertinent ad municipium[137]), curam sacrorum, consilium

135) Cfr. l. 1 Dig. de albo scribendo (50, 3).

136) Mommsen, Inscr. Neap. n. 635. Orelli 3721.

137) Cfr. titulum Digestorum 50, 8: de administratione rerum ad civitates pertinentium.

dandum de electionibus magistratuum et cooptatione patronorum, decreta de decurionibus aliter quam solito modo cooptandis, quibus quattuor generibus in oppidis Latinis quintum accedit munus iudicandi in iudiciis et privatis et publicis.

In administranda autem republica primum locum obtinet summa administratio arcae sive pecuniae communis: itaque, qui rationes communes negotiumve quod commune tractaverat gesseratve, reddebat rationes aut ipsi ordini aut nominatis ab ordine triumviris, qui publicam caussam agerent et rationes reddendas acciperent[138]; tabulae communes, in quibus factarum locationum condiciones perscriptae erant, ubi in publico proponerentur, decuriones censebant[139]; qui praedes, quae praedia municipio obligata erant, vendi non poterant nisi ex decreto decurionum[140]; quae loca communi municipii nomine emerentur (app. n. 588), quae loca communia ad sepulturas et statuas darentur (app. n. 116. passim), decernebatur ab ordine; si quae ex communi pecunia largitiones fiebant, vel immunitates concedebantur, exempli gratia si cui funus publice decernebatur et vectigalia remittebantur (app. n. 15) sive statuae pecunia publica ponebantur (nn. 115. 421. 453), sive medicorum operae aliaeve operae liberales pro municipio conducebantur[141], sive cui veterano beneficia tribuebantur (app. n. 109), de his omnibus decernere, erat ordinis decurionum. Cum his decretis cohaeret deinde cura viarum et operum publicorum pro municipio sive de solo construendorum sive reficiendorum; itaque ex decreto decurionum Sextantione viam et lacum reficiunt aediles (app. n. 88), quin etiam si qui privatus aedificium restituturus est, destruere vetus aedificium ei non licet nisi repetita ante sententia decurionum[142]; denique id quoque huc referas, quod decurionum est, in theatris loca singulis ordinibus distribuere.

Secundo loco decurionum erat cura sacrorum; itaque Viennae et flamen Divi Augusti et flaminica dicuntur nominati de-

138) Tab. Malac. rubr. 67. 68.
139) Ibid. rubr. 63.
140) Ibid. rubr. 64.
141) L. 4 Dig. de decr. ab ordine fac. (50, 9).
142) Tab. Malac. rubr. 62.

creto decurionum (app. un. 504. 518); nominant enim ii, qui ipsum cultum administrant, atque huc quoque referas, quod seviri Augustales fieri solebant decreto ordinis; namque sevirorum erat, colere numen Augusti pro municipio. Reliquorum autem sacrorum curam ab ordine susceptam esse, exemplis quidem non possumus illustrare; at consentaneum videtur, quidquid rei divinae pro municipio fiebat, sub ordinis fuisse administratione.

Tertio loco posuimus consilium magistratibus et populo dandum de electionibus magistratuum et cooptatione patronorum, in quibus duabus rebus origine et caussa inter se diversis supra (p. 208) vidimus paullatim comitia sta in curiam transiisse, ut electio fieret a decurionibus nec nisi consensum exprimeret populus fuse considens.

De quarto quoque decretorum genere, quod versabatur in cooptandis decurionibus externis et in decernendis ornamentis decurionalibus iam diximus.

Denique in Latinis oppidis munus decurionum eo ad maiorem etiam dignitatem est elatum, quod in iudiciorum quoque ordine suum habebant locum. Primum enim praescribit lex Salpensana, ut si qui municeps Latinus minor viginti annorum servum manumittat apud duumviros, probatio caussae manumittendi, quae inter provinciales cives Romanos fieri solebat per viginti recuperatores, sit penes ordinem; deinde eadem lex iubet duumvirum, a quo tutoris datio postulata sit, si collegam, penes quem iurisdictio est, nullum possit in consilium vocare, consilio uti ordinis et tutorem dare ex decreto decurionum[143]); omninoque in hac quoque re aliam fuisse iurisdictionem inter cives Romanos, aliam inter Latinos, infra videbimus. Neque vero tantum in privatis iudiciis adhibebatur ordo, sed etiam in publicis: si cui enim qua multa dicta erat a magistratu, penes quem erat multae dictio, atque aut ipse aut eius nomine alius postulabat, ut de ea re referretur ad decuriones, lex Malacitana iubebat de ea re decurionum esse iudicium.[144]) Quod institutum Mommsen censet inde esse explicandum, quod civi Latino provocatio ad imperatorem non fuerit neque tamen ab omni

143) Tab. Salpens. rubr. 28. 29. cfr. Mommsen, Stadtr. p. 413.
144) Tab. Malac. rubr. 66. cfr. Mommsen, Stadtr. p. 413—415.

provocatione is debuerit prohiberi. Quin etiam sicut a multis, ita a poenis quoque, quamdiu iudicia publica penes populum municipiorum fuerint, provocationem fuisse ad ordinem, idem Mommsen iudicat esse verisimillimum.

5. De magistratibus municipalibus et patronis.

De magistratibus municipalibus quae instituenda est quaestio, dividitur in duas partes, quarum prior versatur in nominibus generibusque, quae in quoque oppido inveniuntur, altera in eorum iure potestateque. In utraque autem parte separandae sunt coloniae civium Romanorum a coloniis Latinis.

Inveniuntur autem in coloniis civium Romanorum nomina magistratuum haec[145]:

Narbone: praetores duumviri (app. n. 16); quaestores (22. 27), aediles (24. 28. 29) sive aediles duumviri (27), duumviri (21—23), duumviri quinquennales (20), praefecti pro duumviro (20. 21. 24—26).

Baeterris desunt inscriptiones.

Forum Iulii duumviri? (295. 296).

Arelate: quaestores (330), aediles (326a), aediles munerarii (330), duumviri (326a—329) sive duumviri iuri dicundo (325), quinquennales (325).

Arausione aediles (410).

Valentiae desunt inscriptiones.

Viennae: quaestores (515), aediles (506. 547), quattuorviri (506. 507. 568) sive quattuorviri iuri dicundo (503); quaestores (512), duumviri aerarii (508. 512. 545? 546. 582. 583. 590. 591. 594), triumviri locorum publicorum persequendorum (508—512. 546. 580. 582. 589. 590), duumviri iuri dicundo 507. 545. 571. 589. Plin. epist. 4, 22).

in coloniis Latinis haec:

Sextantione desunt inscriptiones prioris aetatis.

Nemausi aediles (88), praetores quattuorviri (127); quat-

145) In enumerandis magistratuum generibus minores anteposuimus maioribus; ubi autem temporum discrimen sub varietate nominum latere censemus, semicoli interpunctione nomina separavimus.

tuorviri (109 sq. 120—122. 128. 130), praefecti vigilum et armorum (120—122); quaestores (132. 143—147), aediles (134—141), quattuorviri ab aerario (106. 108. 117. 123 sq. 131—133), praefecti vigilum et armorum (123 sq. 247).

Carcasone praetores (266).

Tolosae quaestores, aediles, quattuorviri (268).

Antipoli quattuorviri? (310).

Aquis Sextiis praetores (31. 366); aediles (28. 367), aediles munerarii (368), duumviri? (367).

Reiis Apollinaribus quattuorviri (357. 389).

Cabellione quattuorviri (399).

Avenione praetores (403); quattuorviri (404).

Aptae quattuorviri (421. 423).

Vasione praetores (432).

Deae praetores (506).

Reliquorum oppidorum Latinorum desunt inscriptiones.

Quae nomina si inter se conferimus, primum videmus, in pluribus civitatibus magistratus inveniri, qui non honoris gradu inter se sunt diversi, sed cum eiusdem gradus sint, nomine differunt: habemus Narbone praetores duumviros et duumviros, Nemausi praetores, quattuorviros iuri dicundo et quattuorviros ab aerario, Avenione praetores et quattuorviros, Viennae quattuorviros iuri dicundo et duumviros iuri dicundo, qui omnes praetores, duumviri, quattuorviri summi cuiusque oppidi magistratus sunt. Cum autem idem honoris gradus non duobus nominibus eodem tempore appellaretur, nominis discrimina necesse est diversa indicent tempora. Iam vero Narbone summos magistratus ab initiis deductae coloniae praetores esse appellatos supra p. 56 sq. iam docuimus, atque sicut Narbone, ita ubicunque et praetorum et duumvirorum appellationes inveniuntur, praetorum nomen antiquius est, et sicut in Italicis municipiis praetores ubicunque erant, ab initio admissarum in societatem sive potestatem imperii civitatum constat esse institutos, ita in Gallia quoque Narbonensi ad initia constitutorum Italico modo oppidorum sunt referendi. Quod confirmatur titulo C. Cominii, qui dicitur esse *praitor* coloniae Iuliae Carcasonis; nam forma *ai* pro *ae*, quamquam in hoc

provinciali titulo, ut docet cognomen coloniae Iuliae, non recedit ultra Iulium Caesarem, ad huius utique aetatem proxime accedit. Praetoris vero titulum non restringendum esse ad ea oppida, ex quibus fortuito casu illae inscriptiones ad nos pervenerunt, iam supra (p. 100) diximus. Id ipsum, quod ille titulus in oppidis iure et situ diversis, origine, si Narbonem et Deam exceperis, paribus deprehenditur, abunde probat, commune id summorum magistratuum nomen fuisse omnibus provinciae oppidis a Iulio Caesare constitutis. At quo tempore mutatum est hoc nomen? Invenitur ea mutatio Narbone, Nemausi, Aquis Sextiis, Avenione; in reliquis vero oppidis ideo tantum praetorum nomen solus est summorum magistratuum titulus, quod posterioris aetatis desunt monumenta, neque potest dubitari, quin eodem ubique tempore praetorum titulus sit sublatus. Iam vero in colonia Nemausensi iam Ti. Caesaris Augusti aetate invenimus quattuorviros iuri dicundo: ergo desierant eo tempore ibi esse praetores et desierant esse in reliqua provincia. Utrum vero ab ipso Tiberio an ab Augusto facta sit ea mutatio, non potest certo diiudicari; probabile vero est, Augustum, sicut omnino neque prodigus erat honorum reipublicae Romanae et, quantum poterat, variarum imperii partium administrationem exaequabat, in hac quoque provincia instituisse duumviros quattuorvirosque. Cui opinioni non obstat praetor, qui erat Deae Augustae sive in oppido ab Augusto constituto; condita scilicet Dea anno fere a. Ch. 27 Augustus nondum cogitavit de mutando magistratuum nomine ideoque Deae quoque idem ac reliquis civitatibus tribuit et concessit, donec per totam provinciam id tolleretur. Quod autem Narbone invenimus praetores duumviros et Nemausi praetores quattuorviros, ad illud tempus videtur referendum, quo nova nomina vixdum erant introducta: tum enim, ut et veteris honoris memoria extaret et novae appellationi suum esset ius, fieri potuit, ut duo illa nomina in unum coalescerent; ideoque medii inter praetores et duumviros sive quattuorviros tam appellatione quam tempore intersunt praetores duumviri, praetores quattuorviri. Cum quo optime convenit, quod titulus ille praetorum duumvirorum Narbonensium (n. 16) formam exhibet *coerare*. Forma enim *oe*, quae septimo *urbis* conditae saeculo locum obtinere coepit antiquioris formae

oi, usurpatur etiam in titulo anno a. Ch. 12 sive aetate Augusti (Orelli n. 3693); eiusdem igitur fere aetatis censemus titulum nostrum Narbonensem eiusdemque aetatis mutationem nominis summorum magistratuum.

Qua mutatione facta habemus in omnibus provinciae nostrae oppidis tres honorum gradus: quaesturam, aedilitatem, duumviratum sive quattuorviratum, qui gradus omnibus oppidis Italico modo constitutis ea aetate erant communes. Attamen Viennae et Nemausi haec generalis norma quodam tempore videtur esse paullo immutata: commemorantur Viennae aediles et quattuorviri iuri dicundo in titulis, qui certam aetatis notam non habent (506), commemorantur deinde duumviri aerarii, triumviri locorum publicorum persequendorum, duumviri iuri dicundo in titulis, qui aetatem imperatoris Hadriani diserte indicant, et a Plinio iuniore iam sub Traiano duumvir dicitur Trebonius Rufinus; praeterea si titulos nostros nn. 511. 582. 589 comparamus et inter se et cum ceteris magistratuum Viennensium inscriptionibus, quae Viennae, Cularone, Genavae et in reliquo agro Allobrogico extant, facile videmus, quaesturam, duumviratum aerarii, triumviratum locorum publicorum persequendorum, duumviratum iuri dicundo eiusdem esse temporis eoque tempore non solum quattuorviros non fuisse, sed defuisse etiam aedilitatem, ut quae contineretur duumviratu aerarii et triumviratu locorum publicorum persequendorum. Quod autem in titulo n. 506 invenimus L. Sulpicium D. f. Voltinia Censorem aedilem, vocabulum *Censoris* pro cognomine potius quam pro magistratus appellatione habendum est, tam quia aliud cognomen Sulpicii non indicatur quam quia censoris titulus in Italiae quidem quibusdam oppidis invenitur, deest autem in provinciis.[146]) Iam vero ut ipsa rei natura probat, simpliciorem rationem sive tres illos gradus quaesturae[147]), aedilitatis, quattuorviratus antiquiores esse ratione minus simplici, ita, quae pauca extant

146) Cfr. Henzen, ind. ad Orell. p. 157.

147) In titulo Cularensi n. 547 non solum quaesturam, sed etiam aedilitatem ad Viennam refero. Si aedilitas fuisset munus Cularense, non potuisset omitti huius loci indicatio.

quattuorvirorum Viennensium exempla, aetate Traiani certo potius anteriora sunt quam posteriora, et ille praesertim quattuorvir, qui item dicitur flamen Divi Augusti et flamen Germanici Caesaris, ab ipsa Augusti et Germanici aetate haud longe videtur esse remotus. Accuratius autem quam terminis imperatorum domus Iuliae ab una parte, Traiani a parte altera mutatio illa non potest definiri. Contra Nemausi terminos habemus paullo inter se propiores. Vidimus imperatoris Tiberii aetate extitisse quattuorviros iuri dicundo, cum quo convenit, quod in n. 120 antiquiorem formam habemus iure dicundo et quattuorvir ille iuri dicundo tituli n. 128 flamen est Romae et Divi Augusti, item Drusi et Germanici Caesarum ideoque propius accedit ad horum aetatem, at iam sub Vespasiano eo loco quo antea fuerat quattuorvir iuri dicundo, invenimus quattuorvirum ab aerario iuxta quaesturam et aedilitatem. Itaque Nemausi cum Tiberii aetate quaesturam aedilitatemque secutus esset quattuorviratus iuri dicundo, tempore Vespasiani qui quattuorviri iuri dicundo antea fuerant, iam dicebantur quattuorviri ab aerario. Quae mutatio nominisne tantum fuit? Equidem non dubito, quin non solum ad nomen pertinuerit, sed etiam ad numerum et ad potestatem. Constat ex reliqui imperii oppidorum inscriptionibus et ex ipsius Narbonensis provinciae titulis, eos, qui dicebantur quattuorviri iuri dicundo, non quattuor fuisse summos magistratus sed duos et quattuorviros ideo tantum esse appellatos, quod et ipsi et aediles quasi quattuor collegae erant iuri dicundo praepositi, ita tamen, ut summorum magistratuum iurisdictio et potior esset quam aedilium et gravissima summi magistratus pars, aedilitatis vero minor pars versaretur in iurisdictione, qua ipsa re factum est, ut qui duo summae rei municipali praeerant, mere dicerentur quattuorviri iuri dicundo, aediles autem pleno nomine quattuorviri iuri dicundo aediliciae potestatis. Iam vero qui Vespasiani aetate Nemausi iuxta quaestores aedilesque erant quattuorviri ab aerario, revera erant quattuor, non duo, numerus igitur magistratuum erat auctus, eiusque mutationis ipsum nomen indicat eam fuisse caussam, quod cura aerarii summis magistratibus tantum negotii coeperat facessere, ut iurisdictionis muneri iam non sufficerent; contra qui iam instituti sunt quattuorviri, et iurisdictioni vacabant et ad-

ministrationi pecuniae publicae, quae iam, quoniam potior erat officii pars, nomen quoque dedit honori.

Quae Viennensium et Nemausensium magistratuum mutatio pro indicio haberi possit mutati eodem tempore iuris. Et Viennae quidem non de civitate Romana, quam sub Augusto iam habere coeperant, possit agi, sed de iure Italico, Nemausi autem possit cogitari de latinitate mutata in civitatem. At accuratius si inspexeris, neutrum probatur: namque Nemausum sub Vespasiano civitatem nondum habuisse apparet ex Plinio, Viennae autem omne deest argumentum, unde usque ad Claudii aetatem, quem iuris Italici auctorem fuisse supra statuimus, referre liceat illam mutationem. Immo si consideraveris, Viennam et Nemausum longe maxima habuisse territoria, illam totam Allobrogum civitatem, hunc maiorem agri Volcarum partem, probabilius videbitur, positam esse mutationis caussam in hac territorii amplitudine et eo, qui necessario inde debebat evenire, negotiorum cumulo, ideoque quamquam non prorsus eadem nomina in duabus civitatibus invenimus, rationem tamen mutationis similem fuisse. Agebatur igitur de sublevandis summis magistratibus: quod Viennae ita videtur esse institutum, ut cura operum, quae pars fuerat et officii quattuorviralis et aedilitatis, peculiaribus traderetur magistratibus, triumviris illis locorum publicorum persequendorum, aerarii autem administratio a summis magistratibus transiret ad peculiarem magistratum duumvirorum aerarii, reliqua denique aedilitatis munera uni alterive novorum honorum iungerentur. Contra Nemausi aedilitatis quidem honor est conservatus, summorum autem magistratuum et numerus duplicatus et nomen mutatum. Viennae vero ut aedilitatis nomen tollerent, eo fortasse sunt adducti, quod magistratus vicorum Genavae, Cularonis etc. appellabantur aediles, a quibus oppidanos magistratus intererat nomine quoque distingui.

Inde si revertimur ad honores municipales ordinarios, vix potest fortuito casu esse factum, ut in coloniis civium Romanorum duumviros inveniamus iuri dicundo, in coloniis Latinis quattuorviros.[148] Attamen ut non fortuito id est factum, ita

148) Certi sunt duumviri in coloniis civium Narbone, Arelate,

non alia ratio ibi est supponenda quam ea ipsa, ut esset aliquod discrimen, non rei, sed nominis; namque ut modo docuimus, quattuorviri quoque Latinorum revera erant duumviri, et Hispanicorum municipiorum Latinorum summi magistratus nominabantur duumviri. Quod vero Viennae quattuorviri erant etiam post donatam civitatem, pro argumento possit esse, hanc coloniam eo anno, quo ab Augusto praetorum nomen sublatum est, civitatem nondum habuisse.

Deinde praeter quaestores, aediles, duumviros commemorantur quinquennales Narbone et Arelate, praefecti pro duumviro. Narboue.[149]) Ex quibus praefecti non sunt magistratus ordinarii, sed ubi ex quacunque caussa summi magistratus impediti sunt, quo minus officio fuugantur, hi praefectos illos instituunt, qui sua vice fungantur, idque institutum in omnibus invenitur imperii partibus et ubique erat necessarium; quod autem Narbone tantum eiusmodi praefectorum habemus titulos, eosque non raros[150]), mirum quidem est, sed fortuito casu videtur esse factum. Contra quinquennales, quos nonnisi Narbone et Arelate habemus, fortasse in nostra provincia peculiares erant coloniis civium Romanorum. Erant autem quinquennales, ut et titulus indicat *duumviri* quinquennalis (n. 20), et aliunde cognitum est, non diversi a duumviris, sed quinto quoque anno, cum censum municipalem agerent duumviri iuri dicundo, hoc quinquennalium titulo appellabantur, ideoque quinquennalitas nihil aliud erat nisi censurae munus iunctum duumviratui.

---

quattnorviri in coloniis Latinis Nemauso, Avenione, Cabellione, Reiis, Apta. Quem Foroinlii habemus quattuorvirnm app. n. 294, tribus Scaptia ad aliud oppidum relegat. Item L. Allium (app. n. 384), qui dicitur esse II vir, ex Aquis Sextiis, nbi repertus est titnlus, tribus Papiria Narbonem remittit; qni vero item in Aquensi mnsoo extat praefectns pro duumviro (n. 367), incertae est originis, et ut multa alia alinnde, fortasse ab Arelate, in illud museum poterat transferri. Deniqne dnumvirum Antipolitanum tituli n. 310 licero mutare in qnattuorvirum, ad hunc titulum notavimus.

149) Mitto hic quoque praefectum pro duumviro (n. 367) musci Aquensis, ut qni incertae originis sit.

150) Inter undecim magistratnum Narbonensium titulos quinqne sunt praefecti pro duumviro.

Peculiares denique coloniae Nemauso sunt praefecti vigilum et armorum, qui si non superiores erant honore quattuorviris, utique non erant inferiores[151], eumque magistratum invenimus tam iuxta quattuorviros iuri dicundo sive ante Vespasianum (nn. 120—122) quam iuxta quattuorviros ab aerario (123 sq.), ultimum autem exemplum pertinet ad aetatem imperatoris Hadriani (n. 247). At de horum et origine et honore commodius infra disseremus, ubi quae potestatis ratio fuerit exponemus.

De magistratibus vero pagorum vicorumque, aedilibus, praefectis, magistris supra iam disputavimus (p. 173).

A nominibus ad ius potestatemque transimus magistratuum municipalium. Erant autem in nostra provincia non minus quam alibi creati a populo municipii, erant annui collegaeque: et de electione quidem supra egimus; annuos autem eos fuisse inde apparet, quod sunt, qui dicantur duumviri, quattuorviri *iterum* (nn. 23. 399). collegas fuisse summos magistratus ex ipso nomine apparet, aediles ex inscriptione n. 88 et ex appellatione aedilis duumviri n. 27, quaestores ex reliquorum graduum exemplo et externorum municipiorum ratione. Quae omnia ad exemplar magistratuum urbis Romae esse instituta nemo non videt; neque minus certus honorum gerendorum ordo, cui magistratus urbani posteriore liberae reipublicae tempore primum more, deinde a Sulla lege erant adstricti[152], in municipia quoque introductus est ea lege, ut ad duumviratum non perveniret nisi qui antea aut quaestura aut aedilitate esset functus, qui autem utroque magistratu minore vellet fungi, initium faceret a quaestura.[153]). Itaque etiamsi quis nonnisi summum magistratum a

151) Summum coloniae honorem fuisse eam praefecturam concludas ex n. 126, ubi solus is honor commemoratur scilicet ut summus omnium; contra in n. 123 honorum ordo procedere videtur a praefectura vigilum per quattuorviratum ab aerario ad praefecturam alae, denique ad allectionem inter praetorios.

152) Cfr. Lange, Roem. Alterth. 1, p. 600 sq.

153) Cfr. app. n. 268 et formulam, qua dicuntur omnibus honoribus in patria sua functi esse nn. 17. 18. 118. 119 etc.; cfr. deinde eum qui a quaestura transiit ad quattuorviratum n. 132 cum eo, qui ex aedilitate nactus est duumviratum 326 a. — L. 11 Dig. ad mun. (50, 4): *ut gradatim honores deferantur edicto, et ut a minoribus ad maiores*

se gestum profitetur, non censendus est minores non gessisse, immo ob id ipsum minores poterant omitti, quod per se intellegebatur, per eos ad maiores esse perventum. Ab altera parte si quis minorem habuerat magistratum, eo ipso quasi designatus erat ad adipiscendum maiorem excepto Nemauso, ubi multa obvia sunt exempla eorum, qui post quaesturam et aedilitatem ad ampliorem dignitatem non pervenerunt (nn. 134—147). At in Nemausensium civitate frequentissima et opulentissima, quamdiu florebat status eius reipublicae, numquam deerant, qui honores municipales peterent, praesertim cum gestis iis sperare possent, se beneficio imperatorum aut equo publico donatum iri aut usque ad amplissimum senatum Romanum perventuros, unde factum est, ut qui minorum facultatum erant, minora munera non excederent. — Ex ratione autem magistratuum collegarum et ex certo ordine honorum ei qui parem maioremve habebat potestatem, ius competebat intercedendi. — Condiciones deinde status, census, quaestus, aetatis magistratibus eaedem fere ac decurionibus praescriptae erant in coloniis civium Romanorum lege Iulia municipali, in Latinis oppidis suis cuique legibus.

Praemia vero laboris non magis quam magistratus urbanos accepisse municipales, iam inde apparet, quod et ipsi honores dicebantur. Immo non solum honoris sed etiam muneris instar erant, neque solum qui inibant magistratum, summam pendebant honorariam[154]) vel eius loco munus aliquod populo edebant, sed etiam in ipso magistratu varia suscipienda erant onera. Exemplum vero onerum candidatis iniunctorum habes C. Iunii Prisci Arelatensis (n. 325), qui cum quinquennalis candidatus esset, municipibus Arelatensibus amphitheatrum exornavit aliaque dona dedit, neque minus huc pertinet honor aedilis munerarii, in quo onera utique aequabant honorem.

At compensabat onus praeter honoris ornamenta potestas. Quae qualis et quanta in quoque honorum gradu fuerit, ex provinciae nostrae inscriptionibus paucissimis tantum exemplis potest illustrari, et ne lex quidem Iulia municipalis quidquam affert nisi

---

perveniatur, epistola Divi Pii ad Titianum exprimitur. Mommsen, Stadtr. p. 415 sq.

154) Cfr. Henzen, ind. ad Orell. p. 154.

quod senatus legendi officium praescribit. Invenimus, praetores duumviros Narbonenses ex decreto decurionum de pecunia publica aram Volcano ponendam, aream arae maceria saepiendam locumque piscina ornandum curare et opus perfectum probare (n. 16), quattuorviros Cabellienses operis publici nescio cuius curam suscipere (n. 399), Sextantione aediles Nemausenses ex decreto decurionum viam lacumque reficienda curare (n. 88), unde videmus, curam operum publicorum locorumque sacrorum ex auctoritate ordinis penes summos magistratus ordinarios fuisse atque fieri potuisse, ut non solum duumviris, sed toti quattuorvirorum collegio id mandaretur; denique videmus curam viarum aquarumque fuisse penes aediles. Qui autem dicuntur aediles munerarii Arelate (n. 330) et Aquis Sextiis (n. 368)[155], eos curam habuisse ludorum nomine indicatur, atque ex urbanorum institutorum exemplo potest concludi, in omnibus municipiis curam certorum ludorum annuorum, qui ex parte quidem sumptu communi edebautur, fuisse aedilium, eorundemque fuisse eam sumptuum partem, quae non ex communi pecunia erat assignata. Quam negotiorum divisionem ex nominibus magistratuum supra (p. 216 sq.) collegimus in Allobrogibus quidem Traiani aetate ita fuisse mutatam, ut cura locorum operumque publicorum mandaretur propriis tribus magistratibus, qui in hoc officio susciperent et aedilicium munus et partem muneris duumviralis, cura autem aerarii proprio duumvirorum tribueretur collegio, Nemausi vero vidimus aerarii administrationem paullatim tantum fecisse negotii, ut et duplicaretur summum collegium et nomen ab hoc officio acciperet. Versabatur autem cura aerarii in exigendis vectigalibus, in vendendis emendisque praediis communibus, in exigenda pecunia communi collocata, in solvendis pecuniis debitis, in accipiendis donis legatisque arcae communi destinatis, in assignandis summis, quae ad opera publica et sacra communia erant decreta. Inprimis autem eorundem magistratuum, qui municipale administrabant aerarium, fuerit, quae pro imperio erogabantur pecuniae, eas a municipiis exigere et publicis populi Romani magistratibus tradere; neque minus inde, quod cura aerarii penes eos magistratus erat, qui

155) Quibus fortasse adnumeres munerarium Nemausensem app. n. 234.

iuri dicundo praeerant, apparet, eosdem habuisse iurisdictionem de iis rebus, quae ad aerarium pertinebant, sicut inde, quod aediles quoque comprehenduntur collegio quattuorvirorum iuri dicundo, apparet, eos quoque de litibus ad suum officium pertinentibus ius dixisse. — Deinde quod commemorantur Narbone et Arelate quinquennales, collata lege Iulia municipali (vv. 83—88. 142—158) scimus, duumvirorum iuri dicundo fuisse, quinto quoque anno decuriones legere, censum populi municipalis agere, tabulas censorias perscribendas curare, perscriptas magistratibus publicis mittere. Quae omnia ad Latina oppida non minus pertinebant quam ad colonias civium Romanorum, atque, etiamsi quinquennalium nomen in illis non fuerit, tamen census eodem modo ibi erat agendus et magistratibus Romanorum publicis tradendus. — Quae cum summorum magistratuum essent officia, quid restitit Nemausensibus illis praefectis vigilum et armorum? Et primum quidem proprium erat omnium praefectorum, ut non crearentur, sed nominarentur, deinde ut non collegae essent, sed singuli. Contra hi praefecti vigilum eo distinguuntur a praefectis pro duumviro, quod non ad tempus incertum nominabantur, sed haud dubie aut annui erant, aut in complures annos nominati. Ceterum quin municipalis honor ea quoque praefectura fuerit, non potest dubitari, quoniam qui in titulis nn. 120—122. 124. 247 commemorantur, hoc munere funguntur inter medios honores municipales. At quis tandem nominavit eos praefectos? Quod ut inveniamus, de origine eius instituti est quaerendum. Est autem in omni re Romana simile institutum non obvium nisi praefectura septem cohortium vigilum, quae delectae ex libertinis ab Augusto anno p. Ch. 6 institutae erant adversus incendia[156]; poterit igitur fieri, ut in oppido satis amplo post frequentiora incendia sive iussu sive permissu Augusti simile instituerctur praesidium et reciperetur inter instituta municipalia. Quod si ita erat, fieri potuit, ut numerum armatorum in municipio constitui ita tantum permitteret Augustus, ut praeses provinciae eum nominaret, qui vigilibus illis praeesset, ideoque ab hoc praefectos nostros suspicor esse nominatos. Liceat revo-

156) Suet. Octav. 25. 30. Dio 55, 26. cfr. Kellermanni librum inscriptum: Vigilum Romanorum latercula duo. Romae 1837.

care in memoriam, a Traiano factiones metuente vetitum esse Plinium permittere, ut Nicomediae adversus incendia collegium fabrum, qui et ipsi vigilum instar erant, constitueretur; iam si priores principes liberaliores erant erga municipia, certo ne ii quidem omni cautela abstinebant eamque posuisse videntur in imponendo per praesides vigilum praefecto; quod autem complures eorum, qui hoc munere funguntur, videmus aut equum publicum habere aut ad equestrem militiam transire (nn. 121. 123—125), fortasse ipsa haec praefectura equestris erat dignitatis. Quae denique sub cura horum praefectorum erant arma, nihil aliud fuisse tibi fingas quam ea, quae adversus incendia erant necessaria. Ceterum fateor, mirum utique esse, quod inter tot inscriptiones Nemausenses ne una quidem est vigilis gregarii vel gradus praefectura inferioris; at possit fieri, ut collegium fabrum (nn. 103. 221) ad id officium sit adhibitum.

Quae hucusque exposuimus, desumpsimus ex ipsa nostra provincia; quae desunt, cum aliunde sint repetenda, breviter tantum attingemus. Summorum cuiusque oppidi magistratuum fuisse, ordinem non solum legere, sed quoties e re esse videbatur, cogere et habere, ad ordinem de iis rebus, quae praesto erant, referre, sententias rogare, neque minus quamdiu extabant comitia, ea convocare in iisque populum rogare, tam legibus Salpensana et Malacitana quam exemplo magistratuum Romanorum probatur. Deinde ex legibus illis civitatum Hispanicarum comperimus, potestatem summorum magistratuum in iurisdictione non ex omni parte eandem fuisse in coloniis civium Romanorum atque in oppidis Latinis. Cum enim constet, magistratus municipales in oppidis civium nisi privilegio neque legis actionem habuisse, qua continebatur manumissio, adoptio, emancipatio, neque tutoris dationem, Salpensae et Malacae videmus eos, qui horum municipiorum erant municipes Latini, potuisse apud sui municipii duumviros manumittere ab iisque tutorem accipere [157]), cuius iuris ratio aperte tam generalis est, ut nullo modo ad ea oppida possit restringi. Contra qui cives Romani in oppidis Latinis erant, tutorem quidem accipiebant a magi-

157) Lex Salp. rubr. 28. 29. Mommsen, Stadtr. p. 434—442.

stratibus municipalibus, lege vero agebant apud magistratus publicos populi Romani.

Haec de voluntaria iurisdictione: contra quae dicitur contentiosa, ea in utroque oppidorum genere eadem haud dubie erat. Continebantur autem foro municipali et qui originis et qui domicilii ratione intra territorium municipale degebant sive et cives et incolae; modus vero, si quidem legem Rubriam de Gallia Cisalpina ad reliquas quoque provincias licet adhibere, huic iurisdictioni ita erat impositus, ut quae res pluris essent HS XV milium, de iis publici populi Romani ius dicerent magistratus.[158] Eidem iurisdictioni modicam coërcitionem sive ius multae dictionis competivisse, ita tamen ut inde provocatio esset ad ordinem, ex lege comperimus Malacitana.[159] Publica denique iudicia num qua ratione sub imperatoribus in municipiis sive civium Romanorum sive Latinorum fuerint, nimis incertum est, quam ut hic de ea re agamus.[160]

Aedilibus deinde ad curam ludorum, viarum, aquarum haud dubie accedebat cura annonae et omnium rerum, quae publice venibant, in iisque omnibus negotiis iurisdictionem quandam eos habuisse et modicam coërcitionem diserte traditur.[161]

Quaestorum quod fuerit officium, ex nostris inscriptionibus nullo modo potest erui; alinude autem satis notum est, pecuniam publicam eos tractasse[162] et arcam communem custodivisse. Statuere autem, ad quos usus impenderetur pecunia publica, non quaestorum erat, sed summorum magistratuum et ordinis, quibus summa competebat aerarii cura et administratio.

Qui in quoque municipio erant magistratus, eorum potestas in omnibus rebus, quae ad communem civitatis rem pertinebant, totum comprehendebat civitatis territorium. Neque tamen duumviri iuri dicundo necesse erat ipsi ubique potestatem exercerent, sed praefectos poterant nominare, qui in vicis remotioribus ipsorum vice fungerentur, cuius generis est praefectus no-

158) Lex Rubr. II. 4. 19. 27. Mommsen l. l. p. 402 sq. 442.
159) Lex Malac. rubr. 66. Mommsen l. l. p. 442 sq.
160) Cfr. Walter, Gesch. des roem. Rechts §. 839 (3. Aufl.).
161) Lex Malac. rubr. 66.
162) Lex Malac. rubr. 60.

ster pagi Epotii. Contra alia ratio est aedilium pagorum et vicorum, ut qui eodem modo a paganis vicanisque crearentur, quo creabantur aediles municipales a municipibus; in administranda autem re pagana vicanaque hi aediles aeque scitis decretisque tenebantur municipalibus ac municipales magistratus tenebantur legibus publicis populi Romani. Praeter aediles ordinarii magistratus mere pagani non videntur fuisse.

Qui magistratibus municipalibus apparebant, eos supra (p. 187) vidimus libertini generis fuisse; rara autem eorum est mentio neque invenimus nisi apparitores Nemausi (n. 158) et statores Nemausi (n. 159), Viennae (n. 519), Cularone (n. 552). Martinus autem ille, qui Deae dicitur fuisse *ab aerario* (n. 462), apparuisse videtur quaestoribus, eidemque hominum generi adnumeres Frontonem, *actorem loci* Cularonis (n. 551).

Coloniarum denique servos habes Nemausi (n. 160) et Deae Augustae (n. 461).

De patronis municipiorum.

In albo decurionum Canusinorum, quod perscriptum est anno p. Ch. 223 [163]), primum quidem locum obtinent patroni civitatis, sed ita ut in ipsorum decurionum numero non sint, quippe cum centum decuriones ibi numerentur exceptis patronis. Sicut autem a decurionibus, ita a magistratibus quoque distinguendi sunt patroni, et quamquam, id quod idem illud probat album Canusinum, patroni possunt cooptari ex numero eorum, qui magistratibus functi sunt municipalibus, ipsum tamen patrocinium alienum est a muneribus municipalibus ordinariis. Praeterea plerumque non ex ipso municipio eligebantur patroni, et Canusii quoque exceptis duobus omnes reliqui patroni non sunt municipes sed superioris ordinis et ita distinguuntur inter se ratione dignitatis, ut primo loco nominentur viri senatorii, deinde viri dignitatis equestris, inter quos sunt duo illi municipes.

Cum albi Canusini patronis si conferimus eos, qui in oppidis Narbonensibus inveniuntur, hic quoque variorum ordinum sunt viri patrocinii nomine cooptati. Et antiquissimus quidem,

163) Mommsen, Inscr. Neap. 635. Or.-Henzen 3721.

qui nominatur, et summi ordinis patronus est Caius Caesar, Agrippae filius adoptatus ab Augusto, qui patrocinium suscepit coloniae Nemausi (n. 96); postea aetate fere Severi Alexandri ab iisdem Nemausensibus videmus patrocinium delatum ad L. Ranium Optatum, virum clarissimum, consularem, qui Narbonensis provinciae praeses fuerat (n. 100), neque minus, qui n. 363 Aquensium vel Reiensium dicitur patronus, vir erat senatorius. Foroiulienses vero inter patronos habuerunt quattuorvirum Nemausensem equo publico ornatum (n. 106), Viennenses duos viros equestri militia functos (nn. 502. 590), ex quibus alter (590) oriundus ex colonia Equestri honores Viennae gesserat; Aquis deinde Sextiis in eodem titulo tres patroni nominantur, ex quibus unus tribunus laticlavius dicitur esse sive senatorii ordinis, duo alii et equestri militia et, ut videtur, municipalibus honoribus erant functi (n. 364), itemque Reiis urbana plebs patronum statua honorat, qui tribunus militum fuerat (n. 388). Contra municipes Arelatenses statuam ponunt patrono, qui non ultra aedilitatis honorem est promotus (n. 330). Denique non solum in oppidis id est institutum, sed in pago quoque Vordensium invenimus patronum, quattuorvirum Aptae Iuliae sive eiusdem municipii, cui attributus erat ille pagus (n. 423).

De ratione cooptandi patronos nihil suppeditant monumenta nostra. Supra autem commemoravimus, priore tempore populum curiatim convocatum et rogatum esse de patronis cooptandis, postea autem eam cooptationem decreto ordinis esse factam.[164] Qui vero erant cooptati, iis constat hoc munus non solum per omnem vitam, sed hereditario iure esse delatum.[165]

De patrocinio civitatum imperii Romani qui nuper uberius egit Philippi, optime dixit nequaquam pro mero honoris nomine habendum esse patronorum titulum, sed haud parvi momenti fuisse id institutum ad defendenda municipia. Quod enim inter summum imperium et singula oppida nihil fere intererat, quod aliam quam parendi condicionem oppidis daret, nullum institutum publicum, quo legitime concessum esset singulis oppidis, ut

164) Cfr. Philippi, Zur Geschichte des Patronats in Rhein. Mus. 1853. p. 510 sqq. Mommsen, Stadtr. p. 452 sq.
165) Philippi l. c. p. 499.

propriam voluntatem exprimerent desideriaque enuntiarent, haec lacuna quodammodo expleta est a patronis, quorum erat, quotiescunque opus esset, caussam clientium apud principem et magistratus publicos agere, inprimis, ut praedicant pagani pagi Lucretii de Q. Cornelio Zosimo (n. 358), iniuriam clientium ad praesides provinciae persequi et notam facere principi. Apparet autem, id institutum, quamquam publica auctoritate carebat, ubi primum vulgari coepit per omne imperium neque ullus erat senator, qui non alicuius oppidi patrocinium suscepisset, publici instituti instar fuisse. Praeterea homines quoque minus insignes, inprimis magistratus municipales, qui maiore erga municipales se praestiterunt liberalitate et munificentia, eo titulo meri honoris caussa esse honoratos non negaverim. Contra peculiaris generis videtur fuisse M. ille Iunius Rufus Pythio, qui oriundus Aquis Sextiis, degens autem Romae patronus coloniae suae dicitur et laudatur ut homo bonus et disertus (app. n. 365). Erat is, cum ex nominis ratione pro homine inferioris ordinis sive pro libertino habendus sit, fortasse caussidicus, qui seu in certa quadam caussa seu saepius coloniae suae actor fuerat.

Inter illos autem provinciae nostrae patronos inprimis memorabiles sunt duo: alter, qui dicitur patronus urbanae plebis Reiensium (n. 388), alter patronus pagi Vordensium (n. 423). Plebem urbanam, quamquam interdum patroni ordinis *et* plebis commemorantur, illo loco non ordini esse oppositam, sed plebi rusticae, per se intellegitur. Constat autem publice a Romanis plebem rusticam a plebe urbana non esse distinctam, nisi discrimine illo, qui liberae reipublicae temporibus inter urbanas rusticasque tribus intercesserat. At hoc discrimen in oblivionem venerat aetate imperatorum atque per id tempus, quo vixdum in ipsa oppida multitudo deducta erat colonorum, qui agriculturae vacarent modica agrorum possessione instructi, de oppidanorum rusticorumque discrimine minime cogitabatur. At paullatim cum increscente in oppidis multitudine libertorum imminutoque minorum possessorum numero plebs urbana ex opificibus componeretur nec nisi per agros dispersi essent possessores, erat, quod publice quoque hoc discrimen aliquo modo exprimeretur. Fieri potest, ut hic quaerenda sit caussa imminuti iuris populi, comitiorum ex foro in curiam translatorum; utique

inde comprehenderis, quomodo fieri potuerit, ut suos patronos flagitaret plebs urbana, suos pagi vicique; erat enim munerum tributorumque distributio alia iam in oppidis, alia in agris, cum qui in oppidis erant, tributo potissimum capitis subiecti essent, qui in agris, tributo soli, unde tam in rebus municipalibus quam adversus publicam administrationem saepe separata erat rusticorum urbanorumque caussa. Rustica autem plebs cum divisa esset pagis vicisque, patronos cooptabat pagatim vicatimque, atque quia rusticis cum municipalibus ante omnia magistratibus erat agendum, consentaneum erat, ex insignioribus municipalibus, qui honoribus ipsi functi erant, eorum eligi patronos maxime idoneos ad defendendam in curia municipali caussam clientium.

6. De muneribus.

Ab honoribus munera ita differunt, ut honor municipalis sit administratio reipublicae cum dignitatis gradu sive cum sumptu sive sine erogatione contingens, munus dicatur, quod quis in administranda republica cum sumptu sine titulo dignitatis subit.[166]) Quorum munerum rationem ut recte intellegas, videndum est, quo modo imperii Romani municipia communis administrationis sumptus fecerint.

Et primum quidem in antiquis municipiis ideo simpliciores quam apud nos erant sumptus administrationis, quod et omnes magistratus gratis officio suo fungebantur et ea quoque officia, quae aliis quam magistratibus ordinariis competebant, gratis suscipiebantur. Quo secundo officiorum genere efficiuntur quae dicuntur munera personalia. Personale enim munus est, quod corporibus, labore cum sollicitudine animi ac vigilantia suscipitur[167]), eorumque munerum mere personalium exempla sunt, si cui legatio mandatur ad principem ea condicione, ut sumptus itineris solvantur a municipio[168]), sive in quem cura custodiendi

166) L. 14 pr. §. 1 Dig. de muner. et honor. (50. 4).

167) L. 1 §. 3 Dig. de muner. et honor.

168) Plin. epist. 10, 27 *Gierig*. L. 18 §. 12 Dig. de muner. et honor.

aquaeductus sive calefactio baluei publici de pecunia publica curandi sive defensio actioque certae caussae defertur.[169]). In his igitur rebus omnibus cum nullam laboris compensationem praeberet aerarium, versabantur impensae publicae in sumptu sacrorum, operum ludorumque publicorum, medicorum ab ordine institutorum similiumque operarum. Ad erogandas autem has impensas primo loco impendebantur reditus fundorum locorumque communium, quae a duumviris locabantur. At hi raro sufficiebant, ita ut recurrendum utique esset ad onerandos municipes. Iam vero, si hoc intercedebat, non, ut apud nos, tributum irrogabatur omnibus municipibus incolisque certa quadam fixaque ratione, sed explebatur, quod deerat, partim magistratuum et sevirorum Augustalium summis honorariis iisque, quae reliqua magistratus per administrationis suae annum proprio sumptu populo donabant, partim, quae extra ordinem praestanda erant, singula singulis impendenda assignabantur sive municipibus sive incolis ex ratione rei familiaris. Quae erant munera patrimonii; patrimonii enim munus dicebatur, quod sumptu patrimonii et damnis administrantis expediebatur.[170]) Denique tertium munerum genus constituebatur, si cui et personale officium erogabatur et pecunia, et dicebatur id genus mixtum.[171]) Atque huius generis fuisse videntur duo exempla, quae sola nostri lapides suppeditant, eorum, qui dicuntur curatores ludorum (nn. 194. 489). Curator enim per se quidem non est idem atque editor et cura alicuius rei per se est munus personale[172]); edebatur igitur ludus, qui curandus erat, a republica ideoque curator muneris *publici* dicitur Q. Caetronius Titullus (n. 489), sed sicut aedilis munerarii, ita curatoris quoque erat, suo sumptu splendidiorem reddere ludum quam de publica pecunia reddi posset. Neque minus mixtum munus dici potest illud, quod pro paganis pagi Lucretii suscepit Q. Cornelius Zosimus,

169) L. 18 §§. 6. 7. 13 Dig. de muner. et honor.

170) L. 18 §. 18 Dig. de muner. et honor.

171) L. 18 pr. §§. 26 sqq. Dig. de muner. et honor.

172) Cfr. l. 18 §. 1 Dig. de muner. et honor.: *personalia sunt quae animi provisione et corporalis laboris intentione, non aliquo gerentis detrimento perpetrantur, veluti tutela vel cura.*

fructum balnei gratuitum iis restituens. Huic enim caussam paganorum apud principem et praesides provinciae defendenti cum pagani obtulissent, ut impendia defensionis ipsi susciperent, qua ratione munus illud personale tantum esset, remisit ille impendia ideoque mixtum munus gesserat.

At eaedem inscriptiones nostrae quamvis paucae memorabiles tamen sunt etiam ratione generis hominum, qui haec munera susceperunt. Qui Deensibus munus publicum curavit Q. Caetronius Q. f. Voltinia Titullus, honores quidem gesserat Arimini, tribu autem arguitur esse Vocontius, qui Arimino in patriam suam redierat ibique praefectus nominatus erat pagi Epotii. Erat igitur is, postquam rediit, homo privatus et nescio qua caussa in patria sua neque honores ordinarios gessit neque decurio videtur fuisse; suscipiebat autem munera extraordinaria, qualia erant praefectura in tempus mandata et cura ludi. Alterum deinde exemplum est C. Veratii Trophimi, item Deensis, seviri Augustalis (194). Est igitur hoc quoque munus extraordinarium mandatum ei homini, qui cum rei familiaris quidem ratione par esset oneri sustinendo, status autem ratione honores non gereret, aliquid tandem municipio deberet praestare.

Iam vero voluntariane erant haec munera an imposita? Initio quidem novorum institutorum municipalium fieri potuit, ut extraordinaria munera liberae municipum voluntati permitterentur, atque quem quisque in suscepto munere observare vellet liberalitatis modum, nunquam haud dubie accurate poterat praescribi; at Ulpiani utique aetate munerum distributio erat praescripta, namque legimus apud hunc iuris auctorem, iussum esse praesidem provinciae, providere, ut munera et honores aequaliter iniungerentur secundum aetates et dignitates aut gradus munerum honorumque qui antiquitus statuti essent, ne sine discrimine et frequenter iisdem oppressis simul viris et viribus respublicae destituerentur. [173]) Sicut enim florente municipiorum statu decurionatus et reliqui honores ultro petebantur, ita initio sive petendorum honorum caussa sive ad merendam liberalitatis laudem non deerant inter locupletiores, qui ultro mu-

---

173) L. 3 §. 15 Dig. de muner. et honor.

nera susciperent. At sicut iam sub Traiano coeperant esse, qui inviti magistratus subirent, ita munera quoque ab invitis paullatim sustinebantur idque eo magis, quod ne dignitatis quidem titulus cum iis erat iunctus. Accedit quod munerum multitudo in annos maior erat, atque ea, quae pro municipio fiebant et de quibus hoc loco solis agimus, minor pars erant onerum impositorum. Ipsa illa, de quibus Ulpianus dicit munera, non municipii caussa sed publice pro imperio erant imposita et hoc alterum munerum genus magis quam omnia reliqua perdidit municipiorum statum. De his autem muneribus infra erit, quod dicamus.

7. De rebus sacris.

Ex nulla alia re facilius perspexeris, quam funditus post Caesarem veteres mores propriaque indigenarum instituta institutis moribusque Romanis sint eversa, quam ex religionibus rebusque sacris. Ubi primum omne provinciae solum coloniis oppidisque Italico modo constitutis erat coopertum, locus non iam erat Druidarum religioni, ut quae agrestium hominum potius esset quam oppidanorum, atque sublatae e media provincia non vi sed ipso facto veteres religiones confugerunt inter paganos (nn. 78 sq.), in montes Pyrenaeos (app. p. 58) et interiora Galliae; si qui vero dii indigenae ne tum quidem loco cedebant, Latinas appellationes, Latinos ritus debebant tolerare, in deorum Latinorum tutelam se conferre. Cuius generis sunt Iupiter Axur (n. 446), Hercules Tolosanus Andossus invictus (282), Silvanus et montes Nimidi (283), dii Nemausus, Urnia, Avicantus iuncti Iovi, Minervae, Silvano, Libero, Sulivia Idennica Minerva, Augustus Mars Britovius (nn. 236—245), Mars Augustus Lacavus (261), Bellinus sive Belenus Augustus (503. 530. 532), Nymphae Augustae Percernes (443), Nymphae Griselicae (495). At potiorem quam hae deorum indigenarum reliquiae locum obtinebant et publica auctoritate muniti erant dii Olympii Graecorum Romanorumque, Iupiter Optimus Maximus ceterique dii deaeque immortales (n. 541), qui postquam Romae civitatem nacti sunt, signa exercituum Romanorum in provincias occidentales septentrionalesque sequebantur neque alio ullo loco facilius poterant consistere quam

in ea provincia, quae ex longo iam tempore commercio cum Graecis facto Graecos deos noverat. Accessit denique secundo fere p. Ch. saeculo tertium genus eorum, qui una cum orientalium populorum superstitionibus invasione quadam in occidentem irruperant deus Sol invictus Mithras (292. 482. 483), Mater deum magna Idaea tauroboliorum caerimoniis potissimum celebrata (7. 12. 279. 392 sq. 407. 414. 450 sq.), Iupiter Heliopolitanus (240), Isis (90. 111. 351. 394. 484), Serapis (111), Anubiaci (244), Dea Augusta Andarte (465), Belus fortunae rector Menisque magister (444).

Cum vero nostrum non sit, de diis eorumque caerimoniis longius disserere, satis habebimus ex monumentis nostris collegisse, quae ad rem divinam pro republica faciendam communi civitatum nomine sint instituta. Quae perscrutantes et inter se conferentes invenimus, non solum singula oppida similia inter se habuisse instituta, sed hic quoque conspicuum est, municipalem rem imitationem esse simplicissimi status priscae reipublicae Romanae; constituebantur enim sacerdotia municipalia pontifice publicorum sacrificiorum (120), qui universo cultui municipali praeesset, flaminibus cum flaminicis sive certorum Deorum sacerdotibus, qui pontifici in sacrificiis adstarent, augure et inferioris ordinis haruspice.[174] Sed deest, ut omnino in municipiis extra vetus Latium sitis, publicus deae Vestae cultus, quoniam penetralia propria non habent ea oppida, sed

174) Pontifices sunt Nemausi (106. 108. 120. 122. 124. 148), Arelate (326a. 327. 330), Reiis (357), Deae Vocontiorum (459), Viennae (516 sq. 589 sq.); flamines Divi Augusti Nemausi 149, Aquis Sextiis (369), Deae (453), Viennae (504. 546. 583. 590), flaminicae Augusti Nemausi (130. 150—155), Cabellione (156), flamines Romae et Divi Augusti item Drusi et Germanici Nemausi (128 sq.), flamines Romae et Augusti Reiis (357), oppidi incerti (359); flamen Germanici Caesaris Viennae (504); flamen Martis ibidem (591); flamen Iuventutis ibidem (504); flaminica Herae Cularone sive Viennae (549); flamines nomine dei non apposito Antipoli (310), Arelate (326a. 327. 330), Aquis Sextiis (609), Aptae (331. 421), Viennae (270. 499); flaminicae nomine dei non apposito Vasione (434 sq.), Deae (460), Viennae (518); augures Aptae (423), Viennae (589. 591), Massiliae (613); haruspex publicus Nemausi (189).

unum omni imperio commune est penus ideoque unus publicus Deae Vestae cultus; neque magis desunt et cultui urbano reservata sunt pontificum augurumque collegia. Sunt autem sacerdotes municipales non minus quam urbani non annui, sed perpetui (450. 613) geruntur que ab iisdem, qui ad magistratus municipales ordinarios admittuntur, ideoque recensentur medios inter reliquos honores; soli haruspices eligebantur ex ordine libertorum, ut haruspex ille Nemausensis, qui simul erat sevir Augustalis (189), idque consentaneum erat gradui dignitatis, quem in Romanorum sacerdotiorum ordine haruspices occupabant. Praeterea memorabile est, quod unam flaminicam Vasiensem uxorem quidem videmus esse seviri Augustalis, ipsam vero ingenuam (434). Inter ipsa autem sacerdotia, si titulos confers 326a. 327. 330 et 589. 591, is certus ordo videtur intercessisse, ut augur superior esset flamine, pontifex angure, pontificis autem dignitas aeque auguris sequeretur sacerdotium atque flaminis.

Singularis denique cultus Romani imitatio est institutum Lupercorum Nemausensium (n. 106 sq.), nisi forte ambo Nemausenses, qui hoc sacerdotio insignes sunt, ut qui equites equo publico fuerint, Romanis Lupercis sunt adnumerandi.

Electos esse sacerdotes municipales ab ordine, supra (p. 211 sq.) statuimus. Verum est, tantum exemplis Viennensibus unius flaminis (504) et unius flaminicae (518) id posse probari; at ceteri quidem non dicuntur instituti decurionum decreto, quia per se id intellegebatur, flaminum autem illorum Viennensium, qui paullo post institutum Augusti flaminium videntur vixisse, intererat prae se ferre, ad peculiare ordinis decretum hunc cultum huncque honorem esse referendum. Romanorum vero sacerdotiorum exemplum hic non potest respici; nam neque cooptatio in municipiis poterat locum habere, ubi collegia deerant sacerdotum, neque sicut liberae reipublicae Romanae tempore erat, quod comitiis creatio sacerdotum permitteretur.

A sacerdotibus ordinariis probe distinguendi sunt ii sacerdotes singularium deorum, qui non erant flamines, sacerdotes Liberi patris, magnae deum Matris, sacerdos quindecimviralis Arausiensis (450 sq.), qui, cum sacerdotes civitatum dicantur, et ipsi pro municipiis erant instituti, sed ordinis inferioris et

extraordinarii. Cultores vero Urae fontis (254), cultores Larum (287), magistri Larum Augustorum (607) non publice, sed privatim rem divinam faciebant; contra dictator ille in Iuniliciis, qui in Narbonensi titulo commemoratur, fieri potest, ut publice sit institutus, sed, ut videtur, ad suscipiendum unius diei festi sacerdotium, quae dignitas, quoniam ter ille dictator dicitur fuisse, singulis annis denuo videtur esse delata.

Denique inprimis memoratu digna sunt, quae ex his institutis ad cultum pertinent imperatorum. Inter quae primum locum obtinet ipsum flaminium, quod non dubito, quin in omnibus municipiis ad cultum Augusti sit referendum. Primum enim si Sex. Vencii Iuventiani titulum (n. 453) confers, flaminem Divi Augusti fuisse eum vides et Deae, cuius nomen non diserte exprimitur, sed per se intellegitur, et loci cuiusdam, quod dicebatur Villiauum; iam vero cum dicatur flamen Divi Augusti (sc. Deae), *item* flamen Villiani, apparet flaminium Augusti idem esse ac flaminium mere dictum. Deinde excepta Vienna in nullo alio huius provinciae oppido aliorum deorum flamines inveniuntur quam Divi Augusti, flamines autem omnes certi cuiusdam dei sunt, ergo si in quo oppido flamines sunt Divi Augusti flaminesque mere dicti, non duo genera flaminum ibi habes, sed unum, flaminum scilicet Augustalium. Tum quos in quibusdam oppidis invenimus flamines Romae et Divi Augusti, cui deo Nemausi Drusus etiam et Germanicus Caesares iuncti sunt, hos sacerdotes facile cognoveris ad aetatem antiquiorem pertinere, et vix ultra Tiberii tempus procedere. Quos omnes suspicor sublatos esse flaminio Augusti per omnia oppida aequaliter introducto, unde his novis flaminibus Augustalibus et ipsius Divi Augusti et universae domus Augustae cultus est mandatus, quin etiam cultus eorum Augustorum, qui extincta domo Iulia ad principatum pervenerunt; quo factum est, ut Augusti nomen non iam solum conditorem illum principatus, sed omnes eos comprehenderet, qui et in principatu et in divinitate ei successerunt. Et eodem tempore, quo hoc Augusti flaminium vulgatum est per municipia, suspicor sevirorum Augustalium munus libertino ordini esse traditum: postquam enim sacerdotium Augusto ordinarium communi reipublicae nomine et sumptu est institutum, ad quod accederent municipes ingenui iique de-

curionalis ordinis, consentaneum videbatur, illum Augusti cultum, qui usque ad id tempus collegii sevirorum forma et ab ingenuis et a libertinis erat administratus, totum iam libertinis permittere, quorum ditissimus quisque pro municipali munere eum seviratum susciperet.

Denique quomodo domus Augustae cultus per omnia provinciae oppida institutus totius provinciae sacris sit iunctus, infra videbimus.

Caput III.

De institutis provincialibus.

Administratio provinciarum imperii Romani inde ab Augusti aetate usque ad medium fere p. Ch. saeculum pendebat ex illo Augusti instituto, quo anno a. Ch. 27 ex provinciis totius imperii eas, quae pacatiores erant et Italiae propiores, exemit et senatui tradidit ea lege, ut exinde ex senatus populique Romani auctoritate regerentur. Quibus provinciis postquam anno a. Ch. 22 Gallia addita est Narbonensis, hanc condicionem retinebat, quamdiu omnino permanebat illa inter Caesarem et senatum provinciarum divisio, ideoque senatoriarum modo provinciarum ius hic est describendum.[1])

Senatus aeque ac Caesaris provinciae dividebantur in provincias consulares et praetorias, ex quibus illas, Africam scilicet et Asiam, consulares viri, reliquas omnes in iisque Narbonensem viri obtinerent praetorii, sed eo privilegio, ut praetorii quoque a senatu instituti non minus quam consulares titulo gauderent proconsulum, lictores autem, insigne et ornamentum imperii, consularibus praesto essent duodecim, praetoriis, sicut omnibus praesidibus Caesaris, sex. Ceterum in provinciis sena-

1) Cfr. Dion. 53, 12—15. Strabon. 17 p. 840. Suet. Oct. 47. Marquardt, Handb. der roem. Alterth. 3, 1, 294 sqq.

toriis eadem fere atque liberae reipublicae tempore tum quoque valebant instituta: obveniebant tum quoque provinciae proconsulibus in singulos annos et obveniebant sortito, nisi forte quis, cui cum qua provincia ex priore tempore familiaritas et coniunctio erat, extra sortem eligebatur, exempli gratia L. Fabius M. f., Galeria, Cilo, qui postquam legatus fuit in nostra provincia, in eadem ad proconsulatum est promotus (n. 654). — Deinde lex Pompeia lata anno a. Ch. 52, quae vetuerat quemquam ante quintum ex deposito magistratu urbano annum provinciam obtinere[2]), ne iam quidem desiit valere. — Tum, sicut antea, iam quoque proconsulibus a senatu item ex viris senatoriis iisque tam quaestoriis quam praetoriis[3]), quos nominaverant ipsi proconsules, legati dabantur consularibus trini, praetoriis singuli, comites adiutoresque negotiorum, quibus eam officii partem mandarent, cui non ipsi possent sufficere, et iam quoque appellati hi sunt legati pro praetore; atque etiam hoc munus interdum videmus ad eos deferri, qui ex quaestura in eadem provincia gesta provinciae res cognoverant, cuius rei exemplum est noster Q. Caecilius Q. f. Arniensi Marcellus (n. 658). — Neque minus sub imperatoribus quoque quaestores proconsulibus addebantur iique sortiti et ipsi, cuius sortitionis ratio anno a. Ch. 9 senatusconsulto est statuta.[4]) — Denique publicorum magistratuum numerus ab initio fere secundi saeculi auctus est munere curatorum rerumpublicarum, quorum officium, quamquam extraordinarium quodammodo erat, tamen summi evenit momenti. — Cum autem pacatae tantum provinciae senatui permitterentur, inermes erant neque legiones in eas sunt missae, sed tantum ad custodiendam a criminibus provinciam parvum armatorum praesidium proconsuli praesto erat[5]), cuius praesidii mentionem in nostra quoque provincia nobis videmur deprehendisse (app. n. 676). Ob id ipsum vero, quod

2) Dion. 40, 46. 56.

3) Ex septem legatis proconsulum provinciae nostrae, quorum titulos habemus (app. pp. 151—153), quattuor sunt viri praetorii, tres quaestorii.

4) L. 1 §. 2 Dig. de off. quaest. (1, 13).

5) L. 7 §. 1 Dig. de off. procons. (1, 16).

generale proconsulis officium inerme erat, non paludatus sed togatus exibat in provinciam. Praeterea statutum est, ut quae ex senatus auctoritate regerentur provinciae, quaecunque ex reditibus non ad ipsius provinciae administrationem impenderentur, contribuerent in aerarium publicum populi Romani sive in aerarium Saturni, quod et ipsum in auctoritate erat senatus, eiusque instituti rationes iam facilius poterant ad certum quendam modum redigi, quod omnes publici provinciae magistratus iam annua accipiebant salaria.

Neque tamen adeo senatus auctoritati adstrictum erat hoc provinciarum genus, ut nullum in iis esset imperium Caesaris. Primum enim sicut ex libero arbitrio Augustus senatui partem provinciarum permiserat, ita penes imperatorem erat, ius alicuius provinciae mutare et senatorias provincias sive in perpetuum sive ad tempus in suarum provinciarum numerum recipere. Deinde in iis quoque provinciis, quae permissae erant senatui, summum imperatoris officium iam inde erat perspicuum, quod qui secundum vias publicas constituti erant lapides miliarii, non senatus, sed imperatoris nomen auctoritatemque prae se ferebant; tum imperatoris nomine et per legatos imperatorios delectus fiebat in provincia; item appellationes ex utroque provinciarum genere fiebant ad Caesarem sive ad eos qui Caesaris vicem in his rebus agebant[6]), quin etiam nonnullae res nisi consulto principe proconsuli non erant permissae, exempli gratia, si cui legato mandatam adimere vellet iurisdictionem[7]), atque ipse Caesar utriusque generis provincias adibat ibique summum exercebat imperium[8]); quam ob rem Tiberio, qui imperatoris vice tum in Gallia versabatur, anno p. Ch. 11 ius erat in Narbonensi quoque ex summo imperio de dis-

6) Suet. Octav. 33. Eiusmodi appellationem relatam habes a Plinio in epist. 4, 22: appellarant scilicet Viennenses contra duumviri sui edictum prius proconsulem, deinde principem, qui adhibito consilio suo eam rem tractavit.

7) L. 6 §. 1 Dig. de off. procons.

8) Suet. Oct. 47. Praesto est exemplum Hadriani, ad cuius in nostra quoque provincia praesentiam referri possit inscriptio app. n. 386.

sensionibus Viennensium decernendi.[9] Generali denique lege in libris iuris Romani enuntiatur, proconsules sicut legatos Caesaris mandatis ab imperatore esse adstrictos[10] atque eodem sensu Ulpianus dicit, proconsules maius imperium in sua provincia habere omnibus post principem.[11] Ex altera parte si de sublevandis provinciis agebatur, imperatores aeque senatoriis provinciis prospiciebant atque propriis[12]; quin etiam quae in provinciis senatus provinciales aerario publico debebant, princeps poterat remittere.[13] Quod vero repetundarum caussae apud senatum agebantur, eius rei alia erat ratio, ut iam inde vides, quod non solum proconsules, sed etiam legati Caesaris ea senatus tenebantur iurisdictione.

At praeter publicos populi Romani magistratus proprios magistratus in senatorias quoque provincias misit imperator, procuratores scilicet, qui bona, ex quibus Caesar heres institueretur, reditus, qui ex patrimoniis Caesaris evenirent et quae alia fisci essent, administrarent. Quod officium etsi per se privati aliquid habet, publicum tamen factum est eo, quod proconsulibus erat praescriptum, ut abstinerent ab iis caussis, quae ad fiscalem pecuniam pertinerent in iisque iurisdictionem permitterent procuratoribus.[14]

1. De officiis magistratuum.[15]

In proconsulis officiis, ut dicit Ulpianus, primum locum obtinebat iurisdictio, quae ita erat plenissima, ut partes omnium, qui Romae vel quasi magistratus vel extra ordinem ius dicebant, ad eum pertinerent. Erant igitur eius iurisdictionis aeque iu-

9) Vell. Paterc. 2, 121. cfr. supra p. 109.

10) L. 6 §. 3 Dig. de off. procons.

11) L. 8 Dig. eiusd. tit.

12) Cfr., quae de provincia Asia affert Dio 54, 30.

13) Cfr. Tac. ann. 2, 47, ubi Tiberius refertur Sardianis Asiae in quinquennium remisisse, quae et aerario et fisco debebant.

14) L. 9 pr. Dig. de off. procons.

15) Quae hic sequitur expositio, ei subiecti sunt Digestorum tituli de officio proconsulis et legati (1, 16), de officio quaestoris (1, 13), de officio assessorum (1, 22).

dicia privata ac publica exceptis iis caussis minoribus, quae magistratibus permissae erant municipalibus. Secundo loco penes eundem erat summa provinciae administratio, qua comprehendebantur et eae res, quae ad rempublicam populi Romani pertinebant et summa rei municipalis cura, quae versaretur in conservando eo singulorum municipiorum statu, quo pares essent sustinendis oneribus publicis. Deinde quod in provincia erat praesidium militare, imperio parebat proconsulis, neque vero ad id augendum delectum habere huic licebat.

In his negotiis omnibus adiutore utebatur proconsul legato pro praetore, exceptis publicis iudiciis atque legisactione, quae legato non competebat. In iis autem rebus, quae legato mandata sunt, non princeps, sed proconsul ab eo erat consulendus, atque ut omnino nihil proprium habebat legatus, sed fiduciariam tantum obtinebat operam[16]), ita quaecunque iussu proconsulis faciebat, ipse proconsul fecisse putabatur.

Quaestoris officium erat administratio pecuniae publicae ac custodia arcae publicae provincialis, itaque eius erat, reditus provinciae accipere, pecuniam, quae in publicos usus erat erogata, expendere, rationes accepti expensique referre, quae ex sui anni administratione reliqua erant, in aerarium Saturni quod Romae erat deferre.

Quem exiguum magistratuum ordinariorum numerum facile intellegas neque potuisse negotiorum multitudinem propria manu tractare, neque cum annui tantum essent, carere potuisse inferioris gradus adiutoribus, qui non annua vice officio adstricti, sed longioris temporis usu negotiorum periti singula exequerentur. Hi sunt illi assessores, quorum officium constare dicit Paulus in cognitionibus, postulationibus, libellis, edictis, decretis, epistulis. Assidere autem poterant teste Marciano non solum ingenui, sed etiam liberti.

Denique praeter lictores etiam scribas variaque apparitorum genera praesto fuisse proconsuli reliquisque magistratibus, per se intellegitur, eamque cohortis praetoriae partem divisam esse

---

16) Caes. de bello civ. 2, 17: *neque se ignorare, quod esset officium legati, qui fiduciariam operam obtineret.*

decuriis, probat decuria illa lictorum viatorum, quae dicitur fuisse Narbone (app. n. 33).

De curatorum vero et procuratorum Caesaris officiis hoc loco abstinemus dicere; namque quae curatorum et origo et munus fuerit, commodius infra exponetur, procuratorum vero officium, quoad non et ipsum ex insequenti expositione manifestum erit, supra iam breviter descripsimus.

§ 2. De partibus administrationis.

Officia magistratuum provincialium publicorum postquam ratione personarum consideravimus, nunc dicendum est de ratione singulorum negotiorum. In quorum ordine et iurisdictionem et militare proconsulis imperium satis habemus paucis attigisse; quamquam enim iurisdictio primum in officio proconsulis obtinebat locum, tamen singulas iurisdictionis partes enumerare nostrum non est, sed eorum, qui historiam iuris Romani scribunt. Id tantum commemorandum hoc loco est, sub imperatoribus quoque provincias iurisdictionis caussa divisas esse regionibus compositis ex compluribus oppidis, in quorum uno consul conventum agebat regionis iusque provincialibus dicebat. Neque vero, quae in Narbonensi ea divisio fuerit in quibusque oppidis conventus iudiciales soliti sint agi, cognitum nobis est. E militari autem imperio quod minimi erat momenti, id hic exhibemus, quod in libro Ulpiani de officio proconsulis iubetur proconsul, si quae maiora opera publica in provinciae oppidis facienda sint, militaria quoque ministeria ad curatores adiuvandos dare.[16a])

Contra de partibus administrationis, quae proprie dicitur, quamquam de hac re paucissima tantum praesto sunt ex inscriptionibus nostris, longius tamen erit dicendum, idque ita instituemus, ut partes administrationis distinguamus quattuor: curam operum publicorum, quae ad imperium vel ad ipsam provinciam universam pertinent, curam redituum et munerum publicorum, curam singulorum oppidorum, curam sacrorum publicorum.

16a) L. 7 §. 1 Dig. de off. procons.

A. De cura operum publicorum, quae ad imperium vel ad totam provinciam pertinent.

Inter publica imperii Romani opera longe principem locum obtinebant viae publicae, quae ab urbe per omnes provincias usque ad extremas gentes orbi Romano iunctas conducebant Et in Narbonensi quidem quae viae a Romanis sint munitae, et supra exposuimus in delineata provinciae historia ac descriptione territoriorum et infra exponemus in appendice epigraphica (p. 132—146), ideoque hoc loco breviter tantum quae inde eveniant complectemur.

Quinque in provincia nostra sunt viae maiores stratae inde a Domitio Ahenobarbo usque ad Augustum:

1) via a Domitio munita, quae ab Arelate per Narbonem et in Aquitaniam duceret et in Hispaniam;

2) via Aurelia, quam Romani postquam antea iter secundum oram muniendum Massiliensibus permiserunt, ipsi a Varo flumine per medios Salluvios ad Arelatem usque muniverunt iunctam viae Aureliae Italicae. Quod opus verisimile est inceptum esse eo tempore, quo Massiliensium territorium a Caesare est imminutum; neque vero qui extant antiquissimi eius itineris lapides miliarii recedunt ultra annum a. Ch. 12;

3) via Alpina ab Augusto ex Augusta Taurinorum per Alpes Cottias et Vocontios ad Rhodanum ducta, quae ubi a summa Alpe in provinciam descendit, in tres partes divisa est, unam septentrionalem, quae a Brigantione per Cularonem Viennam ducebat, secundam, quae Drunae cursum Valentiam versus sequebatur, tertiam, qua secundum Druentiam ad Rhodanum inferiorem perveniebatur;

4) via Alpina per Alpes Graias item ab Augusto strata, quae profecta ab Augusta Praetoria per Allobrogum vicum Augustum item Viennam ducebat;

5) via, qua Lugudunum Viennae iunxit Agrippa, qua ulterius iuncta cum extremis viis quas modo descripsimus Alpinis efficeretur, ut a Lugudano usque ad Rhodani ostia unum continuum esset iter secundum sinistram fluvii ripam perducens.

Quibus viis maioribus ex tabula Peutingeriana quattuor accedunt viae minores: prima a mansione viae Aureliae Foro Voconii ducens Reios (app. epigr. n. 627); secunda, quae ab

eadem via Aurelia proficiscens ab Aquis Sextiis per Massiliam Arelatem procedebat, tertia a vico Augusto Allobrogum Genavam devertens, quarta in dextra Rhodani ripa a statione Cesserone per Lotevam deducta ad montes Cebennicos (app. n. 634).

Quam solidum laborem et quam continuam curam in muniendis per totum imperium viis Romani impenderint, non est quod longius exponamus; debebat autem haec cura in ea provincia, per quam exercitus in Hispanias et ulteriorem Galliam ducebantur, maximi esse momenti atque revera hic quoque tam solide constructa sunt itinera publica, ut post tot belli casus culturaeque soli mutationes hodie quoque viarum Aureliae et Domitiae tractus per longa spatia oculis possimus persequi. Incipiunt autem qui hodie extant lapides ab anno a. Ch. 12 (app. n. 619) et continuantur usque ad annum p. Ch. 435 (n. 625), atque nomina exhibent imperatorum Augusti, Tiberii, Claudii, Neronis, Antonini Pii, Maximini, Valeriani, Aureliani, Constantini, Theodosii denique et Valeriani, inter quae Antonini Pii et Constantini nomina per omnes tres vias occurrunt. Contra duarum viarum Alpinarum ne unum quidem lapidem miliarium traditum reperi.

Qua autem ratione munitio viarum publicarum in provincia facta sit, ex nostris monumentis non est perspicuum nec nisi ex Italicarum viarum exemplo et iuris auctoribus potest colligi. Unde videmus, factam esse munitionem viarum aut sumptu publico per redemptores, quibus opus faciendum collocabatur, aut muneris publici ratione sive personalis sive patrimonii. Patrimonii munus erat, si sumptu possessorum, quorum agri viae adiacebant, munitio instituebatur ita, ut certae summae ad tutelam viae impendendae ab iis exigerentur, quae si non sufficiebant, publice quae deerant explerentur.[17] Summa autem viarum publicarum cura in Italia mandabatur viris praetoriis, singulis singulae viae[18]), in provinciis haud dubie ipsis praesidibus provinciae, eiusque curatorum generis erat, opus facien-

17) Sic. Flaccus ed. Lachm. p. 146. Mommsen, Inscript. Neap. 6287.

18) Cfr. Borghesi, Burbuleio p. 28—35.

dum vel redemptoribus collocare, vel possessoribus distribuere. Personale deinde munus erat eorum, quibus non nisi custodia mandabatur operis publico sumptu faciendi, idque si iuris auctores sequeris, frequentior videtur fuisse usus; distributionem autem eius muneris ex iisdem auctoribus apparet per summum curatorem non singulis esse factum, sed municipiis, quae sui territorii partem singulis possessoribus distribuerent[19]), et ex hac operis distributione videtur explicandum, quod lapidum numerandorum ratio per singulos tractus parum sibi constat. Procedebat numerorum ordo in via Aurelia a Foro Iulii ad Aquas Sextias, sed inter Arelatem et Aquas ab Arelate. In via Domitia autem videmus sub Tiberio quidem numerari a Narbone utramque versus partem, contra sub Antonino Pio inter Narbonem et Nemausum a Nemauso.[20]) Denique secundum Rhodanum a Vienna numeri procedebant aeque Lugudunum ac Valentiam versus, a Valentia vero novus ordo incipit Tarasconem versus. — Quae omnia cum ad ipsam viam pertinerent, mansiones utique, quae secundum vias publicas erant constitutae, cum omni apparatu solebant sumptu publico fieri, nec nisi custodia faciendi operis provincialibus muneris instar poterat iniungi.[21])

Reliqua operum publicorum cura cum, quaecunque in municipiorum usum fiebant, ab his deberet curari, minimi erat momenti neque comprehendebat nisi ea aedificia, quae magistratuum publicorum usui inserviebant. Extruebantur autem haec quoque ex ordinariis provinciae reditibus, sed ita, ut cura

---

19) De personali munere agunt hi loci: l. 1 §. 2 Dig. de muner. et honor. (50, 4): *personalia civilia sunt munera defensio civitatis — publicae viae munitiones* etc. l. 18 §. 7: *qui ad faciendas vias eligi solent, cum nihil de proprio patrimonio in hoc munus conferant* — (sc. personali munere funguntur). Contra si l. 18 §. 15 dicitur: *si aliquis fuerit electus, ut compellat eos, qui prope viam publicam possident, sternere viam, personale munus est,* aperte hoc loco ambo continentur munerum genera, personale compellentium, patrimonii sternentium. Ad distributionem operis pertinet l. 14 §. 2 eiusd. tituli: *viarum munitiones, praediorum collationes non personae, sed locorum munera sunt.*

20) Hoc quoque testari videtur increscentem secundo saeculo Nemausi magnitudinem et honorem. cfr. supra p. 170.

21) Cfr. locum in nota insequenti citatum.

operis pro personali munere mandaretur municipibus earum civitatum, in quibus erant.[22])

B. De cura redituum et distributione munerum onerumque publicorum.[23])

Fundamentum administrandorum provinciae nostrae redituum erant tabulae census ab Augusto anno a. Ch. 27 per Gallias acti. Verum est, eos qui de hac re dicunt scriptores[24]) non nisi ulterioris Galliae mentionem facere, sed Narbonensis quoque censum illo anno esse perfectum et per se verisimile est et inde apparet, quod orbis illa descriptio, quae ad usum census a Iulio Caesare incepta, ab Augusto perfecta est, in partibus occidentis, cuius erat universa Gallia, eo ipso anno ad finem est perducta; quod autem ulterior tantum Gallia commemoratur, inde facile explicaveris, quod in tribus illis provinciis tum primum hoc institutum legitime est peractum et multo maioris momenti erat quam in Gallia meridionali. Ex illa vero descriptione quae ad usum vectigalium publicorum desumpta est census formula, primo loco continebat numerum capitum sive iugorum, ex quibus composita erant singula provinciae territoria singulorumque possessorum bona, appositis bonorum pretiis, computatione autem ita facta, ut singula capita essent centenorum milium sestertiorum respecta agrorum qualitate et pecunia ad colendos agros impendenda; secundo loco ea formula continebat nomina mercatorum artificumque et reliquorum, qui possessores non erant, rem tamen habebant familiarem, tertio denique loco capita eorum, qui neque agri neque rei familiaris possessionem poterant profiteri. Cuius formulae pars perpetua erat numerus agrorum, reliqua omnia, singulae possessiones, pecuniae mercatorum artificumque, numerus hominum tertiae

22) L. 18 §. 10 Dig. de muner. (50, 4): *hi, qui curatores ad extruenda vel reficienda aedificia publica sive palatia sive navalia vel mansiones destinantur, si pecuniam publicam in operis fabricam erogent, muneribus personalibus astringuntur.*

23) De his, quae hic sequuntur cfr. Huschke, Census und Steuerverfassung der früheren Kaiserzeit. Berlin 1847. Marquardt, Handb. d. roem. Alterth. 3, 2, 163 sqq.

24) Liv. epit. 136. Dio 53, 22.

classis continuis vicibus erant obnoxia, ideoque de his rebus post certum annorum numerum i. e. ut videtur primum quinto, postea decimo quoque anno renovabantur professiones.[25])

Quo modo constituta formula censuali praescribebatur, quantum tributi pro singulis iugis, quanta rei familiaris pars, quantum pro singulis hominibus esset pendendum; quorum tributorum primum dicebatur tributum soli, duo reliqua tributa capitis.[26]) Praeterea ad tributum soli accedebant in usum magistratuum exercituumque annonae sive certus modus redituum agrorum naturalium, frumenti, vini, olei aliarumque rerum, quae vitae quotidianae usui inserviebant, sicut velorum et lini, quas res Gallicis provinciis impositas esse diserte testatur Plinius.[27]) Modus autem tributi de nullo genere traditur neque omni tempore erat idem.

His, quae recensuimus tributis obnoxiae erant omnes provinciae et senatus sive populi et Caesaris, atque quamquam populi provincias nomine stipendiariarum distingui invenimus a provinciis Caesaris ut tributariis, tamen aliud quam nominis discrimen id fuisse non potest probari neque alia ex caussa videtur esse natum, quam quod liberae reipublicae tempore tributum provinciis populi Romani impositum appellabatur stipendium.[28]) In ipsa autem provincia nostra tributis soli capitisque pariter subiecta erant et oppida civium Romanorum et coloniae Latinae, exceptae autem Massilia, civitas libera et immunis, et Vienna, ex quo tempore iuris erat Italici. Neque enim personis, sed solo adstricta erant et tributa et tributorum

25) Cfr. tributa in quinquennium remissa Tac. ann. 2, 47. 12, 58. 63. L. 4 pr. de cens. (50, 15): *forma censuali cavetur, ut agri sic in censum referantur: nomen fundi cuiusque et in qua civitate, et quo pago sit et quos duos vicinos proximos habeat, et id arvum, quod in decem annos proximos satum erit, quot iugerum sit* etc. — Cfr. etiam Marquardt l. c. 3, 2, 181 n. 963—66.

26) Cfr. Marquardt l. c. 3, 2, 187.

27) Plin. hist. nat. 19, 2. De annonis cellariisque magistratuum cfr. Trebell. Poll. Div. Claud. 14. 15. Vopisc. Prob. 4. Aurel. 9.

28) Gaius inst. 2, 21: *In eadem caussa sunt provincialia praedia, quorum alia stipendiaria, alia tributaria vocamus: stipendiaria sunt ea, quae in his provinciis sunt, quae propriae populi Romani esse intelleguntur, tributaria sunt ea, quae in his provinciis sunt, quae propriae Caesaris esse creduntur.*

immunitates, colonias autem iuris Italici vidimus fictione quadam immunitate usas esse soli Italici.

Levabantur tributa et soli et capitis a magistratibus populi Romani hoc modo, ut penes proconsulem esset suprema distribuendorum tributorum cura et iurisdictio de rebus ad aerarium provinciale pertinentibus, penes quaestorem cura accipiendi, quae redibant, et cura tabularum tributorum acceptorum. Annonae vero maior utique pars dependebatur procuratori Caesaris, non quaestori, nam quae huius generis exigebantur in usum magistratuum, cohortis praetoriae, praesidii in provincia constituti, multo minora erant quam quae ad usum exercituum transeuntium erant pendenda. Itaque videmus peculiarem procuratorem annonae esse institutum, cuius erat per Narbonensem et Liguriam annonarias collationes administrare et quae per duas has regiones extabant horrea custodire (app. n. 323).

A tributis soli capitisque diversa aeque ratione personarum ac ratione arcae, cui dependebatur, est vicesima hereditatum et legatorum, quam lege Iulia Augusti anno p. Ch. 6 civibus Romanis qui ubique erant constat ea condicione esse impositam, ut, quaecunque hereditates legataque non heredibus obvenirent proximo propinquorum iure mortuo iunctis, illi vectigali essent obnoxia, et hoc quidem tributo neque Viennenses erant liberati neque qui Massiliae degebant cives Romani. Conferebatur autem vicesima in aerarium militare et administrabatur ab eodem procuratore per duas provincias Narbonensem et Aquitaniam constituto (app. n. 672 sq). — Contra stationem vicesimae libertatis sive manumissionum, quod libertis imponebatur vectigal, ad solam Narbonensem pertinuisse, videmus ex inscriptione n. 567. Cui id mandatum erat, procurator quae accipiebat Romam conferebat in fiscum libertatis et peculiorum, quae pars erat fisci Caesaris. — Stationibus deinde vectigalium vicesimarum libertatis et hereditatum adiciendam esse stationem patrimonii Caesaris, concludi potest ex titulo procuratorum, qui simpliciter dicuntur provinciae Narbonensis non apposita indicatione vectigalis vel reditus administrandi (669—671) et ex tabellariorum Caesaris collegio, quod Narbone habemus constitutum in inscriptione n. 59. Namque cum hi tabellarii neque cohorti praetoriae proconsulis possint adnumerari, ut qui dicantur esse Caesaris, neque cer-

tam aliquam indicent stationem fisci, haud dubie ad tabularium eius stationis pertinebant, quae proprie Caesaris erat, sive ad stationem patrimonii. Neque minus Caesaris erant ferrariae illae ripae dextrae, quarum conductor dicitur Tib. Iunius Fadianus, sevir coloniae Narbonensis (app. n. 50), at num omnino earum ferrariarum pars fuerit in nostra provincia, dubium est, neque inde, quod Narbone degebat unus ex conductoribus, quidquam potest concludi. Denique ne praetermittamus illud vectigal, quod, etiamsi loco stationum procuratoriarum alienum erat a Narbonensi, haud mediocre tamen onus huic provinciae constituebat, quadragesimam scilicet Galliarum, exactam ex omnibus mercibus, quae aut e Narbonensi Gallia in ulteriorem aut e tribus provinciis in Narbonensem perveniebant. Ex cuius vectigalis stationibus, quae per omnia itinera publica pone fines provinciae constitutae erant, duas possumus indicare Lugudunum Convenarum ad fines Aquitanicos (app. n. 269) et stationem Ad Publicanos dictam ad fines Allobrogum (itin. p. 346 cfr. supra p. 146 sq.). Administratio autem eius tributi ratione loci tota pertinebat ad Galliam ulteriorem.

Habemus igitur in nostra provincia triplicem arcam, cui quae redibant vectigalia, inferebantur, aerarium publicum populi Romani sive aerarium Saturni, aerarium militare, fiscum Caesaris. Ex quibus longe maximi negotii erat arca prima, ut in quam tributa soli capitisque dependerentur; attamen et huius et reliquarum in provincia satis simplex erat administrationis apparatus: neque enim per publicos exactores aerariive sumptu propriove labore tributa quaestor exigebat, sed divisis a proconsule ex forma censuali per singula territoria tributis municipiorum erat eam, quae cuique attributa erat, summam aerario pendere, singula autem singulorum tributa propria cura exigere. Neque alia ratione utebatur procurator annonae, cum quae is quoque exigebat pendebant ex forma censuali singulorum municipiorum. Sola vicesimae hereditatum administratio alia erat neque vero minus simplex: locabant enim eam procuratores publicanis, unde facilius poterat fieri, ut unus procurator duabus sufficeret provinciis. Quod autem sunt qui putent, vicesimam quoque libertatis locatam esse publicanis, id vix acceperim, cum non intellegam, qua ratione pro una provincia computare potuerint publicani summam locationis in ea re, quae mere a singulorum

voluntate pendebat.[29]) Ad patrimonium denique quae pertinebant negotia, eorum privata erat ratio et aliena a re provinciali vel municipali.

At ut simplex et facilis magistratibus publicis, ita gravis et onerosa municipiis erat ea ratio, ut qua munus efficeretur et molestissimum et quod facile rem familiarem eius destrueret, qui fungebatur. Minoris quidem negotii nec sine aliqua aequitatis specie erat, quod ad acceptandas professiones censuales a proconsule homines municipales adhibebantur[30]); verum longe alia ratio erat, quod iubebantur decuriones nominare ex municipibus exactorem tributorum, cui et personale munus iniungeretur exigendi singula singulorum tributa et munus patrimonii de suo sustinendi, quaecunque non a singulis tributariis exegisset, quod deinde, si is exactor damno sustinendo non par erat, decuriones qui nominaverant, resarciendo damno fiscali obligabantur, quod denique dura haec lex adhibebatur ad tributa soli, capitis, annonae.[31]) Et quod quidem onera mere municipalia ditiorum et honoratorum municipum partim liberalitati permittebantur partim bonis imponebantur, id et ipsum quidem erat perversum, quoniam ad onera sustinenda non omni tempore praesto est voluntas et patriae amor et honores nimis onerati brevi suas perdunt illecebras neque omnino certa onera ratione tam incerta debent distribui; at poterat saltem videri accendi hoc modo quaedam municipum inter se aemulatio et officium

29) Quod Orell. 3339 in Italia invenimus *socios* vicesimae libertatis, non obstat quominus in provincia non fuerint; nam quo quae maior erat regio et quo ditiores homines ibi degebant, eo facilius ex eiusmodi negotio magni reditus poterant sperari; qui vero in nostra provincia (app. n. 567) dicitur *publ. XX libertat(is)*, non publ*icanus* est, ut putat Bimard, sed publ*icus*.

30) L. 18 §. 16 Dig. de muner. (50, 4): *qui acceptandis sive suscipiendis censualibus professionibus destinantur, ad personalis muneris sollicitudinem animum intendunt.*

31) L. 18 §. 26 Dig. de muner. (50, 4): *tributa exigentes et corporale ministerium gerunt et — fiscalia detrimenta resarciunt, ut merito inter mixta hoc munus numerari debeat;* §. 27: *si — annonam exigentes desertorum praediorum damna sustineant, mixtorum (munerum) definitione continebuntur.* l. 3 §. 11: *exactionem tributorum onus patrimonii esse constat.* §. 12: *cura frumenti comparandi munus est et ab eo aetas septuaginta annorum vel numerus quinque incolumium liberorum excusat.*

compensari honore. Sed in illo tributa exigendi munere nulla erat excusatio, et quidquid universa illa munerum ratio perversi habet et onerosi, hoc instituto noxiam suam vim plenissime exercebat. Verum est, non uni alicui impositum esse munus generale exigendorum tributorum, sed singulis capitibus singuli exactores videntur esse praepositi itemque annonae varia genera pluribus personis distributa, atque iubebantur praesides provinciarum providere, ut aequaliter per vices iniungerentur munera, ne sine discrimine et frequenter iisdem oppressis simul viris et viribus respublicae destituerentur[32], at quo pluribus divisa, eo plus damni inferebant ea onera municipiorum statui, ubi primum graviora coeperant esse quam quae possent commode sustineri. Iam vero adde muneribus mere municipalibus et muneri exigendorum tributorum multitudinem munerum publicorum et personae et patrimonii, iniunctam possessoribus viarum munitionem, productionem tironum sive equorum, res pervehendas, hospites publice recipiendos, auxilia omnis generis exercitibus per provincias proficiscentibus praestanda et quae alia eiusmodi in titulo illo Digestorum de muneribus et honoribus (50, 4) recensentur, considera, quod haec omnia primo loco premebant decuriones, quod, postquam ditissimus quisque ad honores urbanos promotus ab oneribus municipalibus est exemptus, numerus eorum qui muneribus obligati erant imminutus est eodem tempore, quo aucto externo oppidorum splendore per ludorum apparatum onera illa increscerent, neque iam mireris, quod iam Traiani aetate inviti fiunt decuriones[33], quod Ulpiani tempore non petuntur, sed iniunguntur honores[34], quod fuga munerum, fuga decurionatus honorumque, fuga denique ipsorum patrimoniorum, ut quibus inhaererent munera honoresque, grassari coepit per municipia. Certo quae et totius imperii et singulorum oppidorum flagitabat administratio, ea sub bonis principibus et in pacato prorsus imperio, cuius exercitus si cum nostrae aetatis copiis militaribus confers vix nimis magnos appellaveris, non tam onerosa erant, ut tolerari non

---

32) L. 3 §. 15 Dig. de muner. (50, 4).
33) Plin. epist. 10, 113.
34) L. 3 §§. 15. 17 Dig. de muner.

possent a felicissimis et fertilissimis terris; quin etiam onera illa, si, ut legitime debebant, et sapienter dividebantur et in computandis tributorum partibus respiciebantur [35]), quamvis noxia fuerit ea ratio, vix tamen penitus destruxissent statum municipiorum: sola perversa exigendi ratio intolerabilem reddidit statum et industriam et laborem ac rei familiaris augendae curam ex iisdem generibus hominum sustulit, quae in provinciis recens subiectis ad industriam et laborem evocata et solidi totius imperii fundamenti instar creata quasi erant priorum Caesarum institutis municipalibus. Inde factum est, ut iam sub optimo principe Traiano languesceret hominum illius aetatis vigor, evanescerent publicae vitae et municipalis honoris illecebrae, quibus perditam libertatem, perditam veterem patriam compensare studuerant provincialibus Caesar et Augustus, ut iam tum manifesto declives essent imperii Romani provinciae. Putaveris fortasse provincias populi Romani sive senatus, quoniam inermes erant neque exercitus sustinebant, minus gravi onere esse oneratos: at leviorem fuisse administrationem Caesaris et disertis docemur exemplis provinciarum Achaiae Macedoniaeque et Bithyniae [36]), et ex ipsa rei natura apparet: primum enim annuorum magistratuum imperium gravius utique erat quam legatorum Augusti, qui per plures annos provincias regebant, deinde si qua provincia inermis ab annona exercitui perpetuo praestanda libera erat, haud dubie maiore onerabatur tributo soli, denique ipse ille duplex quaestoris et procuratorum magistratus in provinciis senatoriis onera augebat. Revera autem mutationem illam status municipiorum totum invasisse imperium videmus ex iis quae iam sequuntur, ex ratione scilicet curae oppidorum, quae certo instituto expressam repraesentat illam

35) Hoc intercessisse probari mihi videtur loco Ammiani Marcellini 16, 5: (Iulianus) *primitus partes eas* (sc. Galliam) *ingressus pro capitibus singulis, tributi nomine vicenos quinos aureos reperit flagitari: discedens vero septenos tantum, munera universa complentes.*

36) Tac. annal. 1, 76: *Achaiam ac Macedoniam onera deprecantes levari in praesens proconsulari imperio tradique Caesari placuit.* Eandem caussam constat fuisse receptae a Traiano in suam administrationem provinciae Bithyniae; de oppidorum Bithyniae sub proconsulibus statu cfr. Plin. epist. 10, 20: *rationes inprimis tibi rerum publicarum excutiendae sunt; nam esse eas vexatas satis constat.*

imperii Romani, quale inde ab aetate Traiani esse coepit, imaginem.

C. De cura oppidorum.

Qui nostrorum institutorum rationem confert, miretur haud dubie, quod municipale ius, quale a primis imperatoribus ordinatum est, largissimam hominibus municipalibus concesserit libertatem suas res administrandi. Liberam fuisse vidimus electionem magistratuum nec nisi legitimis quibusdam condicionibus adstrictam aequis atque utilibus, liberam rei communis administrationem, liberam et satis largam illam, quae municipalibus magistratibus concessa erat, iurisdictionem; neque publicorum in provincia magistratuum intererat, sua negotia augere immiscendo se municipiorum rebus internis. Ex una tantum condicione pendebat haec libertas, ut salvi essent reditus publici, salva commoda imperii. At haec condicio, quae ipsa rerum natura videtur flagitari, ubi primum coeperunt imperatores metuere, ne neglegeretur et cavere, ut tuta esset, effecit, ut paullatim omnis illa everteretur prioris temporis libertas. Primus autem intentiorem singulorum oppidorum curam custodiamque publice instituisse et partim praesidibus partim propriis novis magistratibus mandasse videtur Traianus, sive quod revera eius aetate minus rite satisfieri coepit illi condicioni, sive quod non satis esse videbatur imperatori, ipsos tantum cuiusque anni reditus accipi neque respici, num municipiorum status is esset, unde tuta in futurum quoque foret respublica. Et rectorum provinciarum in hac re officia perspicias ex iis, quae de Bithyniae civitatibus Plinius iniungit Traiano[37]), unde simul apparet et ante Traianum iuteriorem civitatum provincialium administrationem parum curasse proconsules et primum Traianum diligentiorem harum rerum curam praesidibus praescripsisse. Atque eodem modo postea Ulpianus proconsuli iniungit, si in quam civitatem pervenerit, aedes sacras et opera publica circumeat inspiciendi gratia an sarta tecta sint vel an indigeant aliqua refectione, et si qua coepta sint, curet ut consummentur, prout vires eius reipublicae permittant, curatores deinde operum dili-

37) Plin. epist. lib. 10 passim.

gentes solenniter praeponat, ministeria quoque militaria si opus fuerit ad curatores adiuvandos det.[38])

At multo maioris momenti erat, quod sub eodem Traiano, ut videtur, proprii curatores rebus publicis coeperunt institui, qui administrationis curam susciperent.[39]) Hos curatores, qui probe distinguendi sunt a curatoribus municipalibus ludorum, pecuniae publicae operumque publicorum constat esse nominatos ab ipso imperatore in utroque provinciarum genere, ut sive singularum sive plurium urbium singuli curam susciperent, eiusque curam maximam partem fuisse rationes pecuniae communis civitatum exigendas, formam censualem custodiendam, denique cum prope nulla rei municipalis pars aliena esset a pecuniae rationibus, generalem custodiam status reipublicae, quae eo processit, ut Bovillis anno p. Ch. 157 videamus ne comitia quidem magistratuum creandorum caussa haberi nisi consentiente curatore. Ceterum curatores non opus erat domicilium haberent in iis civitatibus, quarum curam susceperant ideoque non solum plurium oppidorum eodem tempore erant curatores, sed quo quis tempore curator erat, eodem publicum Romae magistratum poterat gerere. Nominabantur autem rarissime quidem ex ipsis municipibus, raro ex municipibus vicinae civitatis, plerumque sive ex equitibus Romanis sive ex magistratibus publicis et quaestoriis et, id quod frequentius invenitur, ex praetoriis, quin etiam ex consularibus, atque nominabantur et in breve certum tempus et in complures annos.[40])

Unde nemo non videt curatores contrarias partes agere patronorum. Patronus caussam municipii agit apud imperatorem, curator caussam imperatoris et imperii in municipio; uterque solet eligi ex summis imperii ordinibus, uterque vacuum quendam in administratione imperii locum extraordinario munere explet: patroni senatorii ab omnibus imperii oppidls suf-

---

38) L. 7 Dig. de off. procons. (1, 16).

39) De curatoribus rerum publicarum conferendus est Henzen, Ann. dell' Inst. archeol. 1851. p. 5 sqq.

40) Capitol. vit. M. Aurel. c. 11: *Curatores multis civitatibus, quo latius senatorias tenderet dignitates, e senatu dedit.* Videmus autem ex inscriptionibus, et iam ante M. Aurelium viros senatorios et post eum equites Romanos curatores fuisse.

fragiis municipum electi constituunt unius corporis quandam imaginem, per quod singulae imperii partes coram imperatore suam voluntatem possint exprimere, suam caussam agere; curatores singulis oppidis impositi per Italiam et provincias in auxilium administrationis publicae sunt instituti, cui intentius agendae terni quaternive cuiusque provinciae magistratus nullo modo poterant sufficere. At cum neutrum eorum institutorum legitimo continuoque imperii ordini ut necessaria pars adaptaretur, neutrum consilio, cui debebat inservire, suffecit; nam neque patroni neque curatores impediverunt eam, quae tertio saeculo per omne imperium grassabatur, ruinam civitatum et provinciarum.

Ex provincia Narbonensi ad illustrandum curatorum institutum tria tantum habeo quae afferam exempla. Ex quibus primo loco et temporis et claritudinis ratione ponendus est L. Burbuleius L. f. Quirina Optatus Ligarianus (n. 675), quem Bart. Borghesi [41]) probavit praetura functum esse anno p. Ch. 117, ex praetura autem sive anno 118 curatorem fuisse viarum eodemque tempore curatorem rerum publicarum Narbonis Martii, Anconae, Tarracinae. Quem sequitur M. Pontius M. f. Pupinia Laelianus Larcius Sabinus (n. 664), curator civitatis Arausiensis, qui cum consul esset anno p. Ch. 163, curatoris autem munere item ex praetura fungeretur, primis Antonini Pii annis curam illam videtur suscepisse, cui officio eo magis erat idoneus, quod antea quaesturam gesserat provinciae Narbonensis. Claudit agmen curator civitatis Aveniensis et ipse vir praetorius, sed nominis et temporis incerti (n. 363). Recedunt igitur in nostra provincia curatores prope usque ad ipsius Traiani aetatem, atque viri senatorii hic quoque id munus gesserunt ante M. Aurelium.

D. De sacris provincialibus.

Huc primum pertinet quaedam sacrorum cura a proconsule agenda; cuius partes videmus esse vota a proconsule cum pro-

41) Borghesi omnium magistratuum a Burbuleio gestorum ordinem insigni modo illustravit libello illo: Memoria sopra un' iscrizione del console L. Burbuleio. Napoli 1837.

vincialibus die imperii natali aliisque diebus solennibus pro incolumitate principis et suscipienda et solvenda, iusiurandum, quod imperatori provinciales praestabant, accipiendum[42]), feriae secundum mores provincialium et consuetudinem, quae retro obtinuit, dandae, aedium sacrarum status inspiciendus.[43]) — At maioris momenti erat ea sacrorum provincialium pars, quae per legitimum provinciae concilium fiebat praeeunte non proconsule sed sacerdote provinciae. Invenimus in lapidibus nostris flamines commemorari provinciae Narbonensis, variorum oppidorum municipes, Q. Trebellium Q. f. Tolosanum (n. 267), Sex. Attium Sex. f. (Cr)eticum Viennensem (n. 501), Q. Solonium Q. fil. Severinum (n. 106) et L. Sammium P. fil. Eutycianum (n. 107) Nemausenses, ex quibus prior, cum IIIIvir ab aerario fuerit, non ultra medium primum p. Ch. saeculum recedit, alter cum archiereus sit synodi Hadrianeae, ad huius imperatoris tempus pertinet; quibus, si confers, Q. Trebellium illum vocari flaminem *primum* provinciae Narbonensis, adicias C. Batonium (n. 7), qui pro salute imperatorum Septimii Severi et Caracallae anno p. Ch. 199 taurobolium provinciae Narbonensis faciens dicitur flamen primus Augusti vel Augustorum; neque minus coniectura adicimus Sex. Fadium Papiria Secundum Narbonensem (n. 18), cuius titulus pertinet ad annum p. Ch. 149, C. Iunium Priscum, duumvirum iuridicundo Arelatensem (n. 325), ... minium . . . . . anum Nemausensem (n. 108). Qui omnes excepto C. Batonio, de cuius dignitate tacet lapis, aut summos in patria sua honores municipales ante hoc flaminium gesserunt aut homines sunt, qui supra municipalis dignitatis gradum elati ad equitum equo publico ordinem vel usque ad consulatum pervenerunt. Iam vero si conferimus inscriptiones sacerdotum provinciarum vicinarum Galliae ulterioris[44]) Hispaniaeque citerioris[45]), videmus legatos singularum civitatum certis temporibus e Galliae ulterioris tribus provinciis Lugudunum ad aram Romae

42) Plin. ep. 10, 45. 49. 100. 102.

43) L. 7 pr. §. 1 Dig. de off. procons. (1, 16).

44) Boissieu, Inscriptions de Lyon p. 84 sqq.

45) Henzen, ind. ad Orell. p. 48. Hübner, Ber. der Akad. der Wissensch. in Berlin 1860, p. 238 sq.

et Divi Augusti, quae erat ad confluentes Araris et Rhodani[46]), ex Hispania citeriore Tarraconem[47]) convenisse ad templum Augusti ibique habito concilio nominasse unum, qui dicebatur flamen provinciae sive, quod superior erat omnibus reliquis flaminibus, flamen primus provinciae; indeque eodem modo censemus convenisse legatos provinciae Narbonensis certis temporibus Narbonem Martium, ubi, idque haud dubie item ad aedem Augusti, C. Batonium videmus rem sacram facere pro provincia, et ibi quoque concilium habuisse et flaminem nominasse, quae nominatio, si conferre licet instituta provinciarum orientis, ita solebat fieri, ut qui nominatus erat, confirmari deberet consensu proconsulis.[48]) Deinde cum flamines Hispanici dicantur esse Divorum et Augustorum sacerdotes, cum ubique id concilium haberetur ad templa Augusti, cum C. Batonium videamus dici primum flaminem Augustorum et pro imperatorum salute tauroboliam facere, concludimus, sicut singulorum oppidorum flamines, ita hoc quoque flaminium provinciale institutum esse ad solum cultum domus Augustae Divorumque eoque modo sicut singula oppida, ita totam provinciam sollenni modo adstrictam esse venerationi et ipsius imperatoris et totius domus imperatoriae. Quoties convenerint illa concilia, de provinciis occidentalibus non est traditum, sed licet fortasse ad eas adhibere exemplum conciliorum orientis, quae conveniebant quinto quoque anno; unde concludi potest[49]), flamines quoque illos fuisse in quinquennium creatos; at etiam post gestum flaminium dignitatem inde evenisse perpetuam videmus ex Q. Trebellii Rufi titulo (n. 267), ubi is honor una cum consulari dignitate omnibus reliquis honoribus praeponitur.

At his concillis nonne aliae quoque res permittebantur

---

46) Boissieu loc. cit.

47) Cfr. Tac. ann. 1, 78: *templum ut in colonia Tarraconensi strueretur Augusto petentibus Hispanis permissum datumque in omnes provincias exemplum.* Spart. vit. Hadr. c. 12: *post haec Hispanias petiit et Tarracone hiemavit: ubi sumtu suo aedem Augusti restituit, omnibus Hispanis Tarraconem in conventum vocatis, delectumque iocalariter — detrectantibus Italicis vehementissime, ceteris prudenter et caute consuluit.*

48) Cfr. Marquardt, Handb. der roem Alterth. 3, 1, 271 n. 1877.

49) Marquardt ibid. p. 268 n. 1851.

quam sacra pro imperatore facienda? Ex aliarum provinciarum exemplo scimus, iunctos esse rei sacrae ludos solemnes decretasque ab his legatis statuas provinciae nomine viris insignibus ponendas[50]; at, id quod maioris momenti videtur esse, scimus etiam, ab iisdem conciliis decreta facta esse de laudatione et accusatione proconsulum.[51] Cui iuri laudandorum aut accusandorum magistratuum si confers conventum illum ab Hadriano Tarracone habitum[52], ubi de delectu cum legatis provinciarum actum est, et, ut usque ad Augustum recedamus, conventum ab hoc imperatore ex omnibus Galliis Narbonem census agendi caussa convocatum[53], putaveris ne Romano quidem imperio defuisse institutum conciliorum provincialium compositorum ex viris a provinciae municipiis delegatis, quorum fuerit deliberare et decernere de publica provinciae administratione, enuntiare provincialium desideria, moderari quodammodo publicorum magistratuum imperio. Attamen hoc modo qui iudicat, vereor ne longius a vero aberraverit: nam primum quidem distinguenda sunt concilia ordinaria quinquennalia a conventibus illis extraordinariis ab Augusto et Hadriano semel habitis. Quos Augustus et Hadrianus convocarunt principes Galliarum et Hispaniarum, eorum nullo modo fuit, decreta facere ullius generis, sed partim et ipsi ad honorandos venerandosque imperatores hac occasione sunt adacti, partim ad ordinandum in longa temporis spatia censum delectumque ita adhibiti, ut instrumenta essent publicae administrationis; de quibus rebus dum agebant cum imperatoribus, fieri quidem non potuit, quin suae quisque gentis condicionem exponens ab oneribus nimis gravibus suos studeret defendere, sed de decretis ab his conventibus factis nihil audimus neque ratio conveniendi ea erat, unde ius nasci posset decernendi. Contra concilia illa quinquennalia decernebant

50) Cfr. eas, quas Boissieu l. c. inscriptiones affert statuarum, quae a concilio trium Galliarum erant positae.

51) Marquardt l. c. 3, 1, 273—275; inprimis autem cfr. celeberrimam inscriptionem Toriniensem editam et explicatam a Mommseno in Bericht. der saechs. Gesellsch. der Wissensch. 1852, p. 235 sqq. et a Reniero in Mém. des antiq. de Franco t. 22 (1855) p. 38—59.

52) Cfr. supra not. 47.

53) Cfr. supra p. 96.

quidem, neque vero de censu delectuque neque de ullo speciali negotio publico, sed de rebus sacris, de ludis, de statuis, atque generaliter de laudibus aut accusatione proconsulum. Quod laudandi aut accusandi ius neque publicum negotium fuisse negaverim neque dixerim, hoc ius omnino nullum fuisse, quod, ut ex monumento illo Toriniensi videmus[54]), facile laudationem acquirere, accusationem impedire poterant proconsules: namque impedito usu ipsum ius non tollitur. Verum concessum erat illud ius et appendicis ratione ad principalem caussam temere accedentis et servandi ordinis caussa, quia commodius videbatur, ubi primum omnino liceret provinciis, accusare apud imperatorem et senatum publicos magistratus, id legitimo alicui instituto iungere quam permittere provincialibus fuse et turbulenter decernentibus. Constituere vero haec concilia provincialia ratione corporis legitimi, quod certis temporibus convocatum sive decernendo sive tantum suadendo et preces enuntiando particeps esset consiliorum publicae administrationis, tam alienum erat ab institutis Romanis, ut nulli imperatorum unquam in mentem id veniret.[55])

54) Marm. Toriniens. inscript. lateris dextri vv. 14—26 (cfr. not. 51): *Cum A. Paulino, decessori meo, in concilio Galliarum instinctu quorundam, qui ab eo propter merita sua laesi videbantur, quasi ex consensu provinciae accusationem instituere temptarent, Solemnis iste meus proposito eorum restitit, provocatione scilicet interposita, quod patria eius, cum inter ceteros legatum suum creasset, nihil de accusatione mandassent* (sic), *immo contra laudassent. Qua ratione effectum est, ut omnes ab accusatione desisterent.*

55) In hac de conciliis provincialibus dissertatione consulto omisimus et quae alia de conciliis provinciarum post Constantinum habitis scimus et epistulam Honorii et Theodosii Augustorum anno 418 ad Agricolam praefectum Galliarum datam de conciliis septem provinciarum singulis annis ab Idibus Augustis ad Idus Septembres in metropolitana urbe Arelatensi habendis (Dom. Bouquet, Rer. Gall. script. I. p. 766 sq.). Non nego haec posteriora concilia similia fuisse prioribus; immo quamvis liberalem erga provinciales animum prae se ferat illa Augustorum epistula, dubito, num revera ius conciliorum posterioris aevi aliud fuerit quam ius accusandorum magistratuum publicorum: sublatae haud dubie sunt paganae in honorem Augustorum caerimoniae, quamquam alias non nimis anxios se praebebant im-

Attamen ut hoc loco, expositis singulis institutis de tota re provinciali possimus indicare, ad hanc potissimum de conciliis quaestionem oportet animum intendamus. Celebravimus supra Iulii Caesaris consilia ab Augusto stabilita et confirmata, provincias ad Italicum modum constituendi, beneficia civilis Italicorum vitae per omnem orbem propagandi et per civilia instituta populorum ulterius progressorum humanitatem cum barbaris gentibus communicandi, rationem denique habendi non tantum securitatis imperii et facilioris administrationis, sed etiam ipsorum provincialium; exposuimus, quae virtus in municipalibus potissimum fuerit institutis, quam celeriter per ea ad finem perducta sint primorum imperatorum illa consilia, vidimus, quo modo hac via duorum saeculorum spatio totus orbis Romanus compositus ex nationibus quam maxime inter se diversis eo pervenerit, ut unum corpus efficeret civium Romanorum iisdem legibus, moribus, eadem lingua coniunctorum. At vidimus etiam, eandem illam administrationem, quae tam salutarem exercebat effectum, adeo gravem evenisse provinciis, ut ipsa illa instituta municipalia, in quibus posita erat provinciarum prosperitas eodem tempore, quo ad propositum finem perduxerant, iam coepissent in peius verti ac destrui et postremo quasi sedes essent omnium malorum. Quod quomodo factum est? Quomodo evenit, ut non solum Graecam orbis Romani partem pridem emortuam, sed ipsius occidentis nationes per Iulii Caesaris instituta tamquam renatas iam secundo p. Ch. saeculo vires coepissent deficere? Evenit id, quia hae vires parum exercitae sunt, quia defuit institutum medium inter imperium et singula oppida, quod totam repraesentans provinciam aliquo modo par-

---

peratores Christiani de accipiendis honoribus divinis vel paganis; at quae accesserunt negotia, non iuris sed officii caussa videntur esse imposita. Nempe cum destructa prorsus re municipali singula oppida iam non sufficientia essent administrationis publicae instrumenta, hoc instrumenti officium transiit ad concilia provincialia, quae inde necessario maioris momenti quam antea coeperunt esse. At ob id ipsum cave, posteriora concilia confundas cum prioribus, ne ex illorum ratione concludas, sub prioribus quoque imperatoribus insigniorem inter administrationis publicae instituta locum obtinuisse concilia provincialia.

ticipem eam redderet administrationis publicae. Perpessae sunt nationes imperii Romani, non quasi suum expertae, salutarem illum legum Romanarum effectum, subierunt novi imperii beneficia non minus quam incommoda quasi extrinsecus imposita neque unquam desierunt publicam administrationem Romanam sentire tamquam onus devictis iniunctum. Non dixerim invitam Narbonensem passam esse instituta a Iulio Caesare liberaliter et large donata, neque negaverim, leges municipales, quae primo p. Ch. saeculo valebant, non satis amplam libertatem dedisse provincialibus proxima sua administrandi; neque a publica imperatorum administratione omnis aberat aequitatis studium et cura ipsarum provinciarum caussa suscepta, atque et patronorum illud institutum et venia illa data accusandi proconsules probat, interfuisse eorum, penes quos summum erat arbitrium, tueri subiectos ab administrantium iniuriis. At aliud est, publica instituta imposita non invitum recipere, aliud sponte capessere et libere colere et exercere; at proxima illa limitibus nimis angustis comprehensa erant, quam quae altiorem animis spiritum possent indere; at demptum patriae et liberi populi nomen non compensavit mera aequitas eaque temere exercita et ut ab initio parum certo stabilita, ita posteriore tempore prorsus sublata. Dixerunt, Romam iam evenisse communem omnium patriam, at revera non erat nisi eorum, qui ex municipali condicione in summos ordines transierant indeque imperandi erant participes, atque exempto insignissimo quoque ex condicione et municipali et provinciali reliquis eo magis restitit sola condicio parendi. Quae cum ita essent, nihil iam erat, quod impediret, quominus increscente administrationis publicae mole, quae natura sua ferebatur ad absumendam libertatem municipiorum, omnis rei municipalis apparatus merum instrumentum eveniret imperii. Potuisset id impediri, si provincialibus ultra municipale ius instituta concessa essent provincialia liberiora et per ea certa quaedam quamvis restricta in totius imperii administratione pars: verum ut omni tempore talia instituta difficillima in magnis imperiis sunt effectu, ita in antiquorum populorum institutis omnino locus non erat eiusmodi publicae potestatis partitioni. Dixeris satis novam fuisse et inauditam illam imperii Romani formam, qua totus comprehensus est or-

bis, ut iure flagitarentur nova instituta. At ubi duo tantum hucusque cognita erant genera nationum aut senescentium inter luxuriem et vitae delicatae satietatem aut prope intactarum altiore vitae cultu, duo tantum civitatum genera aut victricium aut devictarum, aut imperantium aut parentium, ubi instituta publica nonnisi aut singulis adstricta erant urbibus aut a civitatibus exercita barbaris fuse per vicos pagosque habitantibus, ubi vel inter populos longissimum vitae publicae usum expertos regni et libertatis nomina ita inter se indicabantur differre, ut conciliari nullo modo possent, quomodo inde unus novus populus potuit renasci novo et feliciori aevo inducendo aptus, quomodo imperium in partes dividi inter se aequales et propriis viribus et consiliis nitentes, quae inveniri ratio institutorum totius imperii regimen et singularum partium libertatem rite inter se exaequantium, qui locus omnino erat regno libertate et civium singulorum et provinciarum temperato. Denique quomodo tulisset unitas imperii partium liberam voluntatem, et nisi unum erat imperium, quomodo partes recens adiectae ad cultiorum nationum instituta poterant evehi?

Qui rerum status singulorum hominum ingenio non potuit mutari ideoque frustra in Caesaris Augustive consiliis tale quidquam quaesiveris. Quid quod demptis quibusdam privilegiis, quae paullatim sunt sublata, ipsa Italia vel post Caesarem quid erat nisi nomen inane, quod institutum legitimum iunxit inter se oppida Italica civitate Romana, lingua, moribus prorsus inter se aequalia? At quod ex illo imperii statu nasci potuit consilium, ex omnibus orbis tum cogniti partibus unum constituendi regnum, quod totius aevi antiqui cultum et humanitatem quasi una imagine exprimeret et posteris traderet, id natum est in ingenio Iulii Caesaris, atque ad excolendum ac perficiendum hoc consilium successores eius sive volentes et scientes sive nescii et inviti suam quisque partem contulerunt et deterrimus quisque non minime huic operi inservivit. Haec sola quidem sed vera et magna gloria est aetatis imperatoriae et administrationis ab imperio victis impositae, et qui depressus Tacitea illorum temporum accusatione tristi et lugubri imagini saevientium tyrannorum, ruentis in servitium nobilitatis, corruptae plebis urbanae laetius aliquod opponere desiderat spectaculum, exeat ex

urbe et confugiat in provincias occidentales visurus ibi non tam fastidiosum monumentorum theatralium splendorem quam modestiora lapidum inscriptorum monumenta, et collecturus inde, quae sub moribundi aevi superficie adhuc viguerint vires fructus proferentes non perituros.

II.

APPENDIX EPIGRAPHICA

AD PROVINCIAE NARBONENSIS

DESCRIPTIONEM PERTINENS.

In conficienda hac collectione epigraphica quae sequenda esset ratio, simpliciter praescribi nobis videbatur consilio, cui debet inservire: quae enim praecedit historica de provincia Narbonensi dissertatio, cum magna ex parte nitatur documentis epigraphicis, neque vero ulla extet sylloge omnium huius provinciae inscriptionum, ad quam remittantur, qui legunt, necesse erat, quaecunque pro documentis adhibitae sunt inscriptiones, in unum libellum coactae historicae expositioni subiungerentur. Et recipienda quidem erant hac collectione et omnia et sola ea, quae aliquo modo pro historicis documentis possent esse, unde consequitur, hanc syllogen, ad numerum inscriptionum quod attinet, ex una parte angustiorem sequi rationem quam corpora mere epigraphica ad unam aliquam regionem pertinentia, ex altera parte latiorem. Namque ut reiciendae erant, quaecunque mera nomina continent inscriptiones vulgares, ita recipiendae non solum, quae intra provinciae fines repertae sunt, sed etiam quae ad Narbonensis historiam institutaque pertinentes aliunde poterant repeti. Documenta autem historica non ii tantum tituli sunt, qui memorabiliores res gestas, homines insigniores, aliquam rei municipalis partem commemorant, sed etiam ii, qui tribum indicant, cui quis adscriptus est, sive qui nomina continent Gallica, deos commemorant Gallicos memorabiliores etc. Deinde cum longe maxima harum inscriptionum pars plus semel quidem publici iuris esset facta, sed ita, ut leges criticae parum diligenter solerent observari, ad unamquamque inscriptionem crisis epigraphica debuit adhiberi. Iam vero prima criticae artis lex est, ut quantum fieri potest, ad ultimos quasi fontes recedatur; quam ob rem cum occasio nobis esset ex Italia revertentibus anno 1861 Galliam

meridionalem visendi et duos saltem menses Maium et Iunium quamquam ne hos quidem integros his studiis ibi vacandi, oppida veteris Narbonensis peragrantes, quas iam ex libris collegeramus inscriptiones cum ipsis monumentis contulimus, quae autem incognita erant, quam diligentissime descripsimus. In hoc opere maxime eo adiuti sumus, quod in maioribus eius regionis oppidis fere omnibus musea iam instituta sunt, quo congeruntur, quaecunque loco moveri possunt monumenta antiquitatis, quod institutum, modo accurate notetur, unde quidque provenerit, quam commodum sit colligentibus, nemo non intellegit. Nihilo tamen minus fieri potuisse, ut fugerent nos monumenta historica quae fuissent recipienda, non negaverim, sed excusabit eiusmodi neglegentiam breve temporis spatium in singulis oppidis nobis concessum. Collectis autem tam ex libris quam ex monumentis hoc modo titulis quaerebatur, quomodo essent edendi, utrum, sicut moris est in magnis inscriptionum corporibus, litteris quadratis, servata versuum, quae in ipsis monumentis est dispositione, proposita quadam ipsius monumenti imagine, an simpliciore ratione, relicta, ut ita dicam, forma monumenti. Et illa quidem forma ut indicandis lacunis, exprimendis et diiudicandis supplementis, demonstrandae denique omni criticae rationi commodissima est, ita typis ei reddendae magnae obstant difficultates; praeterea ad eos tantum titulos rite potest adhiberi, qui revera ex ipsis monumentis descripti nec per multorum manus traditi ex libris sunt desumpti. Quibus caussis cum accedat, quod corpus inscriptionum Latinarum Berolinense destinatum colligendis omnibus universi orbis Romani inscriptionibus suo tempore syllogen comprehendet Gallicarum quoque inscriptionum plenissimam et omnibus illis criticae artis auxiliis et ornamentis instructam, ad quam quicunque ad usus criticos et ratione artis merae epigraphicae huius provinciae inscriptiones cognituri sunt, utique debebunt recurrere, abiecimus consilium edendi hos titulos nostros ad rationem corporum epigraphicorum et modestiorem formam adoptantes id potius nobis proposuimus, ut sicut scriptores veteres ex codicibus manuscriptis desumpti

litterarum formis non antiquis sed hodiernis eduntur, ita tituli quoque nostri vulgari librorum nostrorum scriptura sive litteris minoribus redderentur; eademque ratione, quemadmodum quae in codicibus inveniuntur scripturae compendia, litterarum nexus, notae singulares in nostris scriptorum editionibus non redduntur, ita ne nos quidem has scripturae minutias observavimus, singula vocabula omnibus litteris perscripsimus, litterarum nexus dissolvimus, pro notis ipsa verba posuimus, versibus usi sumus continuis, lacunas, quantum potuimus, explevimus, ita tamen, ut indicata versuum distributione, indicatis per scripturae varietatem lacunarum supplementis et compendiorum notarumque solutione, servata longa I littera, appositis apicibus unicuique liceret, exceptis litterarum nexibus et iis, quibus singula vocabula in monumentis separari solent, punctis ad archetypon vel ipsius monumenti vel libri, qui suppeditavit, unamquamque restituere inscriptionem et, si quid minus bene suppletum correctumve iudicat, suo ingenio melius supplere et corrigere. Praeterea singulos titulos praecedit indicatio loci, ubi sit repertus ubive nunc conservetur, sequitur brevis adnotatio tam critica quam commentans et breviter explicans ea, quae non in priore huius libri parte suam habent explicationem. Qua ratione artis epigraphicae leges conciliasse nobis videmur cum commodo eorum, qui hoc libro sunt usuri. — Spurias inscriptiones, quae in hac quoque provincia, quamquam non frequentiores, extant et Marii Iuliique Caesaris praesertim nomina tendunt illustrare, omisimus, hanc critici officii partem a nostro consilio alienam iudicantes.

Ordinem generalem, ut natura fert, secuti geographicum oppida eodem modo disposuimus atque in principalis libri descriptione territoriorum (I. p. 122 sqq.), adiunctis cuique oppido titulis locorum contributorum. Oppidorum inscriptiones sequuntur lapides miliarii per vias ordinati et catalogus magistratuum publicorum, qui post Augustum in provincia fuerunt. In singulis deinde oppidis is inscriptionum est ordo, ut praepositos reliquis imperatores sequantur magistratus publici, universi corporis municipalis nomen,

ordo decurionum, magistratus municipales, apparitores et servi municipiorum, procedant deinde varii militum ordines, municipes simpliciter tribum profitentes, incolae ingenui, claudant agmen seviri Augustales, collegia tenuiorum, opifices collegiis non adscripti; si quae praeterea sunt notabilia varia, extremo loco ea invenias posita. Quo ordine constanter observato facilius unumquodque invenietur.

De locis, quibus in quoque oppido monumentorum collectiones hodie asservantur, ad singula oppida disseruimus; de libris vero, qui maiorem titulorum numerum nobis suppeditarunt quique in notis per compendia plerumque citati sunt, hoc loco generalia quaedam videntur praemittenda:

Primi titulos in provincia Narbonensi, quod equidem sciam, collegerunt duo Itali, Frater Iucundus ille Veronensis et Gabriel Simeoni Florentinus, ex quibus prior in syllogen inscriptionum manuscriptam, quam composuit sub finem saeculi decimi quinti et cuius duo extant exemplaria, in bibliotheca Veronensi alterum, alterum in Florentina Magliabecchiana, paucissima quaedam ex hac quoque provincia recepit (cfr. titulos nostros nn. 116. 294), alter vero proprium librum confecit inscriptum: *Inscriptions du pays de Provence. Lyon 1558. 4.* Quem ego non vidi, at qui posteriore aetate de provinciae antiquitatibus egerunt plures Simeonium exscripserunt. Quos Italos in ipsa provincia primus secutus est Lantelme de Romieu Arelatensis, cuius in bibliotheca Arelatensi est liber manuscriptus et inscriptus: *Histoire des antiquités d'Arles avec plusieurs écrits et épitaphes antiques trouvés là-mesmes et en autres lieues. 1574;* cuius codicis, scripti non ipsius Romievi manu sed a Laurentio quodam Bonnemant anno 1776, aliud extat exemplar in bibliotheca Lugudunensi Batavorum. Eidem fere tempori attribuendus videtur Raimond de Solier sive Solery, qui nescio quo anno librum confecit ita inscriptum: *Rerum antiquarum et nobiliorum provinciae liber secundus, in quo de antiquo statu aut republica Massiliensium agitur;* cuius libri in bibliotheca urbis Aix duo vidi exemplaria, unum ipsius Solieri manu scriptum, sed mutilum (manuscr. bibl. Aq. n. 797), alterum integrum,

descriptum a Marchione de Méjanes (n. 838). Ceterum neque Romieu neque Solier ipsa monumenta viderunt, sed satis habuerunt, Simeonium excripsisse. — Qui libri omnes neque fide excellunt in reddendis veris titulis neque a falsis abstinuerunt nec magnam suppeditant inscriptionum copiam. Verum ex quo Scaliger in usum corporis Gruteriani per omnem Galliam meridionalem titulos sive proprio labore conquirendos suscepit sive per alios curavit colligendos, ex eo tempore perpetua monumentorum huius regionis inscriptorum cura incepit agi, atque etsi Scaligeriani apud Gruterum tituli saepe minus diligenter excripti sunt, tamen satis magni aestimandum est, quod hoc modo indigenarum oculi ad patriae suae antiquitatis thesauros sunt conversi. Eodem fere tempore qui *Itinerarium Galliae Narbonensis* anno 1606 scripsit Pontanus, et ipse quosdam titulos per iter faciendum obvios collegit. Per idem deinde saeculum decimum septimum inter eos quidem, qui generales collectiones ediderunt, solus nominari potest Iac. Spon Lugudunensis, qui ut ex omni orbe titulos congessit antiquos, ne patriam quidem suam neglexit indeque quaedam recepit in libris *Recherches d'antiquités. Lyon 1683* et *Miscellanea eruditae antiquitatis. Lugud. 1685* (= Graev. thes. antiq. Rom. nov. supplem. vol. IV. p. 633—1399). Neque vero omittendi sunt, quamquam inscriptiones non ediderunt, duo viri inter litteratos suae aetatis homines celeberrimi Peiresc Aquensis (1580—1657) et Gassendi Diniensis (1592—1655), qui de conservandis et conquirendis monumentis non mediocriter meruerunt. Quam monumentorum conservandorum curam inter indigenas excitatam cum saeculo decimo octavo quam intentissime continuarent Ioann. Franc. Séguier Nemausensis (1703—1784) et Bimard de la Bastie (1703—1742), dominus loci Mont Saléon (antiqui Montis Seleuci), Itali illi, qui per idem tempus colligendis inscriptionibus Romanis vacabant, Scipio Maffei et Muratori nacti sunt, qui amplam titulorum copiam ex Narbonensi possent suppeditare. Et Maffei quidem, quas anno 1734 Veronae edidit *Galliae antiquitates selectas* ipse collegit co-

mite usus Seguiero, Muratorio autem, cuius corpus editum est a. 1739, Bimard non solum titulos misit per Galliam a se collectos, sed in prolegomenis quoque operi Muratoriano praemissis de patriae suae monumentis egit. Quorum virorum opera quae in lucem edita sunt monumenta Narbonensia et supplenda et corrigenda suscepit Millin, insignissimus archaeologus Parisiensis, qui initio huius saeculi meridionalem Galliam peragrans, quos in quoque oppido vidit titulos sive novos sive ab aliis male descriptos, collegit et edidit in libro utilissimo: *Voyage dans les départements du Midi de la France. Paris 1804—1811;* supplendo autem Millino ex parto operam dedit Prosper Mérimée in libro, qui inscriptus est: *Notes d'un voyage dans le Midi de la France. 1835.* Praeterea et quae augendis per universam Francogalliam antiquitatum studiis destinatae sunt ephemerides *Mémoires de la société des antiquaires de la France 1817 sqq.* et *Revue archéologique 1844 sqq.*, novos, qui ubique inveniuntur, titulos solent edere, et quae in meridionalibus oppidis Aquis, Nemausi, Narbone, Tolosae florent academiae et societates archaeologicae, ad conservanda et edenda antiquitatis monumenta perpetuam adhibent curam.

Quos hucusque recensuimus libros generales, iis subiungimus hos, qui vel maiorem aliquam provinciae Narbonensis partem vel singula oppida describentes monumenta epigraphica suppeditant.

Partes provinciae maiores tractant:

Catel, Histoire du Languedoc. Toulouse 1633.

Clande Vic et Joseph Vaisette, Histoire générale du Languedoc. Paris 1730. nouv. édit. par Alex. Dumège. Toulouse 1840.

Bouche, Chorographie et histoire de la Provence. Aix 1664.

Papon, Histoire de Provence. Paris 1777—84.

Statistique du département des Bouches-du-Rhône. 1824.

Délacroix, Statistique de la Drôme.

Henry, Recherches sur la géographie ancienne et les antiquités du dép. des Basses-Alpes. deux. édit. Digne 1842.

Long, Recherches sur les antiquités romaines du pays des Vocontiens in Mémoires présentés à l'acad. des inscript. II. série t. 2. p. 278 sqq.

Guichenon, Histoire de la maison de Savoie. Turin 1778—80.

Abauzit, Oeuvres diverses. Genève 1772, ex cuius libri vol. II. amicus A. Dietsch quasdam inscriptiones Sabaudienses mihi exeripsit.

Singulorum oppidorum inscriptiones exhibent:

Nemausi: Poldo d'Albenas, Discours historial de l'antique cité de Nîmes. Lyon 1560.

Grasser, de antiquitatibus Nemausensibus dissertatio. 1619. in Graev. thesaur. suppl. Sallengr. t. I. p. 1059—1088.

Gaill. Guiran, Explicatio duorum numismatum Nemausensium 1655. in Graev. thes. suppl. Sallengr. t. I. p. 1009—1048.

Ménard, Histoire de la ville de Nimes. Paris 1758, cuius operis volumen septimum inscriptiones continet Nemausenses.

Perrot, Antiquités de Nimes. 1846.

Mémoires de l'Académie du Gard, ex quibus quae excerpsit Konr. Bursian amicissime mecum communicavit.

Urbis *Montpellier* et regionis adiacentis: D'Aigrefeuille, Histoire de Montpellier. 1739.

Arelatis: Estrangin, Études sur Arles. 1837.

Aquarum Sextiarum: Mémoires de l'Académie d'Aix.

Rouard, Rapports sur les fouilles faites à Aix. 1844 sqq.

Arausionis: Lapise, Histoire d'Orange. À la Haye 1639.

Viennae: Chorier, Recherches sur les antiquités de Vienne. 1. édit. 1659. nouv. édit. par Cochard. Lyon 1818.

Rey et Vietty, Monuments romains et gothiques de Vienne. Paris 1831.

Cularonis: Champollion - Figeac, Antiquités de Grenoble. Gronoble 1807.

Massiliae: Grosson, Recueil des antiquités et monuments marseillois. Marseille 1773.

Miliariorum denique per Narbonensem copiam praebet Bergier, Histoire des grands chemins de l'empire romain. Paris 1622 (= Graev. thes. antiq. vol. X. p. 16—627).

Ex quo librorum catalogo videas, non defuisse, qui huius provinciae titulos descripserint ediderintque, at cum, qui ediderunt, etsi facilis ad ipsa monumenta aditus erat, tamen saepissime satis haberent, ex libris tantum hausisse, nequaquam inutile erat, denuo ad lapides recurrere et quicunque poterant attingi, eos revisere. Qua revisione omnia iam sublata esse menda neque unquam in describendo nos errasse, nequaquam affirmamus, praesertim cum singulorum oppidorum monumenta semel tantum nec satis ubique

commode nobis licuerit videre. Attamen speramus in minoribus tantum rebus inventum iri errores describentis atque confidimus, neminem indulgentius de his rebus esse iudicaturum, quam eos qui ipsi describendo maiori titulorum numero dederunt operam.

I. NARBO MARTIVS.

(Narbonne, département de l'Aude.)

Quae per omne medium aevum conservata et in urbe Narbone dispersa erat ingens Romanae antiquitatis monumentorum multitudo et inscriptorum et sculptorum, saeculo decimo sexto regnante in Gallia Francisco I, cum moenia urbis et reficerentur et augerentur, ad hoc opus est adhibita. Cura tamen architecti qui operi faciendo praeerat maior pars illorum lapidum circa portas et in tribus novis munimentis, quae dicuntur *St. Félix, St. Côme* et *St. François*, est disposita et ita in muros inclusa, ut pars sculpta inscriptave extrinsecus verteretur, qua ratione qui extra portas stant, adversas haberent inscriptiones. Nihilo tamen minus, cum monumenta illa summos muros cingant et fossa muros circumdet, difficillime tantum et nisi alta moenibus admoventur tabulata, ex intervallo satis magno leguntur. Quae cum ita sint, si quis peregre Narbonem veniens neque multum temporis potest in eam rem impendere neque apparatu ad tale opus necessario munitus est, in colligendis ex ipsis moenibus titulis et monumentis parum proficiet. At inter ipsos Narbonenses inde ab operis illius tempore non defuerunt, qui colligendis ex moenibus inscriptionibus operam darent collectasque libris manuscriptis posteritati traderent. Quorum librorum et antiquissimus et utilissimus attribuitur uni ex architectis a Francisco I adhibitis nomine Garrigues, qui portam munivit dictam *la porte de Perpignan:* qui quae conscripsit, ea Millin repperisse se dicit apud civem quendam Narbonensem, inscriptiones scilicet ducentas quinquaginta, imagines operum sculptorum depictas triginta; qui liber ubi hodie sit, non comperi, sed ex eo Scaligerum credo hausisse quae Grutero descripsit. Praeterea Millin in bibliotheca urbis Carcas-

sonne syllogen inscriptionum Narbonensium vidit confectam initio fere saeculi decimi octavi ab Hieronymo Lafon, continentem titulos septingentos quinquaginta; at ne hanc quidem cum in illa bibliotheca quaererem inveni. Ex reliquis eiusmodi libris, quos Millin invenit, memoratu dignissimus videtur is, quem ex ipsis monumentis sub finem saeculi decimi octavi excripsit quidam Viguier Narbonensis. Maxime vero dolendum est, quod ea sylloge, quam ex his fontibus ipse Millin fecerat, ut refert Artaud, incendio bibliothecae Millinianae periit (Millin, Voyage 4, 382—387. Artaud in Mémoires de la Société des Antiquaires de la France t. VII. p. 255). Mihi quidem, cum essem Narbone, ex omnibus illis libris non contigit videre nisi manuscriptum confectum ab abbate Bosquetio (defuncto a. 1809), qui hodie extat in bibliothecà Narbonensi et insigni eorum qui bibliothecae praesunt comitate mihi ut excriberem permissus est. Ceterum Bosquet in praefatione dicit, se non tam ad ipsa monumenta recurrisse, quam excripsisse Garriguesium Lafonemque et librum cuiusdam Renouardi. Noto praeterea, Scipionem Maffeium quoque Veronensem, cum Galliam viseret, adiutum a Segnierio ex ipsis muris maiorem inscriptionum numerum descripsisse, quarum partem edidit in Antiquitatibus Galliae selectis (nn. 14—23 cfr. quae dicit ibid. p. 31). — Optime vero de patriae suae monumentis merentur archaeologi Narbonenses, qui, postquam anno 1833 in societatem coierunt, non solum si quae per urbem dispersa inveniunt ea colligunt, sed etiam quatenus possunt, lapides inscriptos ex moenibus extrahunt. Unde in curia urbis *(Hôtel de Ville)*, quae olim fuerat domus archiepiscopalis, constitutum est amplum museum lapidibus ita dispositis, ut pars hortum curiae ornet, pars in ipsa curia asservetur.

1. Inscriptio cippi marmorei reperti a. 1566 inter rudera murorum veterum prope portam quae vocatur *la porte royale;* nunc extat in museo. Una pars tituli inscripta est in parte antica, altera in uno latere, summus autem cippus paullum effractus est.

I. Inscriptio partis anticae.

p. Ch. 11. T. Statilio Tau*ro* | L. Cassio Longino | cos. x. k(alendas) OcTobr(es) | numini Augusti voTum | susceptum à plebe Narbo|nensium in perpetuom: |

Quod bonum faustum felixque sit imp(eratori) Caesarl, | DIvi f(ilio), Augusto p(atri) p(atriae) pontifici maximo trib(uñicia) potesT(ate) | XXXIIII, coniugi, liberIs geutique eius, senaTuI | populoque Romano et colonIs incolIsque | c(oloniae) I(uliae) P(aternae) N(arbonis) M(artii), qui sé numini eius in perpetuum | colendo obligáverunt, plébs Narbonen'sium áram Narbone in foro posuit, ad | quam quotannIs VIIII. k(alendas) OcTobr(es), qua die | cum saeculi felIcitas orbi terrarum | réctorem édidit, tres equites Romanl | á plebe et tres lIbertini hostias singu|las inmolent et colónIs et incolIs ad | suplicandum númini eius thús et vInum | dé suo eá die praesteut, et VIII k(aleudas) Octob(res) | thus vInum colonIs et incolIs item prae|stent, k(alendis) quoque Ianuar(iis) thus et vInum | colonIs et incolIs praestent, VII quoq(ue) | Idus Ianuar(ias), quá die primum imperium | orbis terrarum suspicátus est, thure | vIno suplicent et hostias singu|(as) in'molent et colonIs incolIsque thus vI num eá die praesteut; |

eT pridie k(alendas) Iunias, quod ea die T. StatIlio | Tauro M'. Aemilio Lepido cos. iúdicia | plebis decurionibus coniúnxit, hostias | singul(as) inmolent et thus et vInum ad | supplicandum númini eius colonIs et | incolis praestent; | p. Ch. 11.

exque iIs tribus equitibus Rom*anis et tribus* | lIbertinis un*us* . . . .

II. Inscriptio partis lateralis.

Plebs Narbonesis *(sic) aram* | *n*uminis Augusti *dedi*|cavit . . . . | *sequitur lacuna duorum versuum* | legibus iIs, q(uae) i(nfra) s(criptae) s(unt): |

Numen Caesaris Aug(usti) p(atris) p(atriae), quando tibi | hodie hanc aram dabo dedicabo|que, hIs legibus hIsque regioni|bus dabo dedicaboque, quas hIc | hodie palam dIxero: utI infimum | solum huIusque arae titulorum|que est, sI quis tergere, órnare, | reficere volet, quod beneficiI | causa fIat, Ius fasque estó; sIve | quis hostia sacrum faxit, quI | magmentum nec protollat, id|circo tamen probe facTum esTo; si | quis huic arae donum dare au|gereque volet, liceto, eademq(ue) | lex eI dono esto, que *(sic)* arae est; | ceterae leges huic arae titulIsq(ue) | eae-

dem sunto, quae sunt arae | Dianae in Aventlno. Illsce legi-| bus hlsque regionibus, slcuTi | dlxI, hanc tibi aram pro Imp(e-ratore) | Caesare Aug(usto) p(atre) p(atriae) pontifice maximo tribunicia potestate XXXV, | conluge, llberls genteque eius | se-natu populoque R(omano) colonls | incollsque col(oniae) Iul(iae) Patern(ae) Narb(onis) | Mart(ii), qui se numini elus in per|pe-tuum colendo obligaverunt, | doque dedicoque, uti sies volens | propitium.

Descripsi. — Inter omnes, qui ediderunt, diligentissime descriptum habet hunc titulum, ne apicibus quidem neglectis, Gruter p. 229, qui usus est exemplaribus Eliae Vineti Burdigalensis et Francisci Cicerei; inter eos deinde, qui permulti post Gruterum repetiverunt, notandus est sed Grutero inferior Millin, qui unus recentiore aetate titulum ipse et vidit et descripsit ediditque in libro Voyage dans le Midi de la France t. IV. p. 374 sq., at neglectis apicibus et iis quae primorum versuum in lapide sunt lacunis; Millinum excripsit Orelli n. 2489. Varias Gruteri et Millini lectiones hic habeas: col. I. 1. TAVRO Mill. 6. NINSIVM Mill. 14. QVÁ Grut. 15. SECVLI Mill. 19. SVPPLICANDVM Grut. 24. PRIMVN Mill. 26. SVPPLICENT Grut. 35. ROMÁ Grut. 36. V́NVS. col. II. 1. PLEBS NARBONENSIS Mill. ... NARBONESIS· A ... Grut. 2. AVGVSTI Grut. 7. TIB Mill. 15. CAVSÁ Grut. 21. QVAE Grut. 23. EADEM SVMTO Mill. 31. PATER · NARB Mill. — In columnae secundae initio spatium quod interest inter CAVIT et LEGIBVS, speciem quidem praebet versuum erasorum, neque vero ullae litterarum reliquiae sunt conspicuae.

Ceterum num hic titulus, qualis nunc extat, ipsa Augusti aetate perscriptus sit, recte dubitare mihi videtur Io. Bapt. Rossi recteque iudicare, aram illam Antoninorum tempore esse refectam (Annal. dell' instit. archeologico 1857, p. 328). Quamquam enim qua ratione inductus ita iudicaverit vir rei epigraphicae peritissimus nescio, tamen inspecto lapide ut iudicio eius assentiar moveor non solum litterarum forma, quae posteriorem Augusto aetatem indicat, sed etiam, quod in quibusdam verborum formis parum sibi constat qui titulum confecit; nam l. 6. *perpetuom* habes, l. 11. *perpetuum*; l. 7. *sit*, ll. 36. *sies;* quibus accedit similis in adhibenda longa I littera apponendisque apicibus inconstantia, maior quam ut Augusti ferat aetas, qua ipsa haec scripturae ratio increbuit. Quae facilius explicaveris, si eo tempore scriptum esse titulum accipias, quo antiquiora illa iam non erant usitata atque in novum lapidem ita tantum sunt recepta, ut quaedam antiquitatis reliquiae satis neglegenter asservarentur. Itaque cum Narbonem sub Antonini Pii imperio incendio deletum esse constet (Capit. vit. Anton. c. 9), fieri potest, ut inter restaurata post hanc cladem antiquiora monumenta haec quoque fuerit ara atque arae inscriptio.

Interpretationem eorum huius tituli locorum, qui ad instituta municipalia pertinent, variis locis dedimus in descriptione institutorum provin-

ciae. Ad intellegendam autem totam dedicationis legem ritusque dedicationis cfr. legem, qua dedicata est aedes Iovis liberi Furfensis Corp. Inscr. Lat. 603 (= Mommsen Inscr. Reg. Neap. 6011). Marquardt, Handbuch der röm. Alterthümer 4, 225.

2. Narbone in museo; Inscriptus est titulus in lapide variis ornamentis abunde ornato, qui pro zophoro monumenti alicuius honorarii videtur fuisse.

Legitur in parte adversa:

Imp(eratori) | CaesarI, DIvI Nervae f(ilio), | *Nervae Tr*aiano Aug(usto) Germ(anico) pont(ifici) max(imo) Trib(unicia) poT(estate) c(onsuli) II | . . . . anus, IIIIIvir Augustal(is) de sua me- p. Ch. 98.
diocrita|*te testa*mento fieri ponique iussit

in parte aversa:

ad urnam potestatis.

Descripsi. Eodem modo est in schedis Bosquetii, qui et ipse aversae partis inscriptionem dat; quae in parte adversa leguntur, habes Muratori 229, 2 (a Bimardo).

3. Narbone 'ad abbatiam S. Pauli' *Maffei;* nunc extat in museo.

Imp(erator) Caes(ar) DIvi Hadr*iani filius, Divi* | Traiani Parthici n*epos, Divi Nervae* | pronepos T. Aelius H*adrianus Antoninus* | Aug(ustus) Pius pont(ifex) maxim*us tribunicia potestate* . . . | imp(erator) II. co(n)s(ul) IIII. p(ater) p(atriae) th*ermas in*- inde ab a. p. Ch. 145.
cendio | consumptas cum por*ticibus* . . . . . . | et basilicIs et omni *ornatu impensa* | sua *restituit.*

Descripsi. Ediderunt Grut. 171, 5 (Scalig.). Maffei Gall. Ant. p. 55, unde Murat. 453, 7. — v. 5. *incendi*o restitui ex Capitol. vita Anton. Pii c. 9., cum agi iudicem in hoc titulo de thermis absumptis incendio illo, quo sub imp. Pio Narbo est deletus. v. 7. OMNI C . . Maff., qui supplet *omni c[ultu];* OMNI Grut., equidem nihil amplius vidi in lapide quam OMN.

4. Narbone in moenibus urbis.

*Div*ae Faustinae Aug(ustae,) | *imperatoris* Caes(aris) | *T. Aeli Hadr*iani *Antonini* Aug(usti) | *Pii pontificis ma*ximi p(atris) p(atriae).

Ex schedis Bosquetianis, ubi hoc modo traditur: . . . . . AE·FAVSTINAE·AVG | . . . . . AELI·CAES | . . . . . IANI·AVG | . . . . XIMI·PII; quae restitui, ut supra legitur. Titulus est Faustinae senioris, quae Diva fuit inde ab a. p. Ch. 141. cfr. Eckhel doctr. numm. VII. p. 37

5. Narbone in museo.

.Imp(eratori) Caesari | DIvi AntonIni | PiI fIl(io), DIvi Hadriani | nepoti, DIvi Traiani | Parthici pronepoti, | DIvi Nervae abnepoTi | L. Aurelio Vero Aug(usto) Ar|meniaco pont(ifici) ma-
p. Ch. 161. xim(o) | tribunic(ia) potestat(e) IIII | imp(eratori) II co(n)s(uli) II proco(n)s(uli) | Decumani | Narbonenses. *(sic.)*

Descripsi. Maff. p. 70, unde Mur. 242, 2. Orelli 873 = 3682. 12. NARBONENSES *Maff.* De L. Veri pontificatu maximo cfr. Orelli - Henzen 5483. n. 1.

6. Narbone in museo.

Iuliae Dom|nae Augustae, | imp(eratoris) Caes(aris) L. Sep ti-mi Severi PiI Per tinacis Aug(usti) Ara bici Adiabenici | p(atris)
p. Ch. 197. p(atriae) p(ontificis) m(aximi) trib(unicia) pot(estate) IIII | imp(eratoris) VIII. co(n)s(ulis) II et | M. Aureli Antoni ni Caes(aris) matri | Itemque castrorum | Decumani Narb(onenses).

Descripsi. Grut. 266, 7 (Scal.), 7. IIII *Grut.* Imperator VIII L. Septimius Severus erat a tribunicia potestate IIII sive a. 196 usque ad victoriam ex Albino relatam, quam retulit a. d. XI. kal. Martias trib. pot. V sive a 197. Hoc igitur anno positus est titulus. cfr. Eckhel VII. p. 175.

7. Narbone in moenibus 'bastion St. François' *Bosquet.*

Ex imp(erio) m(atris) D(eum) tauro|polium provinciae | Narbonensis | factum per C. Batonium | primum flaminem Aug(ustorum) | pro salute dominorum | imp(eratorum) | L. Septimi Se-
inde ab a. p. Ch. 199. veri | Pii Pertinacis Aug(usti) | Arabici Adia|benici Parthici Maximi et M. | Aureli Ant(onini) Aug(usti) . . . . | . . . .

Ex schedis Bosquet. — Grut. 29, 12 (Scal.). Bosq.: 4. BATANIVM 5. AVG 7. init.: T. P. L. etc.; contra Scal.: 1. D. M. 7. SEPTIMII 8. HADIABENICI 10. AVRELIANI AVG. — De Severi titulo Parthici Maximi inde ab trib. pot. VII sive a. p. Ch. 199 in nummis notato cfr. Eckhel VII. p. 177 sq. Quod vero idem l. l. p. 192 dicit: 'cognomen Pertinacis anno tribunatus VII a succedente Parthici Maximi extrusum est', nota hanc nostram inscriptionem non convenire cum ratione nummorum. Cfr. praeterea Henzen, ind. ad Orell. p. 71 sq.

8. Narbone in aula interiore curiae; lapis inclusus est in muro.

Imp(eratori) Caesari | M. Aurelio | Antonino Augusto | pio felici Arab(ico) | Adiabenico Par|thico maximo | Britannic(o) max-
p. Ch. 211–213. (imo) | patri patriae | Narbonens(es).

Descripsi. Titulum Britannici Maximi Caracalla assumpsit una cum patre a. p. Ch. 210; apparet autem monumentum positum esse, utpote soli Caracallae, mortuo patre, qui mortuus est pridie Non. Febr. 211; cum vero ab altera parte positum sit ante assumptum cognomen Germanici, quod inde ab a. 213 succedere in nummis titulo Britannici docet Eckh. VII. p. 209, alterum terminum habes ann. 213.

9. Narbone.

Imp(eratori) Caes(ari) | *M. Aurelio Antoni*|*no pio feli*|*ci Augusto Divi Antonini* | *magni filio*, | Divi Severi | nepoti Narbonens(es).

Maffei Gall. Ant. p. 71. Agitur de Elagabalo, qui imperavit a. p. Ch. 217—222.

10. Narbone 'encore aujourd'hui conservée dans l'église de St. André de Sureda'. *Dumège.*

Imp(eratori) Caesari | M. Antonio | Gordiano | pio felici | invicto Aug(usto) | p(ontifici) m(aximo) tribun(icia) | pot(estate) II. co(n)s(uli) | p(atri) p(atriae) | Decumani | Narbonens(es). p. Ch. 239.

Dumège, hist. du Languedoc, nouv. édit. I. p. 460 n. 37.

11. Narbone in moenibus.

Victoriae Aug(ustae) | *et numini* | Augustorum | sacrum, | adiecto tetrasti|*lo* et aeramentis | omnibus | Iulia Natalis | d(e) s(ua) p(ecunia) f(aciendum) c(uravit) Idemque | *d*edic(avit) T. T. l(*ocus*) d(atus) d(ecurionum) d(ecreto).

Ex schedis Bosquet. 6. litterae o extat dimidia pars. 10. T. T. mutandum fortasse est in T. P. i. e. t(itulumque) p(osuit).

12. Narbone in moenibus.

Matri Deum | tauropolium indictum | iussu ipsius et stipe conlata | celebrarunt publice Narbon(enses).

Bosquet. Mur. 130, 3 (Bim.). Orelli 2327 = 6033. — 2. taurobolium *Bosq.*

13. Narbone in moenibus.

. . . . *colo*nis et peregr*inis* . . . . — *Bosquet.*

14. Narbone in moenibus.

. . . . . . quinq(uennalis) et . . . . . . | *co*lonisq(ue) colo*niae* . . . . . — Bosquet.

15. Narbone.

Liguriae, Q(uinti) fil(iae), | Frontinae | Q. Hortensi Katulli. | Huic ordo Narbonensis | publice funus et omnes | vectigales decrevit.

Grut. 430, 7 (Scal.). Cfr. Or. 3724: *huic ordo splendidissimus Romulensium impensam funeris, statuam, locum sepulturae decrevit.*

16. Narbone; lapis extractus est ex moenibus urbis ('bastion St. François' *Bosq.*) et translatus in museum.

Q. Vibius, Q. f(ilius) Maxumus M. Varius, L. f(ilius) | CapiTo, pr(aetores) duumvir(i) aram Volcano maceriaq(ue) | aream saepiendam piscinamque ex d(ecurionum) d(ecreto) | de pecunia publica facie(n)da coer(averunt.) | Q. *Vib*ius Q. f. Maxumus probavit.

Descripsi. Grut. 61, 5 (Scal.). 1. Maximus *Grut.* 4. facienda *Grut.* 5. Virbius *Grut.*

17. Narbone in horto curiae.

L. Aemilio L. f., Pap(iria), Arcano | trib(uno) mil(itum) leg(ionis) *vi*I. gem(inae) et trib(uno) | mil(itum) leg(ionis) I. Minerv(iae), item trib(uno) | mil(itum) leg(ionis) II. Aug(ustae), omnib(us) hono|ribus in colonia sua funct(o,) | adlecto in amplissimum | ordinem ab imp(eratore) Caes(are) | Hadriano Aug(usto,) $\overline{IIIIII}$vir(o) | equitum Romanor(um), curion(i,) | quaestori urbano, trib(uno) | plebis, praetori designat(o) | L. Aemilius Moschus $\overline{IIIIII}$vir | Aug(ustalis) patrono optumo, post | obitum eius inlat*is* arcae | seviror(um) ob locum et tuitio|nem statuae HS n(ummum) IIII [i. e. quattuor milibus] | l(ocus) d(atus) d(ecreto) d(ecurionum) $\overline{IIIIII}$ viror(um); | et sportu(lae) n(omine) s(ingulis) dedicavit ✱ [i. e. denarios] III.

Descripsi. Grut. 348, 1 (Scal.), unde Or. 2258. Artaud in Mém. de la société des antiq. de la France t. 7. p. 252. 1. MARCANO *Art.* 2. LEG XI *Grut.* III *Art.*, at neque XI extat gemina, neque III; ideo Henzen in ind. ad Orell. p. 127. 128. legi mavult X, sed quod adhuc in lapide conspicitur numerum VII videtur postulare. 15. HS $\overline{IIII}$ *Art.* 18. SPORTVLIS DEDICAVIT XIII *Grut.*; SPORTV DEDICAVIT XIII *Art.*

18. Tituli duo inscripti in duabus partibus basis statuae, quae cum a. 1826 ab Artaudio, archaeologo Lugdunensi, Narbone in cavea domus privatae reperta esset, postea empta est a dom. Tapié-Mangan et de-

posita in villa quadam, quam is possidet prope Narbonem; ibi ad hunc usque diem extat.

I. Inscriptio partis anticae.

Sex. Fadio, *Papiria*, | Secundo Mu*sae*, | omnibus hon*oribus* | in colonia *Narbo*|nens*i functo*, | *flamini* | *pro*v(inciae) Narb(onensis), | fabri subaedi*ani* | Narbonens*es* | patrono ob merita | eius. | L(ocus) d(atus) d(ecurionum) d(ecreto).

Artaud in Mém. des Antiq. de la Fr. t. 7, p. 244 sq., unde Mommsen in Bullett. dell' Instit. archeol. 1853. p. 27. Or.-Henz. 7215. Notandum est, quod Artaud dicit quidem, apicibus insignem esse hunc titulum, neque tamen ipsos apices dat. — 4. NENSE *Art.* 7. NOVI NARB *Art.* 8. SVBAEDIL *Art.*; SVBAEDI*ani* Momms. supplevit ex col. II. 28. 9. Narbonensi *Art.*

II. Inscriptio partis lateralis.

Exemplum epistulae | Sex. Fadi, Pap(iria), Secundi Musae | in verba infra scribta (*sic*): | S. F(adius) Secundus collegio fabrum Narbonesium (*sic*) salutem. | Plurimis et adsiduis erga me meritis vestris *referre* gratiam | aequam difficile est. Quo munus *corpori* vestro gratissimum sciam | modo largitionis, inter liberos et clarissimum nepotem Iucundum | sestertia sedecim millia nummum V. K. Maias primas die natali meo | impensae vestrae inferam dictaque die usuras totius anni computatas | octono pernumerabo. Quo vel gratius sit munusculum meum, | a pietate vestra peto, ut usuras huius summae ea die | honestissimo habitu inter praesentes et epulantes in perpetuum | dividatis; neque ea summa in alium usum convertetur; | hac epistula cavetur .... | SECONDI .... TOTA vel omissa fuerit | .... INEAT .... NEISI iu petenda pequnia | ..... E.NT ad *f*iscum maximi principis. |

*Volun*tatem meam, si modo probaveritis, et vestram | *ius*sionem uti a*ereae t*abulae inscalptam ante a*e*dem | ... proponatis et in basi statuae, quam mihi posuistis, | *eam* proscribatis impen*dii*s *meis rogo*, | *quo cert*ior futurae observationis in desiderio meo probatio sit. |

Manu *F*adi*i* Secundi su*b*no*t*atum erat: | A(cta) e mandato. Scribsi kalendis Octobribus Orfito et | *Prisco c*os. Epistulam pro perfecto instrumento retinebitis. | V*a*lere vos cupio, domini optimi et carissimi mihi. |

*Libera*litatis in perpetuum conservandae et | *propone*ndae gratia fabri subaedian(i) Narbonenses | *ex* tabula aerea con*la*tum ante *ae*dem loco | *celeberr*imo ponendum censuerunt.

Huius columnae lectio nititur imagine ipsius tituli, quam vir de patriae suae monumentis egregie meritus, dom. Tournal Narbonensis, ad ectypon cartaceum confecit et deposuit in Narbonensium bibliotheca; quam diligentissime descriptam cum B. Starkius Heidelbergensis misisset Mommseno, hic et edidit et commentario illustravit in Bullett. dell' instit. archeol. 1853 p. 37—32, unde transiit in collectionem Henzenianam (n. 7215). Cum ipsum titulum videre mihi non contigerit, hic eum proponens secutus sum editionem Mommseni, recipiens eiusdem et supplementa et emendationes textus a Starkio descripti. Partem huius tituli eamque neglegenter descriptam edidit Artaud loco supra citato. Lectionem locorum, quos a Mommseno emendatos supra dedi, hic propono: 17. IISCVM. 19. APRIALIABVLAE — AIDEM. 20. ATATVAE. 21. IMPENENS. 23. EA DIE — SVBNOIATVM. 27. .. ANTATIS. 29. CONIATVM — AIDEM.

v. 9. Momms. subnotat, *impensam* hic usurpari eodem sensu quo alias arcam. Ad v. 24 idem dicit, cum consules extent Crispinus et Orfitus a. 110, Orfitus et Priscus a. 149, Maximus et Orfitus a. 172, praeferre se Orfitum et Priscum, quia lacunae spatium modo Priscum admittat. Ceterum v. 13 sq. quamquam Mommseni et lectio et interpunctio, quam supra repetii, Starkiano exemplari defenditur, tamen legere malim: *neque* (vel *neve*) *ea summa in alium usum convertatur, hac epistula cavetur, ut etc.* — v. 15 pro TOTA forsitan legendum sit: *mutata*, ut agatur de mutata vel omissa pecuniae a Fadio datae destinatione. — Praeterea repertae sunt Narbone complures libertorum Fadiorum inscriptiones, quas invenis apud Artaudium l. l. p. 250 sq., quibus accedit Gruteriana 939, 4 (Scal.), et ea, quae sequitur Muratoriana:

19. Narbone.

V(ivus) | *Sex.* Fadius, Sex. l(ibertus), | medicus.

Murat. 952, 3 (Maff.).

20. Narbone in museo.

.... | *duov*ir quinquenna*lis i*|*teru*m, praefecTus pro du*oviro*, | *trib*(unus) militum, primipilus l*egionis* ... | *Macedo*n(icae). Legio honoris et virt*utis* | *caussa* ....

Descripsi. Grut. 496, 2 (Scal.). Lectiones Grut.: 2. PRO·DVPRA. 3. LE deest. 4. VIRTV. 5. ZENONIS·I······ID·······; in quo versu equidem nihil certi eruere potui; quae initio versuum 2 et 3 extant litterarum M et B reliquiae, desunt apud Grut.; ceterum litterae, quam M restitui, non nisi extat extrema hasta. — Fuerunt autem legiones Macedonicae quattuor: quarta, quinta, septima, nona.

21. Narbone in museo; in litteris insculptis foramina conspiciuntur, quae recipiendis aeneis litteris inservierunt.

. . . . C. f(ilio) Pap(iria) Rufo | . . . . . nuleiano, | *praefecto fabr*um, aedili, praef(ecto) | *pro duoviro* et duoviro.

Descripsi. Maffei Gall. Ant. p. 56. Murat. 740, 7 (ex 'Journal de Trévoux, févr. 1715'). Or. 4026. Lect. Mur.: 2. anuleiano. 3. tertium aedili. 4. pro et duoviro.

22. Narbone in horto curiae.

. . . . | Usuleno Veient*oni* | II vir(o), q(uaestori), flamini prImunr . . . . . . | Plocamus . . . .

Descripsi. Murat. 168, 2 (Montfaucon). — Cfr. titulum in vico Moux repertum infra n. 78.

23. Narbone 'bastion St. Félix'. *Bosq.*

. . . . | duumvir iterum | *col*(oniae) Narb(onis) Mar(tii) dom . . . .

Bosquet. Grut. 496, 3 (Scal.). 2. DON Grut.

24. Narbone in moenibus.

sic B. et Gr.

V(ivae) Ammiae Cn. Cn. l(ibertae) Statiae uxori | Q. Vinicio M. f(ilio) Legioni aed(ili) praef(ecto) pro II viro.

Bosquet. Grut. 488, 7 (Scal.). Or. 4023. — 2. LEGION·I *Grut.*; LEGIONI, ut legendum esse coniecit Orelli, habet Bosquet. 3. STALIAE *Bosq.*

25. Narbone in moenibus 'courtine de la bastion St. Félix' *Bosq.*

Cn. Octav(io) . . . . . . *praefecto* | pro IIvir(o) . . . .

Bosquet.

26. Narbone in moenibus 'courtine de la porte Royale' *Bosq.*

. . . . . . o, praef(ecto) pro II vir(o) vivo, | . . . . Modestae uxori. — Bosquet.

27. Narbone (an Vasione?).

P. Vinicius, P. f(ilius), Pa|pir(ia) Secundus, aedil(is) II vir, | quaestor colon(ia) Iulia Pa|terna Claud(ia) Narbon(e) Mart(io).

Henzen 5232 ex Taillefer, antiquités de Vésone 1, p. 414. Nomen Vinicium habes supra quoque n. 24.

28. Narbone.

. . . . Gall*us* v(ivus) aed(ilis) f(aciendum) c(uravit) | *sibi et* . . . . *praef(ecto) castr(orum) Cae-*

saris, praef(ecto) fabrum | . . . . aed(ili) Aquis Iulis, patri | . . . . fratri, Messiae, M. f(iliae,) | *matri*, ... Quarta*e sorori* | . . . . L(uci) *f(ilio)*, Senecioni aed(ili). F·C· | . . . . fratri.

Grut. 415, 2 (Scal.), unde recepisse videtur Catel, Mém. de l'hist. de Languedoc p. 29. 1. GALLO *Grut.* 2. Inter primum et secundum versum totus versus apud Gruterum videtur excidisse, qui nomen patris indicavit. 5. QVARTAI *Grut.* 6. L·T· *Grut.* pro: L·F. — Quod in fine versus 6. est F·C, male descriptum videtur. — Quinque autem praeter Gallum personas commemorari censeo, Galli patrem, Messiam matrem, Quartam sororem, Senecionem quendam eiusque fratrem. Ceterum parum fiduciae est in eiusmodi apographo.

29. Narbone in moenibus 'bastion St. François' *Bosq.*

a) M. Fabius T. f(ilius) | Fab(ia) aedilis. — Bosquet.

b) M. Caesius T. f(ilius) | Fab(ia) aedilis. — Bosquet. Grut. 380, 2. — Alterum ex his titulis nihil aliud esse censeo quam exemplar alterius nomine male descripto. 2. pro FAB*ia* malim PAP*iria*.

30. Narbone.

Q. Akanius Q. f. Rufus, | ter | dictator in | Iuniliciis.

Or. 4016 ex Schmidt, opusc. p. 396.

31. Narbone in moenibus 'courtine de la bastion St. Félix' *Bosq.*

. . . . P. f. Volt(inia) | . . . . . ir praetor | *Aquis* Sextis testam(ento) | *fieri* iussit sibi et | . . . . . . e c(*oniugi*) *et Ph*ilonicae *sor*(ori).

Bosquet, qui habet: v. 3. SEXT·IS. 5. E·C·IPHILONICAENOR.

32. Narbone 'au bas de l'escalier de l'archevêché' *Bosq.*; nunc extat in museo.

L. Aufidio L. f. Aem(ilia) | Viniciano Epagatino, | praef(ecto) fabr(um), trib(uno) mil(itum), | aed(ili) bis, quinq(uennali) bis Fundis, | et Oliae L(uci) l(ibertae) Nice uxsori.

Descripsi et Bosquetium contuli. — Grut. 369, 3 (Scal.). — Fundis igitur, quod Latii oppidum pro patria ei fuisse tribus quoque Aemilia indicat, L. Aufidius et aedilitate, qui summus ibi magistratus fuit, et quinquennalitate functus est. cfr. Mommsen, Inscr. Neap. 4146 — 51 = Henzen 7036 sq. 7135. Item ob cognomen Viniciani ex materno genere cum Viniciorum gente Fundana, quam habes Momms. l. l. n. 4141, coniunctum eum conicias; contra Olium nomen Narbonense est, ut probat

Maffeiana (Gall. Ant. p. 32, 3) haec: *Olia Q. l(iberta), Iucunda* | *locum sepulturae Q. Olio Q. l(iberto)* . . . . .

33. Narbone in moenibus 'entre la bastion St. Cosme et St. François' *Bosq.*

a) C. Manlius C. f. | Pap(iria) Rufus Umber | exs decuria | lictorum viatorum, | quae est c(olonia) I(ulia) P(aterna) N(arbone) M(artio); | fecit sibi et suis.

b) C. Cassio Clementi et | Praesidiae Restitutae | contubernali et | C. Cassio Viatori liber(tis) | cumbaris. (*sic.*)

Bosquet, qui duos hos titulos ut iunctos inter se exhibet, sive quia in moenibus cohaerent inter se sive ob cognomen Viatoris, quod habet alter ex Cassiis. Partem priorem habes apud Maff. Gall. Ant. p. 80, Mur. 1064, 4 = 1111, 7, partem posteriorem Grut. 627, 11 (Scal.) hoce modo: *S(ub) a(scia). L. Antiochus f(ecit)* | *C. Cassio Clementi et Versidiae* | *Restitutae contubernali et* | *C. Cassio C. Cassio (sic)* | *Viatori liberto cumbaris*, cuius lectionis primus versus aperte Bosquetianae lectioni adiciendus est. — 5. cumbaris = comparibus.

34. Narbone.

. Cornelius P. f. Paetus, | *lic*tor viator | *c(oloniae)* I(uliae) P(aternae) N(arbonis) M(artii); p(edes) XV.

Grut. 624, 9 (Scal.).

35. Narbone.

Myrine, | Fausti col(oniae) | Narbon|esium *(sic)* servi | vicaria, hic | est sepul(ta). | Posthus con|tubernalis.

Grut. 986, 2 (Scal.), unde Orell. 2826. 1. Myrini *Gr.* Myrine emendavit Hagenbuch apud Or. l. l. 7. Posthus = Posthumus? De vicaria servi non est quod cum Orellio dubites, cfr. eundem n. 2828.

36. Narbone in museo, quo allatus est lapis ex moenibus.

C. Iulius C. f. | Caenalus, | eques Romanus | ex Hispania | citeriore | Segobrigen(sis).

Descripsi. Maff. G. Ant. p. 62, unde Mur. 1080, 5. — 6. Segobricen *Maff.* — Segobriga caput erat Celtiberiae (Plin. 3, 4); de situ accuratius definiendo quae variae extent opiniones, vide apud Ukert, alte Geogr. 2, 1, p. 458 sq.

37. Narbone in moenibus.

M. Fulvius | Italus Cordus | tri*b*(unus) mil(itum).

Bosquet. Fragmentum potius est quam inscriptio integra.

38. Narbone in moenibus 'entre la bastion St. Cosme et St. François' *Bosq.*

V(ivo) L. Baebio L. f. | Pap(iria) Nigro | praef(ecto) fabr(um) | v(ivus) L. Baebius | Auctus.

Bosquet. Grut. 373, 7 (Scal.). 1. V deest apud Grut., recte, ut mihi videtur. 3. P·NIGRO Grut. vers. 6 deest apud Grut.

39. Narbone.

Q. Septimio . . . . . *f.*, ... | . . . . | et signifero legionis | IIII Macedonicae, do|mo Foro Iuli et Or|tensiae Montanae *uxori.*

Catel, Mém. de l'hist. du Langued. p. 101. Mur. 852, 2 (Montfauc. — Bim.). v. 2 deesse ex coniectura indicavi. 5. male Bimardus legionem quartam Macedonicam extitisse negat. cfr. inscript., quae sequitur, et Henzen, ind. ad Orell. p. 126. 6. MONTANAE·W·C *Catel* et *Murat.*

40. Rep. Moguntiaci anno 1804; nunc extat ibi in museo.

C. Valerius C. f. Pap(iria) | Narb(one) Taurus, | mil(es) leg(ionis) IIII Mac(edonicae) | ann(orum) XXX | stip(endiorum) X; | ex t(estamento).

Steiner, Inscr. Danubii et Rheni n. 518.

41. Narbone.

. . . . | *P*apiria, Caesius frater | stipendiorum XXIIII.

Fragmentum male, ut videtur, descriptum, male utique Philippi Caesaris titulo (v. infra Baeterr. n. 80) iunctum a Grut. 272, 10 (Scal.).

42. Narbone.

Se vivo | T. Valerius | T. *f.* Fabia Titulus | Cabaliensis | Veteranus.

Grut. 566, 8 (Scal.). — 3. T·L *Grut.* 4. Cabaliensis = Cabelliensis; at Cabellio tribus erat Voltiniae. Itaque falsam iudicat Grotefend, imp. Rom. trib. descr. p. 117 sq.; at possit etiam esse male descripta.

43. Narbone in moenibus.

A. Averatius | Q. f. Vol(tinia) Fronto | et Fabia L. f. | Aculla uxor. | P(edes) XV.

Catel, Mém. de l'hist. du Langued. p. 104. Bosquet. 1. Avoratius *Catel.*

44. Narbone in moenibus 'bastion St. Félix' *Bosq.*

. *Manni*us, M. f. Vol(tinia) Flavos sibi | *et M.* Mannio . *f(ilio)* Volt(inia) patri, | *Li*ciniae, . f(iliae) Rufinae matri.

Bosquet, qui habet: v. 2 MANNIO. R. VOLIANO. 3. CINIAE·I·F.

45. Narbone in moenibus.

L. Statio | Vol(tinia) | Nasoni | Aquiensi (*sic Maff.*).

Maff. Gall. Ant. p. 62, unde Mur. 1027, 8. — 4. corrige: Aquensi.

46. Narbone in horto curiae.

Θ(*ανοῦσι*) vivos | A. Cornelius A. f. *Vol*(*tinia*) | Metellus Foro Iul*i* | sibi et Voconiae Q. f. Optatae | *ϑ*(*ανούσῃ*), A. Cornelio Qua*drato*, | Corneliae Sentro . . .

Descripsi. 5. in lapide est : CORNELIO · O · QVA, errore lapidarii.

47. Narbone in museo.

C. Vatinius P. f. Quir(ina) | C. Vatinius C. f., | Vatinia C. f. Tertia. — Descripsi.

48. Narbone.

T. Vipongius | Homullus | Bergusianus | hic sepultus est.

Grut. 926, 10 (Scal.). Murat. 1032, 9 (Bim.). — 3. Bergusia Allobrogum commemoratur Itin. Antonin. p. 346 Wess. = 165 Parth.; est hodie *Bourgoin*, *dép. de l'Isère.*

49. Narbone[1]).

Dec(reto) sevir(orum) | August(alium) | P. Olitio | Apollonio, | servir(o) Aug(ustali) | et navic(ulario) | c(oloniae) I(uliae) P(aternae) C(laudiae) N(arbonis) M(artii) | ob merita | et liberali|tates eius. | Qui honore decreti usus | inpendium remisit et | statuam de suo posuit.

Grut. 445, 6 (Scal.), unde Or. 4241.

50. Narbone in horto curiae.

D(is) M(anibus) | TIb(erii) Iuni Eudoxi, | navicul(arii) mar(itimi) | c(oloniae) I(uliae) P(aternae) C(laudiae) N(arbonis) M(artii) | Ti(berius) Iun(ius) Fadianus | sevir Aug(ustalis) | c. I. P. C. N. M. et | cond(uctor) ferrar(iarum) | ripae dextrae | fratri piis(simo).

Descripsi. Grut. 426, 4 (Scal.). Henzen 7253 ex Mém. des ant. de Fr. V. p. 242, ubi Arelatensis dicitur hic titulus. 6. AVG · VI *Mémoir.*, quod non est in lapide.

[1]) Nota, in inscriptionibus sevirorum Augustalium, ubi in lapidibus legitur IIIIIvir, litteris nos numerum exprimere.

51. Narbone in muro domus privatae.

Q. Iulio | Servando, | sevir(o) Aug(ustali) | c(oloniae) I(uliae) P(aternae) C(laudiae) N(arbonis) M(artii), | Licinia. Pallas | marito optimo | inlatis arcae | sevir(orum) ob tuitionem | statuae HS n(ummum) ∞; | l(ocus) d(atus) d(ecreto) d(ecurionum) sevir(orum).

Descripsi. Grut. 424, 12 (ex schedis Gundelachi).

52. Narbone in moenibus.

L. Cornelius L(uci) lib(ertus) Optatus, | aurifex, sevir | August(alis) c. I. P. N. M. | sibi et | L. Cornelio Epheso, | L. Cornelio Campana, (*sic Bosq.*) | L. Cornelio Thiali (*sic Bosq.*). — Bosquet.

53. Narbone in moenibus 'bastion St. François' *Bosq.*

V(ivus) Q. Terentius Q. l(ibertus) Serenus | Q. Terentio Q. l. Daphno, vestiar(io), sevir(o) | Aug(ustali) c. I. P. N. M., patrono optimo et piissimo, | et Octaviae Valentinae et Pompeio Firmo viro, | et Firalino, Secundillae, Pussino et Pompeiae Firmulae liberis et libertis eorum omnium | item libertorumque liberis et libertis et | sibi et suis.

Bosquet, cuius secutus sum lectionem. Maff. Gall. Ant. p. 62, unde Mur. 749, 3. Lectio Maff.: 3. c. I. P. C. N. M. 4. Ermo viro. 5. et Firalino *deest, indicatur autem lacuna; ibid.*: Pusino. 6 sq.: Salviani ..... libertis eorum omnium itemque et libertis .....

54. Narbone in moenibus.

Fannia C. l(iberta) Celia | sibi et | C. Trebonio Abundo | viro suo | IIIIII Aug. (*sic Bosq.*) N(arbone) M(artio).

Bosquet. v. 1. corrige: *Celsa.*

55. Narbone.

L. Aponio Homul*lo* | seviro Augusta*li* | Aponiae Nephelae | uxori, Aponiae | Faustae *filiae.*

Grut. 359, 2 (Scal.), ubi quattuor tantum versus sunt; equidem ex coniectura vers. quartum divisi adiecto *filiae.*

56. Narbone.

Q. Fullonio | Tholosano IIIIII (*sic Gr.*) | August(ali) | Caecilia L. f. | Tertullian(a) | uxor.

Grut. 413, 5 (Scal.).

57. Narbone in museo.

. . . . Chrysanthus, | *sevir Aug(ustalis) c. I. P. C. N.* M. et Clodia Agathe uxor | *sevir(is) Aug(ustalibus) c. I. P. C. N. M. loco* dato ex decreto sevirorum Aug(ustalium) | . . . . marmoribus exstructum et ductu | *aquae ornatum de suo fecerunt* et sportulis datis dedicaverunt. — Descripsi.

58. Narbone in aula interiori curiae, ubi lapis admodum corrosus inclusus est in muro.

a) Exemplar a me descriptum.

L. Afranius, Cerialis l(ibertus), | Eros sevir Aug(ustalis) domo Ta|racon*e* . . . . . . *Ceri*alis . . . . . . lo | . . sa (?) . . . . . . *Af*rania. Ceria|lis l(iberta), Pro*cula uxo*r. Afrania | L(uci) l(iberta), Afrani(a)e f(ilia), an(norum) . . . *hic* sita est.

b) Apographum, quod tradunt Spon, Schmidt, Bosquet.

L. Afranius, Cerialis l., | Eros se*vir* Augustalis, domo Ta|racone, hospitalis a gallo gallinaceo, Afrania, Ceria|lis l., Procula uxor, Afrania, | L. l., Uranie f., aunorum XI hic sita est.

Spon, Miscell. 190, 2 (a Graverolio), Or. 4330 ex Schmidt, opusc. p.392. Bosquet in schedis suis: atque hic quidem in imagine oppidi Narbonis antiqui, quam proponit, suo loco depinxit deversorium a gallo gallinaceo. Cuius deversorii inventor videtur esse Graverolius, a quo recepit reliquisque tradidit Spon. — Ceterum ultimi versus lectionem non pro certa affirmaverim.

59. Narbone in moenibus.

Bosquet:	Maffei, Gall. Ant. p. 32, 8:
LVTARE . AMILIO	VTAE . . . . AMILL
TABELLARIOR	. . . . . . RELLINARIO
CAESARISN̄QVAE	. . CAESARISN̄QV . .
SVNTNARBONE	. VNTNARBONE
INDOMVS	. . . .
INF . P . CCCXXV	INFPCCCXXV
IN . A . CCCV	INAPCXCV

Corrige et lege:

Collegium sa|lutare *f*amiliae | tabellarior(um) | Caesaris n(ostri), qu*i* | sunt Narbone | . . . . | In f(ronte) p(edes) CCCXXV, in a(gro) p(edes) C . . . .

Collegia salutaria habes Lanuvii (Henzen n. 6086) et Conimbricae

in Lusitania, Or. 2415 = Hübner, Monatsberichte d. Akad. der Wissensch. zu Berlin 1861 p. 776 sq.

60. Narbone.

C. Lucius Philomusus | ampullarius, frugi | hic est sepultus.

Grut. 643, 10 (Scal.), unde Or. 4143. '*Frugi* laudis est epitheton' *Orelli.* cfr. infra n. 63 et Orellianam 4642, quae Narbonensis et ipsa est: *Afrena* | *C. f., Secunda* | *uxor pia, frugi* | *hic est sepulta* | *p(e des) q(uadratos) XV.*

61. Narbone.

. Valerius *G*emellus Foro*i*uliensis, | auguarius, *(sic Grut.)* sibi et Iuliae, M. f., | *Q*uintae uxori; i(n) a(gro) p(edes) q(ua-dratos) V.

Grut. 645, 2 (Scal.). Catel, Mém. p. 103. 1. FORTVLIENSIS *Grut.* et *Cat.* 2. AVGVRARIVS *Cat.*

62. Narbone.

Vivont. | L. Oppio Quinto | capistrario, | Maliae Carae con-tuber(nali); | per annos . . . . . | sine iurgio vivont.

Or. 4158 ex Schmidt opusc. p. 398. — Finem versus 5. consulto vacuum reliquisse videntur auctores tituli.

63. Narbone.

Vivont. | L. Cervius L. l. | Zetus clavar(ius) | materiar(ius) sibi et | Notae libert(ae), | Iucund*ae* l(ibertae) frugi | in agrum ped(es) *q(uadratos)*. . . .

Maff., Gall. Ant. p. 80, unde Mur. 944, 1. Or. 4164. 6. Iucunda *Maff.*

64. Narbone.

Q. Nigidius Primus | lanarius sibi et | Probo merenti | li-b(erto) suo.

Grut. 1035, 4 (Scal.). Mur. 967, 2 (Bim.). *Grut.:* 2. laniarius. 3. meroe. 4. liber. sui.

65. Narbone in museo.

Viv(us) | L. Pomponius L. l. | Diocles medicus | sibi et Ati-liae | Quartae uxori.

Grut. 633, 10 (Scal.). Mur. 972, 4 (Bim.).

66. Narbone in moenibus.

Θ(ανών) | Lucceius | Philini l., | medicus. *Marito* | *C*aninia | . l., Attice.

Maffei, Gall. Ant. p. 80, unde Mur. 962, 7.

67. Narbone.

C. Offelius | C. l. | Zetus frugi | mercator.
Grut. 645, 6 (Scal.).

68. Narbone.

L. Baebius | Lepidus | nummularius. — Mur. 941, 3 (Maff.).

69. Narbone.

A. Sempronio, | . Gallaeci l., Laeto | purpurario | et Semproniae | Modestae uxori.
Grut. 649, 9 (Scal.). Catel, Mém. p. 88 et 101.

70. Narbone in horto curiae.

Actorius, L. l., Spaer . . | sagarius.
Descripsi. 1. Vidi Nemausi ad portam quae vocatur Augusti fragmentum hoce: *S. Spaeris.*

71. Narbone.

L. Braetius | Litarinus | solearius. — Grut. 648, 13 (Scal.).

72. Narbone.

Vivit | C. Rabirius | C. l. Hilarus | tabellarius.
Grut. 625, 2 (Scal.).

73. Narbone.

Vivont | A. Turranius | Niger | viminarius | Turrania Montana | uxor; | in a(gro) p(edes) x.
Grut. 642, 3 (Scal.), unde Or. 4298.

74. Romae.

C. Iulio Marcello | Narbonensi | v(ixit) a(nnos) XVIII | Clyco *(sic)* pat(er) | infelicissim(us). — Mur. 1061, 6.

75. Camerini Umbriae.

D(is) M(anibus) | Cassiae Iulianae | coniugi car(issimae) | Sex. Provinius Nar|bonensis | v(ixit) a(nnos) XXII m(enses) III.
Mur. 1061, 2.

76. Narbone.

Ad portam Romanam . . . — Grut. 167, 7 (Scal.).

77. ‘Cette inscription, dont la forme des lettres indique les premières années du IVe siècle, fut découverte en 1786 dans la chapelle de

la Vicomté; elle servait de support à l'autel.' *Tournal.* Nunc videtur extare in museo, at ego non vidi.

Pontem, portas, aquiductus, quarum rerum | usus longa incuria vetustate corrue|rat, civitati restauravit Agredinus | et ad praeturianam (*sic*) Galliae praefecturam | iudicio Agustae (*sic*) remunerationis evectus est.

Tournal, Description du musée de Narbonne p. 62 n. 224, unde Stark, Staedteleben in Frankreich p. 599. — 5. 'les mots *evectus est* sont presques entièrement effacés' *Tourn.*

VICVS MOUX.

78. Inscriptio rep. et asservata in vico Moux (*dép. de l'Aude*), sito inter Narbonem et Carcasonem.

T. Valerius. C. f. Senecio | P. Usulenus, VelenTonis l., | Phileros | T. Altidius T. l. Stabilio, | M. Usulenus M. l. ChariTo | magisTri pagi ex rediTu fani | Larrasoni cellas faciund(as) | curaverunt idemque probaverunt.

Descripsi ex imagine ad ipsum lapidem confecta, quae extat in museo Narbonensi. cfr. supra n. 22.

79. Rep. in vico Moux.

P. Cornelius | Phileros | Larrasoni | v(otum) s(olvit) l(ibens) m(erito).

Henzen 5893 ex Mém. des Ant. du Midi IV. p. 137. Vidi equidem Carcasone in museo hoc fragmentum, quod, ubi repertum sit, non comperi: *P. Cornelius* | *Phileros.*

II. BAETERRAE.

(*Béziers, dép. de l'Aude.*)

80. Titulus Narbone olim asservatus; ubi nunc sit ignoro.

M. Iulio Philippo, | nobilissimo Caes(ari), | principi iuventu-
p. Ch. 244 —246. tis, | Sep(timanorum) Baeterr(ensium) | *colonia posuit.*

Grut. 272, 10 (Scal.). cfr. supra n. 41. — 2. CAESA *Grut.*

81. Baeterris 'sur le mur d'une maison en face de l'évêché' *Millin*. Equidem cum Baeterris essem, frustra quaesivi.

Corneliae | Tertullae | flaminicae c(ivitatis) Vi(ennensis).

Millin, Voy. IV. p. 367. — 3. fortasse pro CVI legendum est CIV*ita*-*tis* scil. Baeterrensium.

82. Baeterris.

L. Aponio . . . . | praefecto equit(um) . . . . | et leg(ionis) XXI praefect . . . . | rimo urbi Iul(iis) Baeterr(is) pr . .

Maffei, Mus. Veron. 418, 5. Recte descriptum esse hunc titulum non affirmaverim; recepi tamen ob nomen oppidi.

83. Rep. a. 1806 prope Moguntiacum; nunc extat ibi in museo.

Have Cae|cili. C. Cae|cilius C. f. | Pup(inia), Parra | dom(o) Bae(terris) | mil(es) leg(ionis) IIII | *Mac*(edonicae), ↄ [i. e. centuria] Q. Aem|ili, ann(orum) XIIX, | st(ipendiorum) II, h(ic) s(itus) e(st.) | M. Antoni|us Flaccus | d(e) s(uo) d(edit).

Steiner, Inscr. Danub. et Rhen. n. 531.

84. Rep. a. 1842 Moguntiaci; nunc dicitur periisse.

L. Marius L. f. Pu|pinea Baeterris | miles leg(ionis) XXI, sti|pendiorum | XVI, anno(rum) XXXX, | hic sit(us) est; frate|r faciundum | curavit.

Steiner, Inscript. Dan. et Rhen. n. 284. Henzen 5226.

85. Rep. esse hunc titulum Baeterris refert *Dumège*, non indicans ubi nunc sit.

C. Coponio | Grato | seviro | Augustali.

Dumège in Hist. du Languedoc, nouv. édit. p. 637 n. 30.

Praeterea inter duodecim fere inscriptionum fragmenta, quae pertinent ad diversa monumenta et iacent in claustro ecclesiae cathedralis, hoc tantum inveni, quod referat hic apponere:

86. . . . . . l(iberta) Celsa | . . . . llionis | . . . . publico | l(ocus) d(atus) ex d(ecreto) d(ecurionum).

III. SEXTANTIO.

(*Substantion*, prope urbem *Montpellier.*)

Postquam Sextantio, colonia a Romanis in Gallicum pridem oppidum deducta, ineunte medio aevo funditus eversa est, reliquiae veterum monumentorum et qui per illum tractum secundum viam Romanam extiterant lapides miliarii a vicinis sublata sunt et per proximos vicos ad novos usus adhibita. Hodie vero quae loco poterant moveri, coepta sunt in urbem Montpellier transferri ibique in horto musei publice exponi. Ex titulis, qui hoc modo reperti sunt, eos quidem, qui illustrandis veteris Sextantionis antiquitatibus inserviunt, hoce loco proponam, lapides autem miliarios infra inter reliqua eius generis monumenta suo quemque loco commemorabo.

87. In aede sacra vici Castelnau. Repertus dicitur hic titulus inter ipsius Sextantionis ruinas *(Mérimée)*, at iam Maffei aetate erat in vico Castelnau.

Cn. Plaetorius Macrinus | colonis et incolis | ex ea pequnia, quae ei in | statuas conlata est.

Maffei, Gall. Ant. p. 72. Prosp. Mérimée, Notes d'un voyage p. 363. Mém. des Ant. de France t. 11. p. 154. Coloniae sive omnino civitatis ius qualenus cadat in Sextantionem, exposuimus in descriptione territoriorum.

88. 'A Murviel, découverte durant les derniers jours de février 1839' *Dumège*. Nunc extat in horto musei Montpelliereusis; lapis long. metr. 1, 54, alt. 0, 43 insignis est antiquiore litterarum quadratarum forma.

Sex. Vetto C. Pedo aed(iles) | viam, lacum ex d(ecreto) d(ecurionum) | refic(ieuda) coer(averunt).

Descripsi; edidit Dumège in Hist. du Languedoc p. 637 n. 28.

89. Rep. in vico Moutbazin. *Dumège.*

D(is) M(anibus) | C. Vettl Hypni | sevir(i) Aug(ustalis) | C. Vettius Eutyches | t(estamento)? f(ieri) i(ussit) | viv(us).

Dumège in Hist. du Languedoc p. 637 n. 29. — v. 4. pro T·F·I malim *patri* F·I.

90. Rep. in vico St. Julien. *Delmas.*

Isidi *sacrum.* | Sac(erdos) co(loniae) Aelius .... | ex testamento f(ieri) *i(ussit).*

Delmas in Mém. des Ant. de Fr. t. 2 p. 153. — 3. F·Y Delm., reliqua quoque inscriptio neglegentius videtur descripta; v. 2 legendum est fortasse: SACERDOS AELIVS.

91. Rep. prope vicum Murviel *(D'Aigrefeuille)*, nunc extat in horto musei Montpellierensis; litterae iam prope evanuerunt.

D(is) M(anibus) | P. Anini Logi, | patris sacrorum, | Cornelia Luci fil(ia) | d(e) s(uo) p(osuit).

Descripsi. D'Aigrefeuille, Hist. ecclésiastique de Montp. 1739 p. 80. — 2. ANTHEMII·LOG·F *Aigref.*

92. 'A Poussan, sur une petite place près du château'. *Mérimée;* nunc extat in horto musei Montpell.

D(is) M(anibus) | L. Iúlii | Chrysiónis | Ombania Sozú(sa) | marit(o) optim(o) | et sibi viva p(osuit).

Descripsi. Mérimée, Notes d'un voy. p. 365.

Alios huius regionis titulos, sed mere sepulcrales editos habes in Mém. des Ant. de Fr. l. l. p. 153—155.

IV. NEMAVSVS.

(Nîmes, département du Gard.)

Lapides inscripti Nemausenses eo tempore, quo Millin Nemausum perlustravit, sive initio huius saeculi ita per urbem dispersi erant, ut tria extarent loca, quae plura monumenta continebant, thermae, domus Seguieriana, reliquiae portae Augusti, ingens autem reliquorum lapidum numerus per diversa urbis loca et domus privatas esset dissipatus. Et thermae quidem nominari solent ruinae aedificiorum, quae extra urbem prope locum qui vocatur *la fontaine* eruta sunt inde ab anno 1739; inter quae insigne prae ceteris est templum quod vocant Dianae, atque inter huius templi reliquias hodie quoque permulti lapides ibi reperti conservantur. Omnia vero, quae cum his

thermis cohaerent, ad lucum dei Nemausi pertinuisse et eo ipso loco fuisse constituta, quo aquaeductus, cuius pars erat celeberrimus ille *pont du Gard*, aquas suas effundebat, exposuerunt nuper Germer-Durand, Revue archéologique t. VII. (1850) p. 195, et B. Stark, Staedteleben etc. in Frankreich p. 97—100. Domus deinde, quae Seguieri clarissimi viri et de antiquitatibus patriae suae optime meriti olim fuerat, hodie quoque non modo in horticulo adiacenti, sed etiam in muris vestibuli et aliis ipsius domus partibus plures eosque insigniores condit titulos. Portam autem Augusti *(Porte d'Auguste)*, quae in libris vetustioribus atque etiam apud Millinum vocari solet *porte de la couronne*, unam ex iis portis fuisse, quas Augustus a. u. c. 738/39 Nemausensibus dedit, demonstrat titulus in ea inscriptus (infra n. 95); atque circa hanc quoque portam hodie magnus inscriptionum numerus extat. Longe plurimae vero collocatae nunc sunt in museo urbis constituto in celeberrimo templo vetere, cui nomen est '*la maison carrée*'; ibi enim et circa templum et in ipso templo prostant lapides aetatis Romanae ex omni parte urbis congesti et reliqua quoque illa loca, quae pridem pro museis fuerunt, nunc partem monumentorum suorum novo huic museo dederunt. Exceptis igitur quibusdam monumentis quae adhuc in muris domorum privatarum haerent, quattuor hodie sunt loca, quae qui perquirendis inscriptionibus operam dant, debent perlustrare: museum, thermae sive templum Dianae, porta Augusti, domus Seguieriana.[1])

93. Titulus, quem *Ménard* testatur repertum esse inter fundamenta aedificii, quod hodie est *l'hôpital général;* nunc extat in domo Seguieriana.

M. Agrippa L. f. *cos. tertium fecit.*

Descripsi. Ménard, Hist. des antiq. de Nimes, édit. augm. p. 71.

[1]) Inter inscriptiones Nemausenses titulum, quem in epistylio musei (*maison carrée*) variis modis volebant legere (cfr. Millin, Atlas pl. 73, 2), omisi. Saepe enim auctore Seguiero conati sunt, ex foraminibus, quae figendis clavis litterarum aenearum olim destinata adhuc conspiciuntur, ipsas litteras restituere, eamque rationem in templo illo Nemausensi primum adhibitam transtulerunt et ad templum Viennense, quod vocant Augusti et Liviae (Chorier-Cochard, Antiq. de Vienne p. 91 n. 1) et ad monumentum quoddam Arelatense (Millin, Voy. III. p. 620). At iam Millin hos conatus optime refutavit notans ipsos illos restitutores iisdem litteris in eodem titulo diversa ratione foramina attribuere neque omnino hac ratione certi quidquam posse erui.

94. Fragmentum, quod extat in templo Dianae.

M. Agripp*a L. f. cos. tertium fecit.*

Descripsi. Pertinere ea monumenta ad a. a. Ch. 20, in historia provinciae probare conati sumus.

95. 'Trouvée dans la démolition des remparts élevés en 1194 sous Raimond V comte de Toulouse'. *Millin.* Porta, cuius haec inscriptio est, hodie quantum fieri potuit, ad pristinam formam est restituta. Litterae tituli, qui in epistylio insculptus est, exhibent foramina affigendis litteris aeneis destinata; quaedam litterae prope evanuerunt neque tamen ita, ut non aliqua vestigia deprehendas. Itaque titulum quasi integrum hic exprimere liceat:

Imp(erator) Caesar Divi f(ilius) Augustus co(n)s(ul) XI tri- a. Ch. 16/15.
b(unicia) potest(ate) | VIII portas muros col(oniae) dat.

Descripsi. Millin, Voy. IV. p. 235. Atlas pl. 74, fig. 1, ubi et imaginem portae habes et inscriptionem.

96. 'Trouvée à l'amphithéâtre en 1810'. *Perrot.* Quattuor fragmenta sunt epistylii, quae nunc asservantur in aula musei.

C. Ca*esar Au*gusTi f*il(ius) cos. desig(natus) patro*nus col(o- a. urb. cond. 753.
niae) | *Nemausensis* xystum . . . . *col(oniae)* dat.

Descripsi. Perrot, Antiq. de Nîmes p. 227 n. 69. cfr. Suet. Oct. 65: *Caium et Lucium teneros adhuc ad curam reipublicae admovit et consules designatos circum provincias exercitusque dimisit.*

97. 'Trouvée dans les arènes lors du déblai de 1809'. *Perrot.*

. . . . VIII tri . po . . . .

Perrot, Antiquités de Nimes 1846 p. 43, qui supplens *cos.* VIII hoc fragmentum refert ad titulum unius ex imperatoribus Flaviis; eos enim solos fuisse consules VIII praeter Augustum, de Augusto autem agi non posse, quod hoc cos. VIII sive anno a. Ch. 26 amphitheatrum Nemausense non extiterit. Et de Augusto cos. VIII certo agi non potest, quod Augustus eo anno tribuniciam potestatem nondum inter titulos receperat; at possit agi de Augusto *cos. XI imp. VIII trib. pot. III.* Quod autem Perrot affert, amphitheatra sub Augusto in provinciis non fuisse, id non nego, at hoc fragmentum, quod inter rudera repertum est, quibus olim amphitheatrum obrutum erat, non necesse est ad id aedificium pertinuerit. Quidquid id est, omnino melius erit, abstinere coniecturis in eiusmodi fragmento relato a teste parum certo.

Praeterea ad templum illud, quod Dianae dicitur, anno 1739 tredecim fragmenta epistylii cuiusdam sunt effossa, ex quibus hodie novem intra ipsum templum asservantur, ubi ipse ea descripsi; ex quattuor reliquis quae deperdita nunc dicuntur, duo nota sunt ex schedis Seguieri quas possidet A. Pelet, duo ex actis academiae Parisiensis (Mém. de l'acad.

des inscript. et belles-lettres vol. XIV. p. 107 pl. 2 G. XV. p. 160). Quae fragmenta plus semel exercuerunt eos, qui antiquitatibus Nemausensibus operam dederunt, et peculiarem dissertationem de iis scripsit *Aug. Pelet* (Essai sur une inscription monumentale découv. à Nîmes en 1739). At neque is quidquam in lucem edidit, quod aliquam habeat probabilitatem[1]), neque omnino haec fragmenta sufficere mihi videntur, ut titulus possit restitui, nisi quod certo legitur initio sec. versus: *respublica Nemausensium* et agi videtur de monumento aliquo ad imperatorem Hadrianum pertinenti. Quae cum ita sint, superfluum videtur, ipsa fragmenta apponere, quae nisi sedulo depinguntur, nullius omnino usus sunt.

98. Nemausi.

Faustinae Aug(ustae), | imp(eratoris) Caes(aris) T. Aeli | Hadriani Antonini | Aug(usti) Pii p(atris) p(atriae) trib(unicia) pot(estate) X | imp(eratoris) II. cos. IIII filiae, | M. Aurelii Caesaris uxori.

Ménard, Hist. de Nîmes t. VII. p. 272. v. 4 non est, quod cum Menardo *trib. pot. IX* corrigas; cfr. Orelli 865. De Faustina iuniore eiusque titulo Augustae, quem marito etiam Caesare adepta est, cfr. Eckhel VII. p. 77. — Antonini Pii genus fuit Nemausense (Capitol. vit. Anton. c. 1).

99. Nemausi.

Imp(eratori) Caesar(i) | C. Valerio | Diocletiano | p(io) fel(ici) invic(to) *Augusto* | pont(ifici) *max(imo)* | *Germanico* max(imo) . . .
. . . . . .

Murat. 256, 8 (Guiran), qui vv. 4—6 sic habet: P·FEL·INVIC | PONT·AVG | PONTMAX.

100. Nemausi ad portam Augusti.

L. Ranio Optato, cos., procos. *pro*|vinc(iae) Narb(onensis), c(larissimo) v(iro), leg(ato) Aug(usti) iuridico Astur*iae et Gal*-| leciae *(sic)*, curatori viae Salariae, curat*ori* *reip(ublicae)* | Urbinatis Mataurensis, leg(ato) dioecoeseos . . . . . | praetori, tribuno) pleb(is), q(uaestori) provinc(iae) Siciliae . . . . . . , | praesidi integerrimo, Nemausenses p*atrono*.

Descripsi. Millin, Voy. IV. p. 250, qui male confundit cum alio eiusdem viri titulo honorario Grut. 463, 4 = Murat. 1057, 3, quem in-

[1]) Haec sunt, quae Pelet inscripta esse vult: *Divae Aug. Plotinae respublica Nemausensium labrum cum marmoribus ceterisque ornamentis beneficio imperatoris Caesaris Augusti, Divi filii, Hadriani ad novitatem restituit.* Quae invita Minerva inventa esse facile concedas.

fra dabimus in serie proconsulum provinciae Narb. De honore legati dioeceseos, quam provinciae Asiae dioecesim fuisse probat Grut. 463, 1, cfr. Mommsen, Epigraphische Analecten in Ber. der sächs. Gesellsch. 1852 p. 219. De aetate huius viri cfr. item infra.

101. Nemausi ad portam Augusti.

C. Aemilió Bere*ni*|ciano Maxim*o* | $\overline{cos}$. septemviró epulón(um), pró*consuli* | splendidissimáe próvinci*ae* | Nárbouensis, leg(ato) pro pr(aetore) provin*c*iae | Asiáe, práetori supremár(um), allecto | inter tribúnic(ios) a DIvó Magn(o) Antó|nino, q(uaestori) urbáno, tribún(o) láticlavio | leg(ionis) IIII. Scythicáe, item VII geminàe | iterátó tribunátu, decemviró stlitibus | *iudi*candis . . . .

Descripsi. Millin, Voy. IV. 254. Henzen 6454, qui Millingeni exemplar secutus paullo aliter distribuit apices. De magistratu praetoris supremarum sc. voluntatum cfr. Borghesi, Ann. d. Inst. arch. 1853 p. 195. — 7. Divus Magnus Anton. est Caracalla.

102. Nemausi in aula musei; rep. videtur prope templum Dianae (*Ménard*).

L. Aemilio M. f. Vol(tinia) | Honorato, | IIIvir(o) capitali, q(uaestori) própr(aetore) | próvinc(iae) Ponti et Bithyniae, | lég(ato) eiusdem próvinc(iae), aed(ili) pleb(is), pr(aetori), | praef(ecto) frumenti dandi ex s(enatus) c(onsulto), | sacerdóti fétiáli, procó(n)s(uli) próvinc(iae) | Crétae et Cyrénárum. | Hic bós honórés benefició optumi princip(is) | matúrius, quam per annós permitti solet, | gessit.

Descripsi; huius tituli fragmentum dedit Ménard t. VII. p. 282; quaestor Ponti et Bithyniae nisi ante a. p. Ch. 136 Aemilius esse non potuit, quod hoc anno provincia Caesaris Bithynia facta est. cfr. Borghesi, Mem. sopra il console Burbuleio p. 27.

In eiusdem lapidis alio latere Ménard dicit hanc secundam legi inscriptionem:

103. Honori | Q. Soloni Fabi(?) Severin(i) f(ili) V(oltinia), | ob merita eius praeterita et | praesentem liberalitatem, | quo maturius balneum usibus | plebis exhiberetur, fabri tign(arii) Nem(ausenses).

Hunc titulum ipse non vidi; basis, in qua uterque titulus inscriptus est, bis ad similem usum videtur esse adhibita. Q. Solonium, Q. f., Volt., Severinum infra habes n. 106.

104. Nemausi ad portam Augusti.

T. Iúlio, Sex. f., Volt(inia,) Maximo Ma ..... | Broccho Servilian(o) A. Quadron ...... | L. Servilio Vatiae Cassio Cam ...... | lég(ato) Aug(usti) leg(ionis) IIII. Flaviae, lég(ato) Aug(usti) leg(ionis) I. adiútricis, | iúridico His(paniae) citeriór(is) Tarracónéns(is), pr*aet(ori)*, q(*uaestori*) | próvinciae Hisp(aniae) ulterióris Baeticae, don*ato* | bello Dácico corouis múrali et vállári, I*tem arg(enteo)* | véxillo, trib(uno) mil(itum) leg(ionis) V. Macedonic(ae), séviro *equitum* | Róm(anorum) turm(ae) I., Xviro stlitibus iudic*andis* | Calagurritáni | ex Hispánia citerióre patr*ono*.

Descripsi. Millin, Voy. IV. p. 248. Borghesi, Annal. dell' Inst. arch. 1839 p. 147, cuius sunt supplementa. Henzen 6490. v. 7. VALLARI *et arg.* Borgh., sed quam in fine versus conservatam vidi hastam I, *item* mihi videtur indicare. 9. DIIVDIC Borgh.

105. Nemausi in domo Seguierana.

.... | hastis puris IIII, v*exill* ...... *ex volun(t)ate* | imp(eratoris) Caes(aris) Nerv(ae) Tra*iani Augusti Germanici* | Dacici Parthici p(atris) p(atriae), *legato eiusdem principis* | Divi Nervae fi(li) im*peratoris Caesaris Nervae Traiani* | optimi Aug(usti) Germ*anici in bello Dacico*, | pr(aetori), trib(uno) pleb(is), q(uaestori) pro*vinciae* .... *tribuno militum* | leg(ionis) I. Italicae, leg(ionis) III*i Macedonicae, datis* | in publi*cum Avenniensium HS* .... | a Pompeia Marull ... *uxore.* | Locus d(atus) *d(ecreto) d(ecurionum)* | Avennien*sium*.

Millin, Voy. IV. p. 253. — vv. 2—4 Millin unam eandemque titulorum imperatoris seriem esse vult; at cum hoc modo insolita prorsus titulos enumerandi ratio eveniret, equidem aliter supplendum censui suspicans eodem imperatore bis idque diversa ratione commemorato duo diversa tempora distingui. Dacicus enim Traianus appellatur inde ab a. p. Ch. 103; Parthicus inde ab a. 116. Contra Germanici nomen iure hereditario habuit. 3. pro *legato principis* possit etiam suppleri: *comiti principis*. Versus 10 sq. probant, non Nemausi sed Avenione positum esse hoc monumentum.

106. Nemausi in domo Seguieri.

Q. Solonio, Q. f*il(io)*, *Volt(inia)* | Severino, | ex V decuriis, equo | publico, Luperco, | IIII vir(o) ab aerario, | pontifici, | flá-

mini provinciae | Narbonénsis, | trib(uno) militum leg(ionis) VIII. Aug(ustae) | civitas Foroiuliensium | patróno.

Descripsi. Bouche, Chorogr. de la Provence p. 246 sq.

107. Rep. Nemausi a. 1739 in thermis; nunc prostat in aula musei. Lapis extat totus, sed initia primorum versuum prorsus evanuerunt et omnis inscriptio difficillime legitur.

*L. Sam*mio . P. fil. Vol(tinia) | *Eutyci*ano, eq(uum) publ(i-cum) | *haben*ti, allec(to) in V | *decur*(ias), Luperco, flam(ini) | *prov*inciae Narbonen|*sis*, praef(ecto) cohortis II | . . . anae Vasconum | civium Romanorum | P. Sammius Maternus, | alumnus L. Sammi Eutici|*ani*, archiereus synhodi.

Descripsi. Hist. de l'Acad. des Inscr. t. XIV. p. 107. pl. 3 O. Murat. 2038, 1. Or. 2543. Praeterea contuli de hoc titulo schedas Seguieri, quae sunt in bibliotheca Nemausensi. 1. L·F·VOL· Mur. 2. ROMANO Mur. ILIANO Seg.; equidem ANO tantum legi, EVTYCI autem desumpsi ex v. 10, quia ei ipsi L. Sammio, quem habes v. 10, titulus positus est. Ad cognomen Eutyciani cfr. Grut. 870, 3. 3 *haben*TI omisit Mur. 7. ROMANAE Mur. HADRIANAE Seg., tres fere litteras spatium admittit. 9. SAMIVS omisso praenomine Mur.

108. Rep. in thermis nunc est in templo Dianae. Lapis extat totus, sed a sinistra parte adeo corrosus est, ut plura legere non contigerit.

. . . . minio | . *filio*, Volt(inia) | . . . . ano, eq(uum) | *publ(icum)* habenti, | *flam(ini)* *provinc*(iae) | *Narb(onensis,) quaest(ori)* [sive *aedili*] col(oniae) | *Nemaus(ensis,)* IIII vir(o) | *ab aerario*, pontif(ici) *resp(ublica)* *Nem*(ausensis).

Descripsi. Millin, Voy. IV. 223.

109. Nemausi, 'trouvée en 1666 près du jeu de mail, sous les ruines des anciennes murailles de la ville'. *Ménard.* Nunc extat in domo Seguieriana.

TI. Caesaris, | DIvI Aug(usti) f(ili), AugusTi | mIles missicius T. Iulius | Festus militavit annos XXV | in legione XVI; decreto decurion(um) | accepit frumenti *m(odios)* L, balneum et | sui gratuitum *(sic)* in perpet(uum) aream in|ter duos *(sic)* turres per P. Pusonium Pere|grinum, IIII vir(um) et XI vir(um) adsignatam.

Descripsi. Spon, Misc. p. 239, unde Or. 3579. Ménard t. VII. p. 305. 6. M·L Spon et Ménard. 7. IN PERPET omis. Spon. Rarum exemplum praebet hic titulus, si confers Suet. Tib. 48: *missiones veteranorum rarissimas fecit, ex senio mortem, ex morte compendium captans.* —

Historiam legionis XVI. habes apud Borghesium, Burbul. p. 37; fuit sub Tiberio in Germania superiore. Tac. Ann. 1, 37.

110. 'Ce fut encore près du jeu de mail que furent trouvées les deux inscriptions suivantes et à peu près au même endroit, où l'on découvrit la précédente, ce fut en 1647 selon le témoignage de Guiran'. *Ménard.* Idem sua aetate extare hos titulos dicit 'dans la maison de M. Lombard de la Tour, rue dorée'.

a) Ex dec*re*(to) | decurio(num) | et Puson(i) | Peregrin(i) | IIII vir(i) T. | Iulio Festo.

b) Ex dec(reto) | decurion(um) | ar(ea) dat(a) Iul(io) | Festo per | Puso(nium) Peregr(inum).

Ménard t. VII. p. 309. Murat. 556, 3 (Bim.) et 556, 4 (ex schedis Guirani). De falsa Muratorii opinione, qui tesseras hospitalitatis has esse et b. 2 sq. agi de decurionibus Arelatensibus censet, non est quod longius disseramus. Lapides hi reperti sunt inter ruinas murorum, quibus ager Iulio Festo donatus adiacebat, ut qui esset 'inter duas turres' (n. 109); ergo dispositi erant a Festo per eam murorum partem, cui fundus suus adiacebat. a) 1. EXDECER traditum est.

111. Inscriptio quam Nemausi vidit Poldo d'Albenas: nunc videtur deperdita et ne Poldo quidem, ubi sua aetate fuerit, refert.

Isis . . . . (*signa Isidis*,) | Serapis, Vestae, Dianae, Somni HS n(ummum) $\overline{\text{VI}}$ [i. e. sex milium] | et phialas II chrysen*detas HS n(ummum)* . . . CLI., *si*gna | deorum argentea castrensia, *quae* dom*i* | habebat, *ex argenti pondo* . . . . *templo dedit*, item | dedicatione templi Isis et Serapis | deo*rumque Vestae, Dianae, Somni* | *decuri*onibus Nemausensium et ornamentar*iis omnibus*, singulis ✶ [i. e. denarios] V, ita ut | in publico vescerentur, distribui | iussit inque eius domus *perpetuam* | *tu*telam HS n(ummum) $\overline{\text{X}}$ reliquit; | item . . . . imaginem Martis ar|genteam ex *argenti pondo* . . . . | *S*amnagensibus dedit . . . . . *hunc* [sive *hui*]c | ordo Bitur*igum* . . . .

Poldo d'Albenas, Discours p. 178, a quo pendent qui reliqui ediderunt Grut. 48, 1. Grasser, Ant. Nem. p. 1074. De la Saussaye, Numismat. p. 101. Grasser quidem dicit: 'Ioh. Steckius, peregrinationis meae comes, hoc fragmentum mihi exhibuit', sed cum ipse Grasser cum Poldonis apographo ita conveniat, ut nihil melius, quaedam neglegentius habeat descripta, apparet Steckium quoque Poldonis exemplar excripsisse. 1. quod initio versus Poldo habet ISIS fortasse in fine est ponendum. 4 sq. CASTRENSIA DOMO HABEBAT *Poldo*. 8 sq. ORNA|MENTA . R . . . *P.* 15. *S*AMNAGENSIBVS recte supplevit De la Saussaye; agitur enim de

illis Samnagensibus, quos inter latina oppida habes apud Plinium (3, 5). Simul hac nostra inscriptione confirmatur lectio codicis Pliniani Leidensis A, qui habet *Samnagenses* pro vulgata *Sanagenses*.

112. 'Rep. inter vicum *Clarensac* et Nemausum'. *Ménard.* Extat nunc in museo Nemaus.

Memoriae | M. Atti M. fil(i), Volt(inia), | Paterni equo public(o) | honorato, item decu|rioni col(onia) Apollinare | Reiorum, decurioni | ornamentario col(oniae) Aug(ustae) | Nemausi, an(nos) XXV agenti | Cloelia, Sex. filia, | Paterna | filio piissimo.

Descripsi. Ménard t. VII. p. 279.

113. 'Prope Nemausum ad molend. iudicis'. *Maff.*

M. Veri | Victoris, | decurion(is) col(oniae) | Iul(iae) Aug(ustae) Apollinar(is) | Reior(um), item col(oniae) | Aug(ustae) Nem(ausi) ornam(entarii), | vivos sibi et suis | fecit.

Maff., Gall. Ant. p. 61. — Initio tituli *Dis Manibus* sive *Memoriae* post mortem Verii debuit apponi.

114. Nemausi in aula musei. Lapidis superficies hic illic laesa est.

C. Mario Iuven*i* | Iuliáno | ornamentis decuriónálib(us) ornato; | vixit ann(os) XX; | C. Marius Cupltus | fil(io).

Descripsi; lapis integer haud dubie plures exhibuit apices.

115. Nemausi rep. 1739 prope templum Dianae, nunc est in aula musei.

C. Aemilio C. f. | Volt(inia) Postumo, | omnibus honori(bus) | in colonia sua | functo, | trib(uno) mil(itum) leg(ionis) VI. victr(icis) | d(ecreto) d(ecurionum).

Descripsi. Hist. de l'Acad. des Inscr. t. IV. p. 107.

116. Nemausi in aula musei; a parte dextra lapis paullulum est fractus, non tamen ita, ut nulla restent extremarum litterarum vestigia.

L. Iulió Q. f. Volt(inia) | Nigro | Aurélio Servato | omnib(us) honórib(us) | in colóniá sua | fúnctó | seviri corporat(i) | Nemausénses | patróno | ex postulatióne populi; | l(ocus) d(atus) d(ecreto) d(ecurionum).

Descripsi. Frat. Ioh. Iucundus Veronensis, cod. Magliabecch. f. 210 r = cod. Veron. 177. Grut. 423, 6 (Scal.), uterque omissis apicibus.

117. Nemausi 'jardin de M. Calvière hors de la porte des Carmes'. *Ménard.*

L. Iulio Q. f. Vol(tinia) | Nigro | IIIIvir(o) ab aér(ario) | se-

vir(i) Aug(ustales) corp(orati) | Nemausens(es). | L(ocus) d(atus) d(ecreto) d(ecurionum).

Grut. 423, 5. Ménard t. VII. p. 285.

118. Nemausi.

Dis Manibus | Auli Verati | Severi | omnibus honorib(us) | in colonia sua | functi.

Mur. 1113, 1 (Guir.). Fragmentum potius est quam inscriptio integra.

119. Nemausi.

. Val(idio) Servato | omnib(us) hon|oribus | functo | Validia Munatia | filia.

Ménard VII. p. 277 (Guir.).

120. Romae.

D(is) M(anibus) v(ivus) f(ecit) | Sex. Sammius | Sex. f. Vultin(ia) *(sic Donat.)* | Aper, domo Nemauso, | IIII vir iuredicundo, | pontifex publicorum | sacrificiorum, | praefect(us) vigilum | et armorum.

Donat. ad Murat. I. p. 71, 6, unde Or. 2157. Kellermann, Vigil. Rom. p. 33 n. 28.

121. Nemausi.

D(is) M(anibus) | C. Casseli Vol(tinia) | Pompeiani | praefec(ti) fabr(um), | IIII vir(i) iuridicundo, | praef(ecti) vigil(um) et arm(orum) | *et* Annoniae Titullae | uxori.

Grut. 385, 6 (Poldo), unde Kellermann, l. l. p. 33 n. 22. Ménard VII. p. 288. 7 sq. ANTONINA | TITVLLIA VXOR Mén.

122. Nemausi.

. . *Lucretio*, . . *f.*, *Voltinia Ho*|norat(o), IIII vir(o) iuris | dicundi, pontific(i), | praef(ecto) vigil(um) et armor(um), | Q. Lucretius Honorat(us) | patri piissimo | pietatis *caussa*.

Grasser, Antiq. Nemaus. p. 1069, unde Kellerm. p. 33 n. 26.

123. Nemausi 'ancien couvent des Augustins, rue de la Roserie'. *Ménard.*

C. Fulvio C. f. Vol(tinia) | Lupo Servilian(o), | adlecto inter praetor(ios) | ab imp(eratore) Caesare Aug(usto) | Vespas(iano), praefecto | alae Longinianae, IIII vir(o) | ad aerarium, pontifici, | praefecto vigil(um) | Iulia, D(ecimi) fil(ia), Concessa | viro.

Grut. 413, 8 (Scal.). Ménard VII. p. 294. Kellerm. p. 33 n. 24.

124. Nemausi rep. a. 1739 prope templum Dianae, nunc prostat in aula musei.

. Solllio T. f. Volt(inia) | Valeriáno, | *i* IIIvir(o) ab aerár(io), | *pontifici*, praefect(o) | vigilum et armoru*m*, | *e*quum publicum hab*enti*. | *L*(*ocus*) d(atus) d(ecreto) *d*(*ecurionum*) | . . . . à . . . . . .

Descripsi. Hist. de l'Acad. des inscr. t. XIV. p. 107. Murat. 2025, 4 (P. Revillas), unde Kellerm. p. 33 n. 29.

125. In ecclesia vici *Marguerites* prope Nemausum.

D(*is*) M(anibus) | . Fabrici, | . *f.*, *Vol*(tinia) Montani, | praef(ecti) vig(ilum) et arm(orum), | trib(uni) milit(um) | *legionis* I Cyrenaic(ae). | *Testamento* fieri iussit.

Ménard VII. p. 289. Murat. 813, 4 (Guir.), unde Kellerm. p. 33 n. 23. v. 3. Ↄ·L Mur. *PoLlia* Kellerm. 6. CYRENIC Mur.

126. Nemausi.

Dis Manibus | M. Numerii, | M. fil., Volt(inia) | Messoris, praef(ecti) | vigi*l*(*um*) *et* armoru*m* | Iulia Valentina | filio piissimo, | Numeria, N . . . . . nla | et Num(eria) . . . . . nina | fratri optimo.

Murat. 838, 1 (Guir.), unde Kellerm. p. 33 n. 6. — Octavum denique praefectum vigilum et armorum habebis infra n. 248.

127. Nemausi 'maison de M. Mirmand' *Ménard.*

L. Domitio L. f. Vol(tinia) | Axionio pr(aetori) IIIIvir(o) bis.

Ménard t. VII. p. 286. Cognomen viri male videtur descriptum.

128. 'Trouvée en 1810 dans les déblais de l'amphithéâtre' *Mém. du Gard.*

D(is) *M*(*anibus*) *et* | memor*iae* | Sex. Iulii *Sex. f.*, | Vol(tinia) Max*imi*, | flaminis Rom*ae et* | Divi Aug(usti), item Dr*usi* | et Germ(anici) Caes(arum), tr(ibuni) *mil*(*itum*), | praef(ecti) fabr(um) III, IIII*viri* | iur(i) dic(undo) | Nemausens*es*.

Mém. de l'Acad. du Gard 1810 p. 386 n. 25, unde Henzen 5997, v. 6 sq. Drusus est senior, mort. a. a. Ch. 9, pater Germanici, mortui p. Ch. 19.

129. Nemausi in aula musei.

*Dis Mani*bus | . . . . *f.*, *Voltinia*, *C*apitónis | *flaminis Roma*e et DIvI Au*gusti*, | *item Drusi et Germa*nicI Caesar(um), ... *pont*if(icis), praef(ecti) fabr*um* . . | . . . . Messor, fil(ius) *posuit*.

Descripsi. Eiusdem fragmenti partem esse censeo, quod ex Guirani schedis habet Mur. 224, 5: *Caesaris* | *Germanic* | *prae* . .

130. Nemausi in museo; titulo superpositae sunt imagines Liciniae et Adgennii, eiusque loricati.

D(is)	M(anibus)
Liciniae L(uci) f(iliae)	Sex. Adgennil
Flavillae,	Macrinl, trib(uni) leg(ionis) VI
flaminic(ae) Aug(usti)	vict(ricis), IIIIvir(i) iur(i) dic(undo)
	pontif(icis), praef(ecti) fabr(um).

Descripsi.

131. Nemausi.

D(is) M(anibus) | M. Corneli Volt(inia) | Maximi, IIIIvir(i) ab aer(ario,) | pontificis | . . . .

Grasser, Antiq. Nemaus. p. 1070.

132. Nemausi.

M. Senucii, . *f. Voltinia* | Servati, q(uaestoris) col(oniae) | Aug(ustae) Nem(ansi), *IIIIviri* ab aer(ario) | et Iul(iae) Helpidis, | uxoris optimae. | V(ivi) p(osuerunt).

Grut. 467, 3 (Scal.). Hic quoque sicut in n. 113 *Dis Manibus* defunctis coniugibus titulo debuit superponi.

133. Nemausi.

L. Gappi . . . . . Secund(o), | IIIIvir(o) ab aerar(io), | Pompeia Servatilla | viro pientissimo. — Ménard t. VII. p. 285.

134. Nemausi; Menardi aetate erat in domo privata.

D(is) M(anibus) | Q. Aemilii Firmi | aed(ilis) col(oniae) et | Cloustriae Suavis | uxoris | Aemilianus fil(ius).

Ménard t. VII. p. 280.

135. Nemausi; Menardi aetate erat in domo privata.

Sex. Allius Repentinus, | aed(ilis) col(oniae), sibi et | Sex. Allio patri, Anniae matri, | Sex. Allio Nundino frat(ri), aed(ili) col(oniae), | Allio Vegeto fratri, | Memmiae uxori optumae | v(ivus) f(ecit). — Ménard t. VII. p. 279.

136. Nemausi; 'trouvée dans les fouilles du Palais de Justice' *Catal. du musée;* nunc extat in aula musei.

DIs Mánibus | Helvi Ecimaril | Volt(inia) Vitális, aed(ilis) col(oniae) | et uxòris | Togiáciae | Eruclnae.

Descripsi. 5. Rarum alias nomen Togiacium in titulo sepulcrali Narbonensi, quem dat Catel, Mém. p. 105, cognominis loco est.

137. 'Chapelle près de la métairie de Luc, sur le chemin de Beaucaire' *Ménard.*

D(is) M(anibus) | T. Indedil Tertil, | aed(ilis) col(oniae) Aug(ustae) Nem(ausi), | Domitia Eorte sibi | et viro de se bene | merito v(iva) f(ecit).

Grut. 323, 5 (Pold.), Guiran, Explicatio p. 1031, qui adnotat, falso legi a Poldone *Indesii*, Ménard VII. p. 281.

138. Nemausi.

Aed(ili) col(oniae) Nem(ausi) | L. Messio | Silvino.

Guiran, Explicatio 1029, unde Mur. 1112, 8.

139. Nemausi in aula musei.

C. Pinario, L. f., Albo, | aedil(i) col(oniae), ex TesTam(ento).

Descripsi.

140. Nemausi in aula musei.

D(is) M(anibus) | L. Sevéril Vol(tinia) | Sevérino, | aed(ili) col(oniae) Aug(ustae) Nem(ausi) | t(estamento) p(oni) i(ussit).

Descripsi.

141. Nemausi.

T. Turpilio T. f. Vol(tinia) | Capitoni aed(ili) col(oniae).

Guiran, Explic. p. 1028, a quo Murat. 1113, 2.

142. Nemausi.

D(is) M(anibus) | M. Vernonil | Virillion(is), aed(ilis) col(oniae) | Virillia Titia | marit(o) optim(o) et | Vernonius Titus | fil(ius) patri piissim(o). — Guiran, Explic. p. 1028, a quo Mur. 1113, 3.

143. 'Trouvée en 1742 parmi les ruines des bains publics' *Catal. du musée;* nunc extat in aula musei.

T. Caecilio T. f. | Vol(tinia) Gutturi, | q(uaestori) col(oniae), | Anteros Hyllus | liberti. — Descripsi.

144. 'Près de la porte des Carmes, sur un montant de porte de jardin' *Poldo.*

D. Pompeio | Hommuncioni | patri, q(uaestori) | . . . . . .

Poldo, Discours p. 156, unde Grut. 455, 8. Guiran, Explic. 1029, qui dicit se ultimam lineam non posse legere.

145. Nemausi.

D(is) M(anibus) | Tertil Sammil, Vol(tinia) | Kari, q(uaesto-

ris) Nem(ausensis) et decur(ionis) | et Sammiae Atice *(sic)* | uxor(is) et | L. Hortentii Kari fil(ii) | t(estamento) f(ieri) i(ussit).

Grut. 465, 9 ('missa Scaligero').

146. Nemausi.

L. Valerio L. f. Vol(tinia) | Lussori, q(uaestori) col(oniae).

Grut. 479, 3 (Scal.).

147. Nemausi ad portam Augusti.

. . . . | q(uaestor) col(oniae) Aug(ustae) Nem(ausi) | v(ivus) f(ecit). — Descripsi.

148. Rep. 1739 prope templum Dianae.

Victori*ae* | Aug(ustae) | Valerius | Severus, pontif(ex) | ex stipe | vela et aram.

Hist. de l'Acad. des inscr. XIV. p. 107 pl. 2. Mur. 1984, 6 (Revillas). Or. 1838, qui Bracarae lapidem tribuens loci indicationem male transtulit de n. 1984, 7 ad n. 1984, 6.

149. Nemausi.

D(is) M(anibus) | Valeriae, Q. f., | Sextius | flam(en) [*vel* flam(inicae)] Aug(usti). — Grut. 321, 12 (Scal.).

150. Nemausi.

D(is) M(anibus) | Aemiliae, L. f., | Titiae, flaminicae | Aug(usti); t(estamento) p(oni) i(ussit). — Mur. 168, 3 (Guir.).

151. Nemausi.

D(is) M(anibus) | Domiciae | Graeceniae | flaminic(ae) Aug(usti) v(iva) s(ibi) p(osuit). — Grut. 321, 5 (Scal.).

152. Nemausi.

Flaminic(ae) Aug(usti) | Casuri*ae* *A*viti | fil(iae) . . . . ulae | Atrius Domitius | Alypus | uxori optimae.

Mur. 169, 3 (Guir.). v. 3. CASVRII . . v. 4. FVL . . . *Mur.*

153. Nemausi in museo.

D(is) M(anibus) | Hortensi|ae M. f. Vita|li, flam(inicae) Aug(usti) | Hortensia | Philete pa|tronae | optimae. — Descripsi.

154. Nemausi.

D(is) M(anibus) | Sammiae, Q. f., flamin(icae) | Aug(usti)

Nemaus(ensis) C. Terentius | Apronianus amitae opt|imae et piis-s(imae). — Grut. 321, 9 (Scal.).

155. Nemausi.

D(is) M(anibus) | C. *(sic Grut.)* Sammiae, Q. fil(iae) | Severinae, | flamin(icae) Aug(usti) Nem(ausensis), | C. Terentius Anicetus | amicae optimae et sibi | v(ivus) p(osuit).

Grut. 323, 11 (Poldo). Nisi esset cognomen Aniceti, quod confundi cum Aproniani cognomine vix verisimile est, duos hos titulos nn. 154 et 155 ad unum redigendos suspiceris.

156. Nemausi.

D(is) M(anibus) | Iuliae, L. fil(iae) | Titulinae, | flam(inicae) Aug(usti) Cabel(liensis) | L. Lucretius | Honoratus | uxori optimae *et* | Q. Lucretius Honor(atus) | matri piissimae.

Perrot p. 205 n. 62.

157. Nemausi in domo Seguieriana, ubi vidit Millin.

Dis Man(ibus) | *T.* [*vel L.*] Caecili | Optati, | med(ici) co*l(oniae)*. — Millin, Voy. IV. p. 262. v. 2. I CAECILI *Mill.*

158. Nemausi.

Cn. Pomp(eius) Fr|onto appari|tor Iunoni | v(otum) s(olvit) l(ibens) m(erito) | . . . . . onga.

Maff., Gall. Ant. p. 86, unde Mur. 14, 5.

159. Nemausi.

D(is) M(anibus) | Sex. Aureli | Zosimi, | statori Nem(ausensi), | Aurelia Cos|mia, fratri | piissimo. — Grasser, Ant. Nem. p. 1069.

160. Nemausi in domo Seguieriana, ubi vidit Millin.

Secundioni | col(oniae) ser(vo) | I*u*ventia Fortu|nata contuber(nalis). — Millin IV. p. 257.

161. Nemausi aut, ut dicit Ménard, 'à St. Dionisi, près de Nîmes'.

L. Attio, L. f., Vol(tinia) | Lucano | signifero, centur(ioni), | tribuno cohort(is) v. | ingenuorum.

Ménard VII. p. 296 (Guir.). Mur. 829, 1 (Guir.). Cohortem v. ingenuorum alibi non inveni.

162. 'In Anglia' *Maff.*

Iovi Aug(usto) | M. Censorius | M. f., Voltinia, | Cornelia-

nus, 7 [i. e. centurio] leg(ionis) | X Fretensis, prae|fectus coh(ortis) I | Hisp(anicae) ex provincia | Narbone, domo | Nema(uso), v(otum) sol(vit) l(ibens) m(erito).

Maff., Gall. Ant. p. 190 ('ex Gordonio').

163. 'Trouvée dans les déblais de l'amphithéâtre de Nimes' *Mém. du Gard;* 'au dessus de cette inscription sont plantées une faucille et une 7' *Perrot.*

T. Cornelio T. f. | . . . . . *cen*turioni.

Perrot p. 195 n. 37. Mém. de l'Acad. du Gard 1811. p. 377. 2. CENTVRIONI Mém.

164. Nemausi 'au jardin de M. Escudier, avocat du roi' *Ménard.*

D(is) M(anibus) | Umidii Aviti, milit(is) | leg(ionis) VII. gemin(ae) felicis, | beneficiari | Iunii Omulli consular(is), | curat(oris) | Vitrasii Pollion(is) leg(ati) Aug(usti).

Spon, Misc. in Thes. ant. rom. nov. suppl. IV. p. 1151. Ménard VII. p. 295. 6. CVRA Ménard; de munere curatorum militarium cfr. Henzen, index ad Orell. p. 144.

165. Nemausi 'maison des héritiers de Relon' Ménard.

Lectio Menardi:

Iul(io) Valerian(o) mil(iti) leg(ionis) | XX Britannic(ae), ben(eficiario) | Aug(usti), militavit ann(os) | X mens(es) VII dies XXV, | vixit ann(os) XXXI mens(es) V | d(ies) XXVI Iulia Iulio, | filio sanctissimae | pietatis, et sibi viva.

Lectio Grut. 1 sq.: — MIL·7·XX | BRITANNIC. 7 sq. — SANCTISSIMO | FATIS ET SIBI VIVA.

Corrige v. 1 sq.: mil(iti) *coh(ortis) I.* | Britannic(ae), ben(eficiario) *leg(ati)* | Aug(usti) etc.

Grut. 548, 4 (Scal.), unde Or. 3512. Ménard t. VII. p. 310. Henzen (ad Orell. l. l.), qui Menardi lectionem non noverat, dubitavit de sinceritate tituli. Correcta, ut supra indicavi, lectione Menardiana versuum 1 sq., ubi lapis fortasse corrosus est, reliqua, sicut Menardus tradidit, possunt accipi.

166. Nemausi.

D(is) M(anibus) | C. Allii, C. f., Volt(inia), | Macrini | Euporus et | Tryphaena | lib(erti). — Grut. 931, 4 (Poldo et Scal.).

167. Nemausi in aula musei.

D(is) M(anibus) | Q. Cornéli | Volt(inia) Terti | testámentari·| herédés. — Descripsi.

168. Nemausi 'dans la maison Chambaud, quartier de la Boucarie' *Millin.*

C. Licinius Kapiti|nus Voltin(ia). — Millin IV. p. 243.

169. Nemausi in templo Dianae.

L. Melius | C. f. Volt(inia) | Paternus | vIvus sibi. — Descripsi.

170. Nemausi in aula musei.

C. Mélius | C. f. Volt(inia) | Sédátus | vIvus sibi. — Descripsi.

171. Nemausi in aula musei.

D(is) M(anibus) | Quarti AtTi | Vol(tinia) Primuli. — Descripsi.

172. Rep. a 1739 prope templ. Dianae.

L. Sammio | L. f. Volt(inia).

Descripsi. Hist. de l'Acad. des inscr. t. XIV. p. 107 pl. 3 P. cfr. supra n. 107. Fragmentum hoc esse monumenti insignioris litterarum quoque forma probat.

173. Nemausi in templo Dianae.

DIs Mánib(us) | M. Sappil L. f. Vol(tinia) | Merulae et | Tertil Sappil L. f. Vol(tinia) | Frequentis. — Descripsi.

174. Nemausi in templo Dianae.

C. Tessius | C. f. Volt(inia) | AvItus | vIvus sibi. — Descripsi.

175. Nemausi.

T. Albucio | Tertio | Vol(tinia) Aquensi.

Maff., Gall. Ant. p. 62, unde Mur. 1027, 7.

176. Nemausi ad portam Augusti.

D(is) *ascia* M(anibus) | Sexti AvII | Cabelliani | Licinia Fau-|stina marito | sibi merentis|simo sub ascia | posuit. — Descripsi.

177. Nemausi 'dans la maison de Séguier' *Perrot.*

D(is) M(anibus) | L. Taurini | Aureli, | civi | Elusensi, | annor(um) XXIII | parentes.

Grut. 708, 7 (Scal.). Perrot p. 212 n. 88. v. 2. deest apud Perrot. In lectione Gruteriana, quae haud dubie vera est, inversionem habes nominis et cognominis. 5. Elusa, hodie *Eauze*, oppidum est Aquitaniae.

178. Nemausi in templo Dianae.

T. Firmius | FirmánI f., Vol(tinia) | MarInus | Vocontius | v(ivus) sibi f(ecit). — Descripsi.

179. 'Trouvée en 1740 au temple de la Fontaine' *Catal. du musée:* nunc extat in aula musei.

C. Annius C. f., Cor(nelia,) | InTerrex voviT | posuiT.
Descripsi.

180. Nemausi.

Pompeio Cn(eio), SexT(i) *f(ilio)*, | Pal(atina) | Lemisoni | Fronto et Felix liberT(i).

Millin, Voy. IV. p. 245. v. t. Nota inversionem praenominis et nominis. — SEXT. L. Mill., quod admitti non potest ob tribum.

181. Nemausi in museo.

DIs Mánibus | Cn. ServilI, Pap(iria,) | Fundáni | Ephesius, Servilii l(ibertus). — Descripsi.

182. Nemausi.

. . . . | sevir(i) *Augustales* | corporati Nemausenses | patrono | ex postulatione populi | l(ocus) d(atus) d(ecreto) d(ecurionum). — Grut. 196, 5 (Pold.). cfr. supra n. 116.

183. Nemausi in museo.

C. Aurélius | Parthenius | órnámentIs dec(urionalibus) | honórátus col(onia) Aug(usta) | NemausI, sevir Aug(ustalis) | col(onia) Copia Claud(ia) Aug(usta) Lugud(uni), | item Narbóne Mártio | et Fir(ma) Iúl(ia) Secund(anorum) Arausióne | et Fóro Iúlil Pácáto | ubIque grátuitIs honóribus.

Descripsi. Bullett. d. Inst. arch. 1848 p. 21, unde Henzen 5231.

184. Nemausi 'maison de M. Boschier, rue qui aboutit au palais' *Ménard.*

DIs Manibus | Firmi Lucani, sevir(i) Aug(ustalis), | ornamentis decurion(alibus) Nemausi | honorato.

Grut. 409, 7 (Poldo), qui pro fragmento dat. Maff., Gall. Ant. p. 65, unde Mur. 1062, 5. Or. 3751. Ménard VII. p. 273.

185. Nemausi.

D(is) *M(anibus)* | C. Fulvi N . . . . . . | ri, sevir(i) Aug(ustalis) *cor*|porat(i) et decurio|nis ornamentar(i) | Fulvia, G. f., Cassian(a) | patris rarissim(i) et | sanctissim(i).

Grasser, Ant. Nem. p. 1070.

186. Nemausi in templo Dianae.

Sevir(o) Aug(ustali) | et decurióni | ornámentár(io) | Iúlio Aemilió | Anlcetó et | Iúliae Theophile. *(sic)* | V(ivi) s(ibi) p(osuerunt).

Descripsi. Maff., Gall. Ant. p. 66. Mur. 199, 1 (Guir.). Or. 3751.

187. Nemausi ad portam Augusti.

L. Letius | Marullus, | sevir Aug(ustalis) et | decur(io) ornam(entarius), | v(ivus) s(ibi) f(ecit).

Descripsi. Grut. 428, 8 (Scal.). Maff., Gall. Ant. p. 66. Mur. 200, 4 = 713, 7. Henzen 7006. — 1. L·LAELIVS Mur. 200, 4. L·I·ETIVS Henzen.

188. Nemausi ad portam Augusti.

Sevir Aug(ustalis) | et dec(urio) orna*m(entarius)* | Q. Magius | Epitynchanus | v(ivus) s(ibi) f(ecit). — Descripsi.

189. Nemausi 'rep. prope amphitheatrum'. *Maff.*

D(is) M(anibus) | C. Marii Onesimi, | sevir(i) Aug(ustalis), | harispici publi|co, patri optimo | filia posuit.

Maff., Gall. Ant. p. 80, unde Mur. 170, 3. Or. 2298.

190. Nemausi 'maison de M. de St. Véran' *Ménard.*

D(is) M(anibus). | Sevir(o) Aug(ustali) | Q. Aurelio | Hermae, | vestiar(io) Ital(ico), | seviri Aug(ustales) | Politicus, | Phoebus, | Restitutus lib(erti) | et Syntyche lib(erta).

Grasser, Ant. Nem. p. 1070. Ménard VII. p. 255. Apud Gruterum vv. 1—5. habes 372, 2; 6—10. 451, 9. — 5. VESTIARI. Ménard.

191. Nemausi.

D(is) M(anibus) | Q. Aurel(i) Euelpisti, | seviri Aug(ustalis) corp(orati) | Q. Curius Aurelianus | fil(ius) et Aurel(ius) Eutyches | lib(ertus). — Grut. 371, 7 (Scal.).

192. Nemausi in aula musei.

D(is) M(anibus) | . *A*ntonii | *Euty*chetis, | *seviri* Aug(ustalis) corp(orati). — Descripsi.

193. 'Trouvée en 1774 au Palais de Justice' *Catalog.;* nunc extat in museo.

Dis Manibus | Q. Tasgi Her|metis, sevir(i) | Aug(ustalis) corporat(i), | Q. Tasgius For|tunátus, libert(us) | patróno optimo | posuit. — Descripsi.

194. 'Trouvée dans une fouille près des Arènes' *Catalog.*: nunc extat in aula musei.

D(is) M(anibus) | C. Verati Tro|phimi, sevir(i) | Aug(ustalis) corporat(i) | Dea Aug(usta) Vocon|tior(um), curator*is* | lud*i* . . . . .

Descripsi. Perrot p. 203 n. 57. Long, Mém. prés. par divers savants II. série t. 2 p. 404, unde Henzen 5224. Errore lapidarii repetita in lapide sunt verba CORPORAT. | DEA AVG . . versus 8. reliquias Long omisit.

195. Nemausi in museo.

Manibus | Sex. Spuri, Sex. f., Vol(tinia), | Silvini, | Eucharistus et Germanus lib(erti) | sevir(i) Aug(ustales).

Descripsi. Grut. 470, 7 = 923, 9 (Scal.).

196. Nemausi.

D(is) M(anibus) | L. Aemil(i) Asyn*c*riti, | sevir(i) Aug(ustalis), | L. Aemilianus | et Aemilia Silvina | et L. Aemilius | Gamicus patrono | piissimo.

Grut. 348, 2 (Scal.). 3. ASYNERITI *Grut.*

197. Nemausi.

P. Aurelio T. *l(iberto)*, | sevir(o) Aug(ustali), | ex test(amento).

Mur. 681, 3 (Guir.).

198. Nemausi 'prope coemeterium Hospit.' *Maff.*

D(is) M(anibus) | T. Carentii | Daphni | sevir(i) Aug(ustalis) | Carentia Lais | et Carentius | Fortunatus | patrono | optumo.

Maff., Gall. Ant. p. 52.

199. Nemausi.

D(is) M(anibus) | sevir(i) Aug(ustalis) | T. Icari Sotherichi | Serana | uxor. — Grasser, Ant. Nem. p. 1071.

200. Nemausi.

Dis Manibus | M. Icci Sotherici | sevir(i) Aug(ustalis) Ofilia | Philete marito | karissimo.

Grut. 420, 4 (Pold.). Mur. 708, 2 (a Bim. 'ex schedis Rullmanni'). 1. SOTERICHI Grut. 2. OBEIA Grut.

201. Nemausi ad portam Augusti.

D(is) M(anibus) | sevir(i) Aug(ustalis) | S. Iulii Agilis | natalis lib(ertus). — Descripsi. Millin IV. p. 256.

202. Nemausi.

Sevir(o) Aug(ustali) | L. Iulio *et* Statiae | Iuli f(iliae) *Thal-lusae* | Quieta lib(erta).

Mur. 708, 6 (Guir.). 2. L·IVLIAE STATIAE Mur. 3. SALVSAE Mur.

203. Nemausi in domo Seguieriana. *Millin.*

Iuliae Thallusae | sevir Aug(ustalis) | L. Iul(ius) Hesychus | coniug(i). — Grut. 422, 6 (Scal.). Millin IV. p. 261.

204. Nemausi in templo Dianae.

D(is) M(anibus) | sevir(i) Aug(ustalis) | C. Licinii | Martia-lis | et Fabriciae | Chresimi fil(iae) | Licinia Pia | parentib(us) piissim(is). — Descripsi.

205. Nemausi 'chez M. Sarazin, rue dorée' *Perrot.*

Sevir Aug(ustalis) | Sex. Lucretius | Lascivus | sibi et Li-ciniae | Saturninae | uxori | v(ivus) f(ecit).

Grasser, Ant. Nem. p. 1070. Grut. 432, 4 (Scal.). Perrot p. 205 n. 63.

206. Nemausi rep. inter fundamenta ecclesiae S. Perpetuae.

D(is) M(anibus) | seviri August(alis) | Q. Marii Zosimi | et Pompeiae Ageroniae | uxoris | et Faliae Elpidis | Epitynchanus lib(ertus) et heres. — Millin IV. p. 244.

207. Nemausi.

Lunae et Isidi | Aug(ustae) sacr(um) | C. Octavii | Pedonis lib(ertus) | Trophimio, sevir | Aug(ustalis), v(otum) s(olvit).

Grut. 42, 1 (Scal.).

208. Nemausi.

D(is) M(anibus) | sevir(i) Aug(ustalis) | C. Pompeii | Dio-medis. | T(estamento) f(ieri) i(ussit). — Grut. 455, 7 (Scal.).

209. Nemausi.

D(is) M(anibus). | Sevir Aug(ustalis) Q. Scarius | Rufinus sibi et suis. — Mur. 742, 8 (Bim.).

210. Nemausi.

Secundo, | Postumi | lib(erto), sevir(o) Aug(ustali).

Mur. 743, 2 (Guir.).

211. Nemausi.

Sevir(o) Aug(ustali) | C. Terentio | Phileto.
Mur. 749, 1 (Guir.).

212. Nemausi; 'maison de Cabuc' *Ménard.*

Sevir Aug(ustalis) | Titullus | sibi et | Saturninae | Utatae; fil(ius) | matri v(ivus) f(ecit).
Grut. 475, 8 (Scal.). Ménard t. VII. p. 255. 5. VLATER Grut.

213. Nemausi; 'maison de M. Bouchard, archidiacre' *Ménard.*

Sevir(o) Aug(ustali) | L. Valerio, *L. l(iberto)*, | Philumeno | cartario . . . .
Grut. 480, 1 (Pold.), unde Or. 4159. 2. L·VALERIO VOL Grut. et Or.; at agi de liberto et cognomen et seviratus et opificium probant.

214. Nemausi.

Sevir Aug(ustalis) | P. Varius | Trophimus.
Mur. 754, 4 (Guir.).

215. Nemausi ad portam Augusti.

C. Vettii Helis | sevir(i) Aug(ustalis) *et* | Vettiae Servan*dae* | uxori | vivi sibi posuer*unt.*
Descripsi. Grut. 483, 5 (Poldo) = 486, 4 (Scal.). Mur. 205, 5 (sched. Ambros.). — Hic quoque D. M. post mortem debuit superponi.

216. Nemausi.

M. Videtii | Melaeni | sevir(i) Aug(ustalis).
Grut. 488, 4 (Scal.).

217. Nemausi in aula musei.

. . . . . . arioni Vinduloni | . liberto, IIIIII *(sic)* Augustal(i) | *V*egetus lib(ertus). — Descripsi.

218. Nemausi vidit Millin in domo Seguieriana.

D(is) M(anibus). | Sevir(o) Aug(ustali) | Zosimo, | Valeriae lib(erto) | Romanius E|pictetus. — Millin IV. p. 258.

219. Fragmentum tabulae lapideae, quod paucis abhinc annis Nemausi repertum nunc est in museo.

. . . . *deside*randissumum . . . . uni . . . . . | . . . . . is, si quidem hoc non mea, sed vestra caus*sa* | . . . . ri mihi facere cum splendore vestro e . . . . |

. . . . . . *edictis* vel principum constitutionibu*s* . . . . | . . . . . . s sub specie nobilissimi pri*ncipis* . . . . | . . . . que dandas censeatis subdi . . . . | . . . . m imaginem ////////////////////////////// | . . . . *in* patriam pium ac strenuu*m* . . . . | . . . . videbitur illi corpori e . . . . | Ordi*ni* . . . . | . . . . ADI . . . .

Descripsi. 6. nomen principis, de cuius imagine agitur, erasum est. Recepi hunc titulum ob *ordinem corporis* nescio cuius, ad quem hoc rescriptum est datum. In ultima linea litterarum A D I non nisi pars superior extat.

220. Rep. 1810 inter rudera amphitheatri; nunc extat in templo Dianae.

L. Valerius L. *l(ibertus)*, | Secundus, | m(agister) bis col*legi* | utriclarior(um) | Nemausensi|um, | vivus sibi pos(uit).

Descripsi. Mém. de l'Acad. du Gard 1810 p. 381, unde Henz. 7208.

221. Nemausi in templo Dianae.

. . . . | . . . râto . . . . . . | *collegium* fabrum *statuam poni* | *decrevit. Is* honôre *contentus statuam* | *impensa* suâ *erexit.*

Descripsi. Idem fragm. male descriptum dat Ménard t. VII. p. 277.

222. 'Nemausi in muro unius portarum civitatis' *Grut.*; 'hodie ad portam coronae visitur' *Grasser*. Ibidem vidit *Ménard*.

. . . . | Si quis ex iis, qui supra scripti sunt, cum | moriar, non vivet, sive post mortem me|am morietur, tum qui reliqui erunt, in | eorum locum qui mortui erunt, alios per suf|fragia substituant, quos dignissimos | putaverint, dum non minus in perpetu|um triginta sint; liceatque iis, qui prae|sentes esse iis diebus non poterunt, in | locum suum convivam ex amicis suis | mittere; eiusque maesolei claves duae pe|nes aliquem libertorum meorum et cura|torem cuiusque anni sint. | Substituti | T. Roncius Maternus, | C. Licinius Sotericus, | A. Fulvius Tarentinus, | L. Iulius Cosmus, | Ti. Claudius Etoemus, | P. Acilius Philodespotus, | C. Caninius Eutychus, | Q. Iuvent(ius) Venustus, | L. Valer(ius) Cupitus.

Poldo d'Albenas, Disc. p. 176. Grut. 496, 7 ('e Piersonli, Scaligeri, Verderii aliorumque schedis'). Grasser, Antiq. Nem. p. 1075. Ménard VII. p. 376. vv. 1—12. Orelli 4366. — v. 14. T·ROVCIVS Mén. 22. L·VA-

LEBIVS Mén. — Longam I litteram, quae frequens in his apographis est, repetere supersedi, quod neque inter se conveniunt neque ipse vidi.

223. Nemausi 'maison de M. Lombard de la Tour, rue dorée' *Ménard.*

. Arrecino Clemente II | L. Baebio Honorato | cos. | . *Iu*lius Graptus mag(ister) *collegi* . . . . | *hoc* maesoleum excoluit et, ut esset frug*iferum*, | *fec*it positis arboribus, vitibus, rosar*io* . . . . | Idem oblata sibi a collibertis immunitate et titulo, | *qu*o benevolentia eius contineretur, | *ne* qua parte utilitatibus eorum | *gra*vis videretur, immunitatem | *re*misit et titulo, quem de suo | *ponendum curav*it, contentus fuit.

Ménard t. VII. p. 403. Maff., Gall. Ant. p. 72, unde Mur. 346, 1. Consulum, qui suffecti sunt, annus ignotus est.

224. Nemausi.

Cn. Aemilius Dionysius . . . . | magistri primi inter collibertos | d(e) s(uo) f(ecerunt).

Murat. 669, 3 (Bim.).

225. Nemausi in amphitheatro. Inscriptio erat olim in summo podii muro circumducta et per tres lapides distributa. Qui lapides cum reperti essent suo quisque loco fixi, nunc inde sublati iacent per amphitheatrum; quo tamen inter se ordine cohaeserint constat et traditum est ab A. Pelet apud Boissieu, Inscr. de Lyon p. 396 n. 4.

I II

N(autis) Atr(. . .) et Ovidis loca n(umero) XXV | d(ata) d(ecreto) d(ecurionum) N(emansensium); n(autis) Rhod(anicis) et |

III

*A*rar(icis) XL d(ata) d(ecreto) d(ecurionum) N(emansensium).

Descripsi. Boissieu p. 396, qui recepit ab Artaudio et lectionem, quam dedi, indicavit. Litterae non omnes integrae sunt, neque tamen ita evanuerunt, ut non possint legi. I. dedi lectionem Boiss.: XXV, quamquam ipse descripsi: N̄. XV, at fieri potest, ut erraverim. Nautarum Rhod. et Arar. collegium est Lugudunense.

226. 'Trouvée à Nîmes, dans le quartier appelé des Cinq-Vies' *Catalog.;* nunc extat in museo.

DIs Mánib(us) | Q. Valerio | Virillióni | iuris studioso | et Valeriae Quintae | sorórI | Annia máter. — Descripsi.

227. Nemausi.

Philipus *(sic Gr.)* | architectus | maximus | hic situs | est.

Grut. 623, 5 (Scal.).

228. Nemausi rep. a. 1739 prope templum Dianae.

Iovi et Nemaus(o) | Titulus Herm(es) | exactor oper(ae) | *pub*licae, marmo|rarius et lapi|dartus.

Hist. de l'Acad. des inscr. t. XIV. p. 107 pl. 2 H. Murat. 2045, 5 (Revillas), unde Orell. 4220. Duos esse credidit Hagenbach apud Or., Titui(l)um et Hermetem, at recte Orelli de uno agi vidit. Titullus Hermes, cum esset lapidarius idemque marmorarius, opera publica lapidaria suscipiebat exigenda.

229. Nemausi.

Manibus | Reburil | Virilis | lintearI.

Mur. 973, 12 (Guir.), unde Orell. 4215.

230. Nemausi.

D(is) M(anibus) | Flaviae | Hedones | medicae | ex t(estamento). — Grut. 635, 9 (Scal.).

231. Nemausi in aula musei.

L. Avidio | Secundo | musicario | Festa | uxsor.

Descripsi. Hic 'musicarius' illum tuetur, quem habes Orell. n. 4238.

232. Nemausi.

Have Naevi. | Salvos sis, quisquis | es. | Cn. Naevio | Diadumeno | vaenaliciario | graecario.

Perrot p. 201 n. 50.

233. Nemausi.

C. Terentius | Romulus | sive Drymulus, | unctor sive | -lctor, | v(ivus) s(ibi) et suis f(ecit).

Grut. 636, 11 (Scal.).

234. Nemausi.

Muner(ari) G. Pomp(ei) Mart(ialis) | esse(darius), lib(ertus) | Faustus . . . . ↃXXXVII | n(atione) Arabus | Euche contubern(alis) de suo.

Or. 2585, cuius sunt supplementa. 3. = *commissus tricies septies.* 4. 'cfr. Virg. Aen. 7, 604 sq.: bellum Hyrcanisve *Arabisve* parant.' *Or.*

235. Nemausi.

D(is) M(anibus) | Primionis | ferrariar(i) | Vitalis contuber(nalis). - - Mur. 972, 10 (Guir.), unde Or. 4188.

236. 'Duae dedicationes [nn. 236 et 241], quas Isaacus Chironius, cum Nemausi degerem, mihi monstravit'. *Grasser;* cum autem idem Grasser ad hunc titulum adiciat: 'lapis nunc deperditus, qui in aedibus Du Balonaire in foro olitorio conspiciebatur, quem describunt Albenas p. 180 Grut. 111, 12', apparet Chironium Grassero monstrasse non ipsa monumenta, sed apographa tantum, i. e. huius tituli ipsum illud exemplar Poldonianum, quod excripsit etiam Gruterus.

Deo Nem(auso) | . Titullus Perseus horo|logium et cerulas II ar|genteas t(estamento) p(osuit).

Poldo p. 180, unde Grut. 111, 12. Grasser, Ant. Nem. p. 1006. Orell. 2032, qui auctorem nominat Fletwoodium (Syll. inscr. p. 51); unde habeat Fletwood nescio, quod eum librum non vidi; at haud dubie ne hic quidem ipse vidit. v. 2. X. TITVLLVS Pold. — 3. *Cerula* alias non instrumentum lumini destinatum, sed ipsum lumen est.

237. Nemausi.

Deo Nemauso | Marius Pater|nus | v(otum) s(olvit) l(ibens) m(erito). — Grut. 1074, 9 (Scal.).

238. Nemausi rep. a. 1739 prope templum Dianae.

Q. Iulius . . . . . . | Bucca *Aesculapio et* | Nemauso v(otum) *s(olvit) l(ibens) m(erito).*

Hist. de l'Acad. t. XIV. p. 107 pl. 3 Q.

239. Nemausi.

Iovi Optimo et Deo Nemauso.

De la Saussaye, Numism. p. 161 ex Mém. de la société archéol. du Midi I. p. 256. Non indicatur num fragmentum sit.

240. 'Trouvée dans le bassin de la Fontaine en 1752' *Catalog.;* nunc extat in museo.

I(ovi) O(ptimo) M(aximo) Heliopolitan(o) | et Nemauso | C. Iulius, Tib. fil., Fab(ia) | Tiberinus, p(rimi) p(ilaris) domo | Beryto votum solvit.

Descripsi. Orelli-Henzen 1245. 1. cfr. Henzen 5632 sq. Colonia erat Berytus sive Heliopolis instituta ab Agrippa. Strabo 14, p. 756 C. Borghesi in Ann. d. Inst. arch. 1839 p. 146.

241. Nemausi. cfr. ad 236.

Deo Silvano | et Libero patri | et Nemauso | . . . . . rchus *(sic Grass.)* synodi.

Grasser, Ant. Nem. p. 1006. 4. Agi videtur de *archiereo* synodi,

cfr. n. 107. 46 sq.; at quomodo lacuna locum praebeat nomini huius archierei non video.

242. Nemausi 'prope turrim magnam' *Maff.*, 'in hortis D. d'Aiizon prope antiqui aquaeductus reliquias' *Bim.*

Sulig(ius) Cosmus rest(ituit). | Laribus Aug(ustis) | sacrum et | Minervae, | Nemausó, Urniaé, | Avicantó | T. Cassius T. l(ibertus) | Felicio exs | vóto.

Maff., Gall. Ant. p. 27, unde Mur. 85, 4. Bim. Proi. ad Mur. p. 54 (a Seguierio). 1. SVLPICIVS COSMVS *Maff.*, quod non recepi, quia vix intellegitur, cur SVLPICIVS Seguier mutaverit in SVLIG.

243. Nemausi.

Suliviae | Idennicae | Minervae | votum.

Mur. 53, 5, unde Orell. 2051.

244. Nemausi.

A. Iulius Leonas do|num, quod promi|serat Anubiacis Do-| mestica libert(a), d(e) s(uo) p(osuit).

Reinesius, Synt. p. 377 n. 37, unde Or. 2307. Bim. Prolegg. p. 67. 1. LEONTAS Reines., at *Λεωνᾶς* nomen habes apud Suidam. Interpunctionem recepi Orellianam; contra Bimard explicat: A. Iul. — quod promiserat, — Domestica — posuit.

245. 'Lapis affixus propugnaculo portae Coronalis ita vetustate detritus, ut vix legi possit'. *Guiran.*

Aug(usto) Marti Brito|vio .. Salvius, | Secundini fil(ius) | ex voto. — Guiran, Explic. p. 1041. Grut. 57, 10 (Scal.).

246. Nemausi ad portam Augusti; fragmentum est inscriptionis, quae epistylium monumenti nescio cuius ornabat.

Ψήφισμα συνόδου θυμελικῆς ἐν Νεμαύσῳ τῶν ἀ[πὸ τῆς οἰκουμένης | περὶ τὸν Αὐτοκράτορα Νερ]ούαν Τραιανὸν Καίσαρα Σεβαστὸν [συναγωνιστῶν . . . .

Descripsi. Spon, Miscell. p. 111 n. 91. Maff., Gall. Ant. p. 28, unde Corp. Inscr. Graec. n. 6785. Supplementa recepi ex Corp. Inscr., nisi quod pro *τῶν περὶ τὸν Αὐτοκρ.* supplevi *τῶν ἀπὸ τῆς οἰκ. περὶ* etc., quia quod restat in fine versus primi litteram A indicat. 2. init. OTWN *Maff.*; at est in lapide OTAN.

247. 'Inscription, qu'on trouva en 1742 près du bassin de la Fontaine. Elle était toute unie avec une simple moulure autour; je jugeai par le haut qui était entier, qu'elle avait en tout 5 pieds de largeur. La

hauteur de ce qui existait, n'avait pas plus de 2 pieds; son épaisseur était d'un demi pied. Ce fragment est aujourd'hui détruit; je ne sçache pas du moins qu'on l'ait conservé. Je pris heureusement une copie de cette inscription au moment, qu'elle fut découverte.' *Ménard.* Equidem dimidiam huius monumenti partem sive esm, quae est a dextra, deprehendi in vestibulo domus Seguierianae ita in muro inclusam et dealbatam, ut aegre legerim:

T. Iulio T. f. Vol(tinia) Dolabellae | IIIIvir(o) ab aerar(io) ponti*fici* | praef(ecto) vigil(um) et armor(um) | sacra synodos Neapoli certamine quinquennali de*crevit:*

Ψήφισμα τῆς ἱερᾶς [Τραιαν]ῆς Ἀδριανῆς συνόδου τῶν [περὶ τὸν] Αὐτοκράτορα Καίσαρα Τραιανὸν Ἀδριανὸν Σεβαστὸν νέον Διόν[υσον] | συναγωνιστῶν· ἐπεὶ Δολαβέλλ[ας, ἀ]νὴρ οὐ μόνον ἐν τῇ λαμπρο[τάτῃ πατρίδι] | διά τε γένους δόξαν καὶ βίου ἐπιείκειαν [καὶ λ]όγῳ καὶ ψυχῆς μεγαλειό[τητι | διενηνοχ]ώς, ὅτι διὰ τοῦ τοιούτου [περὶ] πάση[ν τὴν ο]ἰκουμένην οὔ[χ] ἥκι[στα | φιλεῖ διαδίδοσθαι ἡ περὶ πολίτου ἐπικρατο]ῦσα γνώμη, τοι[αῦτα εὐεργέτησε]ν ἡμ[ᾶς], ἀνθ' ὧν καὶ πρότ[ερον ἤδη | ἐξενηνόχαμεν περὶ τ]οῦ ἀνδρὸς ἐν[δοξοτ]άτου μαρτυρ[ίαν] . . . . | . . . . ω τῆς Νεμαυσ[ίων πόλεως] | . . . . Αὐγούστ[ου] . . . . . | . . . . ΑΡ *. . . . . | . . . . [τῆς ἱερᾶς Τραιανῆς Ἀ]δριανῆς [συνόδου] | . . . . ἔγραψα καὶ ἐσφρά[γισα] . . . . . |*

. . . . vit M. Gavio | . . . . *sac*rae synhod*i* | . . . . . *colleg. cen*tonarior(um).

Ménard, Hist. de Nîmes t. VII. p. 300, unde Corp. Inscr. Graec. 6786; partem latinam priorem repetiverunt Orelli 2542. Kellerm., Vigil. Rom. p. 33 u. 25. Pars quam ipse vidi et descripsi incipit in parte latina v. 1. litteris BELLAE. v. 2. PON etc. A Menardo lectio mea differt in hisce: Menard v. 7. IHP. 9. IKOTMENH; contra in eod. versu ego quoque descripsi HKIO. Supplementa recipiens ex Corpore Inscr. Graec. v. 8, post *ἐπιείκειαν* adieci *καί*, quod ob lacunam, quam Menardus hic habet, necessarium videtur, atque v. 9. pro *πάσῃ τῇ οἰκουμένῃ* meum secutus apographum posui *πάσην τὴν οἰκουμένην*. Apices in titulo latino apposui quos vidi; ne in reliqua quidem parte eos defuisse apparet.

• Reliquarum inscriptionum ad sacram synodum pertinentium fragmenta, quae eodem loco reperta sunt, invenis in Corp. Inscr. Graec. nn. 6787. 6788 a—e; equidem non ipse vidi. Ex quibus duo (6788 a. b.) nominare videntur eundem L. Sammium, quem habes n. 107. Praeterea de omni hoc synodorum gymnicarum instituto cfr. ea quae exposuerunt Boeckh, Corp. Inscr. Graec. ad n. 3067. Franz ibid. ad n. 5804.

AGER NEMAVSENSIS.

248. Inscriptio parvuli cippi marmorei alti metr. 0, 26 lati m. 0, 15. 'Ce marbre fut trouvé vers l'an 1747 en creusant pour les fondations d'une maison, dans un champ situé sur le chemin de Sauve, près de la Fontaine de Nîmes'. Ménard. Nunc extat in museo.

Andusi
Brugetia
Tedusia
Vatrute
· Ugernl
Sextant
Briginn
Statumae
Virinn
· Ucetiae
Seguston

Descripsi. Primus edidit Ménard VII. p. 226, post quem saepe repetita est, ex. gr. a De la Saussaye, Numism. p. 178. Ab Oriolio descriptam edidit Henzen 5230. 1. ANDVSIA Mén. 11. SEGVSION Henz., at in lapide est SEGVSTON. De singulis cfr., quae exposuimus supra in descriptione territoriorum. Comperi egisse et de hoc monumento et de insequenti L. Renierium in Annuaire de la Société des Antiq. de France 1850 p. 241, neque vero contigit mihi hunc librum videre.

249. Inscriptio celtica graecis litteris scripta, quae reperta est 1742 prope templ. Diauae, l. e. in eadem fere regione atque tit. praecedens. Ipsa inscriptio legitur in abaco capituli longo metr. 0, 87 alto m. 0, 13.

IARTAI//////ΛΛΑΝΟΙΤΑΚΟΣΔΕΔΕ
ΜΑΤΡΕΒΟΝΑΝΑΜΑΤΣΙΚΑΒΟΒRΑΤΟΤΔΕ

Colson in Mém. de l'Acad. du Gard 1849—50. p. 75 sqq. Stark, Staedteleben, Kunst etc. in Frankreich p. 594. Ex locis ibi indicatis collato titulo praecedente haec nomina volunt eruere: ΙΤΑΚΟ = Ucetia, ΣΔΕΔΕΜΑ = Statumae, ΝΑΜΑΤΣ = Nemausus, ΒΡΑΤΟΤΔΕ = Vatrute.

Bellegarde *(arrondissement de Nimes).*

250. . . . . | col(oniae) Iul(iae) August(ae) ***Reiorum*** | Apollin(arium), fratris. — Ménard VII. p. 470.

Aramon *(arrond. de Nimes).*

251. 'Dans l'église paroissiale' *Ménard.*

T. Octavio T. f. Vol(tinia)—Nigro | Mamidia mater.
Ménard t. VII. p. 471.

252. Tout(io) Divician|tilli f(ilio) et | Iuliae Porronis f(iliae).
Ménard t. VII. p. 471.

Manduet *(arrond. de Nimes).*

253. 'In vico Manduei *(sic Guir.)* proxime Nemausum etiamnunc hic legitur titulus incorruptus et elegantissimus.'

Dianae | Aug(ustae) *sacr(um)*. | C. Octav*ius* | ꟼIRONIS | lib(ertus) *et* | T. Commius | sevir Aug(ustalis) | *et decur*io | *or*namentar(ius).

Guiran, Explic. p. 1043, qui pessime descripsit, et has habet lectiones: 1—3. DIANAI | AVG. ACIL | COCIAVI. 8 sq. T. COMMIO | VRNAMENTAR.

Ura fons *(Eure).*

254. 'Ce monument provient du département du Gard et probablement des environs de Nimes.' *Boissieu.* Lapis ab Artaudio emptus pervenit in museum Lugdunense; nunc autem translatus est Nemausum in museum, ubi ipse vidi.

Augus(tis) | Laribus | cultores Urae | fontis.

Descripsi. Boissieu, Inscr. de Lyon p. 49 n. 32, unde Henzen 6081. De Ura fonte cfr. quae dicit Greppo apud Boiss. l. l. p. 50: 'Il existe dans le dép. du Gard un ruisseau, qui porte le nom d'Eure; on croit que ses eaux étaient autrefois amenés à Nimes avec celles de la fontaine d'Airan par l'aqueduc romain, dont le Pont-du-Gard était la partie la plus remarquable.'

Ucetia *(Uzès).*

'On a rassemblé à Uzès quelques inscriptions qui sont placées dans les murs à costé des portes principales.' Lanceiot in Mém. de l'Acad. des Inscr. t. VII. (a. 1727) p. 239.

255. À la porte de la barrière' *Lanc.*

C. Domitio Paterni f(ilio) milit(i) leg(ionis) XV	C. Domitio Paterno	Laurino Celti f(ilio)

Laurinus, Celti f(ilius), heres testamento rogatus.

Lanceiot l. l. p. 239. Murat. 810, 8 (Guir. et Bim.).

256. 'Dans la maison appelée le Vicomté' *Lanc.*

L. Porcio, L. f., Voltin(ia) | K . . . . . ro, militi leg(ionis) II Aug(ustae), | optioni, signifero.

Lanceiot p. 242. Mur. 845, 2 (Guir.). v. 2 init. P·R·OMILITI Mur., qui eodem loco ex Tollio hanc tituli lectionem affert: P·D·M·L·PORTIO L·F·VOL. II VIRO | MILITI etc.

257. Ucetiae 'à la porte St. Étienne' *Ménard.*

Dis | Manibus | L. Valerl L. f. | Volt(inia) | Nassonis | et Laeliae C. f. | Quartillae | L. Valerius Paternus | filii et uxoris.

Ménard t. VII. p. 436 n. 6. Mur. 1224, 9 (Guir. et Bim.).

258. 'A la porte St. Étienne' *Ménard.*

D(is) M(anibus) | T. Spuril, Vol(tinia), | Gratini | T. Spurius VItalis | patrono | rarissiml exempli.

Ménard t. VII. p. 463 n. 7.

Praeter hos titulos alios Ucetinos afferunt Lancelot et Ménard sepulcrales omnes et mera nomina exhibentes.

Château de Gaujac, 'à deux lieues de Bagnols' (prope Rhodanum).

259. 'Dans la cour du château, en très bon charactère' *Lanc.*

L. Baebio, L. fil(io), | Volt(inia), Cassiano | Domitia, Domiti | filia, Bulla uxor . . . . . . — Lancel. p. 243.

Praeterea Lancelot p. 244—246 ex eadem vicinia oppidi Bagnols plures inscriptiones affert sepulcrales, quas hic apponere non refert. Loca autem unde proveniunt, haece sunt: Tresques, 1/2 lieu de Gaujac (tit. unus p. 244); La Roque, 3 lieues de Bagnols (tit. 1 p. 244, en pleine campagne, piédestal d'une croix); Château de Boursargues, 1/2 liene de Bagnols (tit. 1 p. 244); Colombier, 1/4 lieue de Bagnols (tit. 2 p. 245); Cavaillargues, 2 lienes de Bagnols (tit. 2 p. 245); Les Cairons, quartier de Messeiran (tit. 1 p. 245); Carsan, entre Bagnols et le pont St. Esprit (tit. 2 p. 246).

Laudun, inter oppida Bagnols et Roquemaure prope Rhodanum.

260. Rep. in vico Laudun nunc extat in museo Avenlensl.

Sevir(o) Aug(ustali) | C. Virédio | Sevéro. — Descripsi.

Argence prope Nemausum. (?)

261. Rep. Nemausi in amphitheatro nunc prostat in aula musei.

Marti Aug(usto) | Lacavo sacrum | Adgentil ex aere | collato.

Descripsi. Or. 2018. Mém. de la Société des Ant. de France 1. p. 296, ubi qui edidit suspicatur habitasse Adgentios inter Nemausum et Ugernum *(Beaucaire)* eodem loco quo mappae geographicae vetustiores vicum posuerint *Argence.*

Durfort *(dép. du Gard, arrond. du Vigan).*

262. Cn. Octavio Cn. f. Caliauco ex testamento | C. Octavi Cn. f. Volt(inia) Certi. — Maff., Gall. Ant. p. 52.

Vèzenobres proxime *Anduze.*

263. Mansueto | Andorouri.
Mém. de l'Acad. du Gard 1809 p. 345.

Brignon prope *Ledignan.*

264. 'Au dessous d'un fragment de corniche.'

Solimarus | Leiturronis.
Mém. de l'Acad. du Gard 1809 p. 345.

Balaruc-les-Bains prope oppidum *Cette, dép. de l'Hérault.*

265. Inscriptio expressa litteris extantibus in duobus tubis plumbeis, qui rep. in vico Balaruc-les-Bains nunc asservantur in museo urbis *Montpellier.* Ipsi autem tubi diametrum habent fere ped. $^1/_2$.

Col(onia) Aug(usta) Nem(ausus). Tiberinus, L(uci) F(. . . . . i) F(. . . . . .) s(ervus), f(ecit). — Descripsi.

V. CARCASO.

(Carcassonne, département de l'Aude.)

266. Tabula marmorea, reperta, ut traditur in catalogo musei a. 1847 scripto, in vico Rieux-Mérinville, qui est inter Narbonem et Carcasonem, sed propior Carcasoni. Itaque ad hoc oppidum inscriptionem referendam censeo. Nunc extat in museo Narbonensi.

C. Cominio C. f., | Volt(inia), Bitutioni, | prait(ori) c(oloniae) I(uliae) C(arcasonis).

Descripsi. Olim in dissert. *de Galliae Narb. praetoribus municipalibus* Lips. 1862 p. 5. 35 sq. falsa loci indicatione deceptus, cum audivissem Narbone titulum esse repertum, ad Narbonem retuleram, ut C·I·C esset *c(olonia) I(ulia) C(laudia).*

266a. Rep. Moguntiaei, ubi nunc extat in museo.

C. Iulius C. f. Vol(tinia) | Carc(asone) Niger mi|les leg(ionis) II., annor(um) | XXXXV, aer(um) XVII | h(ic) s(itus) e(st).

Steiner, Inscr. Dan. et Rheni 1, n. 551. Henzen 6841. Quae item in lapide sunt disticha, hic repetere non refert.

VI. TOLOSA.

267. Inscriptio basis quadratae, quae extat Athenis in acropoli apud propylaea.

Ἡ ἐξ [Ἀρε]ίου πά[γ]ου βουλὴ καὶ | ἡ βουλὴ τῶν ἑξακοσίων | καὶ ὁ δῆμος ὁ Ἀθηναίων· |

Κόϊντον Τρεβέλλιον Ῥοῦφον, | Κοΐντου υἱόν, Λαμπτρέα, ἀρχι|ερέα πρῶτον ἐπαρχείας τῆς ἐκ | Ναρβῶνος καὶ ὕπατον καὶ [Και]|νείνησιν ἱερῶν δήμου Ῥωμαί|ων καὶ πάσαις τειμαῖς ἐν τῇ | πατρίδι Τολώσῃ τετειμημέ|νον καὶ ἄρχοντα ἐπώνυμον | ἐν Ἀθήναις καὶ ἱερέα Δρούσου | ὑπάτου καὶ ἱερέα Εὐκλείας καὶ | Εὐνομίας διὰ βίου καὶ χρυσοφο|ρίᾳ διὰ βίου τετειμημένον καὶ | ψηφίσματι ἀναθέσεως ἀνδρι|άντων καὶ εἰκόνων ἐν παντὶ ν[α]|ῷ καὶ ἐπισήμῳ τῆς πό[λεως τό]|πῳ μεγαλοψ[υχίας ἕνεκα].

Quod dedi apographum, Konr. Bursiani debeo amicitiae, qui Athenis ipse descripsit, differt autem paullulum ab eo, quod ex ephemeride archaeologica Atheniensi n. 59 p. 111 desumpsit Car. Keil in schedis epigraphicis editis Naumburgi 1855 p. 41; qui quae versuum 17—19 dedit supplementa recepi. 1. KA Keil. 7. Recte Keil ante *Και|νείνησιν* excidisse censuit particulam *καί* neque vero errore eius qui descripsit, sed, ut Bursiani apographum demonstrat, errore lapidicidae. 18. in fine versus Burs. quasdam extremarum litterarum reliquias vidit. De singulis cfr. quae disseruit Keil l. l. p. 41—46. Quo tempore cos. fuerit Q. Trebellius Rufus ignotum est, neque magis flaminium Drusi consulis i. e. Drusi senioris, fratris Tiberii et patris Germanici, aetatem huius tituli indicat, quoniam Athenis flaminem Drusi usque ad Traiani vel Hadriani aetatem habes Corp. Inscr. Graec. n. 376.

268. Tolosae in museo.

. . . . Volt(inia), | quaestor, aed(ilis), | IIIIvir sibi et | . . . . . . — Descripsi.

269. Tolosae in museo; ubi repertus sit lapis, non comperi.

Statio splend*id(issimi)* | vectigal(is) XL [i. e. quadragesimae] *Lugud(uni)* | Conv(enarum) sub *cura* | . . . . *proc(uratoris)* | Aug(usti) n(ostri); Avic . . . . . . *Aug(usti)* | n(ostri) vern(a) restituit *titu*|lum absumpt(um) *vetustate.*

Descripsi. Cfr. Orelli 3346: *splendidissimum vectigal ferrariarum;* Boissieu, Inscr. de Lyon p. 277 n. 32: *splendidissimum vectigal massae ferrariarum.* 2 sq. Lugudunum Convenarum Aquitaniae hodie est *Comminge.*

270. Tolosae in museo.

. . . . | fra . . . . ac . . | flam(ini) c(oloniae) V(iennae), *item* | decur(ioni) c(oloniae) *Lug(uduni)* | Messia M. *lib(erta)* | uxor, patrono p(i)is(simo) | in testam(ento) | ponendam *cur(avit).* | L(ocus) d(atus) *d(ecreto) d(ecurionum).*

Descripsi. v. 3. Hoc Lugudunum coloniam ad Rhodanum sitam esse, concludo ex mentione Viennae.

271. 'Pisauri in St. Francisco' *Grut.*

C. Cornelio C. f. *Volt(inia)* | Tauro Tolosen|si, equo publico ha|benti. Vixit annos | XXII.

Grut. 1093, 5 (a Pighio).

272. Tolosae vidit Millin in domo privata.

Octaviae Pollitae | Cyriaceti patronae | dulcissimae, quae | fuit coiux L. Septi|mi Adiutoris, quon|dam evok(ati), patroni | mei, L. Septimius | Armentarius | patronae dignissimae.

Millin, Voy. IV. p. 450. In lapide legi dicit Mill. v. 4. EOIVX. v. 5. FVOK.

273. Rep. Moguntiaci a. 1806 nunc extat ibi in museo.

C. Iulius C. | f., Vol(tinia) Prisc|us, Tol(osa) miles | leg(ionis) IIII Mac(edonicae) | an(norum) XXX, | sti(pendiorum) X, h(ic) s(itus) e(st); tes(tamento) | f(ieri) i(ussit); h(eres) f(aciendum) c(uravit).

Steiner, Inscr. Danub. et Rheni n. 538.

274. Rep. a. 1527 prope Nimwegen, Bataviae urbem; nunc extat ibi in curia.

L. Valerius | L. f., Vol(tinia), Mari|nus Tol(osa), | mil(es) leg(ionis) X g(eminae), | an(norum) XXXV, | aer(um) XII. | S(it) t(ibi) t(erra) l(evis). H(eres) e(x) t(estamento) f(aciendum) c(uravit).

Grut. 565, 6 (e Smetio). Or. 3551. Steiner, Inscr. Dan. et Rheni n. 1424. 3. TOL·D Grut.; at Steiner dicit, colore tantum rubro pictam esse D litteram, non in lapide expressam.

275. Rep. Moguntiaci a. 1804 nunc est ibi in museo.

C . . . . vius, C. f., | Volt(inia) Tolosa, eques | leg(ionis) XIIII gem(inae) an*no*(rum) | XXXV, stip(endiorum) XII | h(ic) s(itus) e(st).

Steiner, Inscr. Dan. et Rh. n. 491.

276. Romae.

Diis Manibus | C. Fabrici C. *f.*, | Vol(tinia), Proximi | Tolosensis | C. Fabricius | Vicarius | patrono bene | merenti fecit; | in fronte p(edes) VII | in agro p(edes) VII.

Grut. 939, 3 (e Smetio). 2. C·L· Grut.

277. Tolosae in museo.

C. Iulius, Tolosani | fil(ius), Tolosano patr(i), Corn(eliae) | DomesTicae matri | Iuliae Graphidi | sororI, | sibi et suis posTe*ris*|que eoru*m*. — Descripsi.

278. Tolosae in museo.

Sex. Iu*lio* . . . . | fabru*m* . . . . . . | statuas . . . . | Sex. Iulius . . . .

Descripsi. Agi videtur de statuis a collegio fabrum Sex. Iulio decretis, quarum impensam ille suscepit.

279. Tolosae in museo.

Matri Deum | Cn. Pomp(eius) | Probus, | curator tem|pli, v(otum) s(olvit) l(ibens) m(erito).

Descripsi. Mém. des Ant. du Midi VI. p. 68, unde Henzen 5990[a].

280. Tolosae in museo.

L. Vercio Prisco, | sevir(o) Aug(ustali) | c(olonia) I(ulia) P(aterna) C(laudia) N(arbone) M(artio) et AquIs | SextIs | M. Aurunceius | amIco opti*mo*. — Descripsi.

281. Tolosae in museo.

Θ(*ανόντι*) Hanarro | Dannoricis f(ilio) | mag(istro) quater eT | quaestori; | v(ivae) Aldeni(ae) DonnI fIl(iae) uxori.

Descripsi. v. 4. Quaestor sc. collegii.

282. 'Découverte à St. Élix'.

Herculi | Tol(osano) Andosso | invicto | Primigenius | Sembi fil(ius) | v(otum) s(olvit) l(ibens) m(erito).

Mém. de la Société arch. du Midi I. (1834) p. 285.

283. Rep. in vico Pyrenaico *Martignac* sito prope oppidum *St. Béat* et vicino veteribus lapicidinis marmorariis, quae adhuc conspiciuntur in monte *Ri* vel *Arri;* nunc extat in museo Tolosano. Inscriptio in lapide durissimo tam leviter exarata est, ut difficillime legatur.

Silvano Deo et | montibus Nimidis | Q. Iulianus et Publici|us Crescentinus, qui pri|mi hinc columnas vice|narias celaverunt | et exportaverunt, | v(otum) s(olverunt) l(ibentes) m(erito).

Hanc lectionem, quam ex ectypo cartaceo sibi misso primus eruerat Henzen, contuli cum ipso lapide et veram inveni. cfr. quae dicunt E. Bary, 'une inscription inéd. du mus. de Toul.' et Henzen in Bull. d. Inst. arch. 1862 p. 142 sq. v. 5 sq. vicenarias i. e. viginti pedum.

284. Rep. in vico *Francon* prope Tolosam.

Lahe Deae | Iulia | Postumina | et Gemin(i)a | Postuma | v(otum) s(olverunt) l(ibentes) m(erito).

Henzen 5896 ex Mém. des Antiq. du Midi I. p. 11. 2. GEMINIA mavult Henzen.

Praeterea in museo Tolosensi haud exiguus numerus prostat monumentorum, quae per saltus Pyrenaeos reperta paullatim huc cougesta sunt. Quae monumenta cum omnia ad cultum pertineant deorum, qui per illos tractus, per montes, silvas, aquas salubres etc. colebantur, ad religiones, ad geographicam descriptionem, ad linguam illarum regionum cognoscendas magni haud dubie sunt momenti. Attamen maiorem talium inscriptionum numerum hic proponere supersedi, quod et pars extra provinciae fines reperta est et omnino ab huius libri usu alienae sunt illae quaestiones. Ceterum cfr. Millin, Voy. IV. 447—449. Henzen 5894. 5895. 5897 atque varia volumina ephemeridis, quae dicitur Mémoires des Antiquaires du Midi de la France. Toulouse 1834 sqq.

VII. AGER HELVIORVM.

(Dép. de l'Ardèche.)

Paucissimae sunt, quas ex agro Helviorum traditas inveni Romanae aetatis inscriptiones; itaque quaecunque congerere potui, etiamsi minimi momenti sunt, hic propono.

Alba Helviorum sive Alba Helvia
(hodie *Aps*, *arrond. Privas*).

285. In urbe *Bonn* ad Rhenum sita. 'Gefunden 1839 an der ehmaligen Grabenstrasse vor dem Coblenzer Thore und im Besitz des Hrn. Mehlen dahier'. *Steiner*.

T. Carisio T. f. Vol(tinia), | Alba, vet(eranus) ex leg(ione) I | h(eres) ex t(estamento) f(aciendum) c(uravit) et | Manertae Musici f(iliae).

Steiner, Inscr. Dan. et Rh. n. 1027. — 4. MANERTAI ex lapide descripsit Steiner.

286. Rep. a. 1837 in urbe Bonn.

P. Clodio P. f. Vol(tinia), | Alb(a), mil(iti) leg(ionis) I, | an(norum) XLIIX, stip(endiorum) XXV, | h(ic) s(itus) e(st).

Steiner, l. l. n. 1026.

287. 'Dans les décombres d'Alba Helviorum.'

L. Pinario | Optato, | cultori larum | Sex. Antoni | Mansueti et | L. Valeri Rufini. — Millin, Voy. II. p. 112.

288. 'Entre Aps et Mélas au milieu d'un petit ruisseau, où les eaux l'ont portée. Beaux caractères.' *Lancelot*. Millini aetate fuit apud Marchionem de Joviac.

D(is) M(anibus) | et memo|riae Ia|nuarii, | Helvini fi|lii, Albi|ni, fratris | incompara(bilis).

Lancelot in Mém. de l'Acad. des Inscr. t. VII. p. 236. Murat. 1470, 5 (Bim.). Millin II. p. 110, cuius lectionem recepi.

289. 'Dans l'église de la Roche, hameau d'Aps' *Lancelot*.

D(is) M(anibus) | Pardule | posit *(sic)* me|moriam | Silvinus | Eutycheae | merentissimae.

Lancelot l. l. p. 237. Millin II. p. 114. 6 sq. Eutychea | merentis|sime *Lanc.*

290. In vico *Viviers* (arrondiss. *Privas*). Millini aetate 'dans le mur du cabinet de M. Flaugergues'.

D(is) M(anibus) | Castriciae | Secundae | Domitius | Licinianus | matri | karissimae. — Millin II. p. 106.

Bourg St. Andéol *(arrond. Privas).*

291. Inscriptio sarcophagi, quem dicunt Sancti Andeolii ossa continere; extat in ecclesia vici.

D(is) M(anibus) | Tib. Iuli | Valerian(i), | Θ(ανόντος) an(norum) V, m(ensium) VII, d(ierum) VI | Iulius Crantor et | Terenta *(sic Mill.)* Valeria | filio dulcissimo.

Millin, Voy. II. p. 122.

292. Inscriptio monumenti Mithriaci, quod prope *Bourg St. Andéol* in rupe quadam exculptum hoc modo Millin describit: C'est un bas-relief carré qui a 4 pieds de hauteur et six de largeur; il est taillé et sculpté dans le roc même qui est calcaire: on voit au milieu un jeune homme vêtu d'une chlamyde et coiffé d'un bonnet phrygien, qui sacrifie un taureau accroupi, dont un scorpion pique les testicules et qu'un chien attaque et mort au cou; — plus bas sont des rochers et une tablette, sur laquelle on découvre une inscription très-effacée. D'après une note que j'ai trouvée dans la bibliothèque de Nimes parmi les papiers de M. Séguier, il paraît que cette Inscription était autrefois mieux conservée et qu'on y lisait:

D(eo) S(oli) invi(cto) Mithrae Maxs(imus), | Manni f(ilius), vis(u) mon(itus) et | T. Mursius Mem(. . . .) d(e) s(ua) p(ecunia) p(osuerunt).

Millin II. p. 116 sq., cuius supplementa recepi. Imaginem monumenti idem dat Atlas pl. XXVIII. 2.

St. Jean de Muzols prope *Tournon*, qui locus situs est ad Rhodani ripam oppositus oppido *Tain.*

293. 'Inscription gravée sur une pierre calcaire encastrée à l'angle du mur oriental de l'église de St. Jean de Muzols.' *Chalieu.*

Imp(eratori) Caes(ari), DIvI | Traiani Parthici | fil(io), DIvI Nervae | nepoti, Traiano | Hadriano Aug(usto), | pontif(ici) ma-
p. Ch. 119/120. x(imo), trib(unicia) | potest(ate) III co(n)s(uli) III | n(autae) Rhodanici | indulgentissimo | principi.

Chalieu, Recueil de mémoires historiques sur différents objets d'antiquité p. 153. Grut. 248, 8 = 1022, 10. Millin II. p. 76. Or. 809.

VIII. FORVM IVLII.

De reliquiis veteris Fori Iulii cfr. quae exposuit Charles Texier, Mémoire sur la ville et le port de Fréjus in Mém. présentés à l'Acad. des Inscr. par divers savants. II. série, tome 2 (1849) p. 169 svv. Inscriptiones rarissimae sunt et ne ad tribum quidem eruendam sufficiunt, cui ascripti erant Foroiulienses. De qua re cfr. quae supra diximus in descriptione provinciae. Cum quaeratur praesertim, utrum militum Foroiuliensium tituli, qui tribum profitentur Aniensem, ad Forum Iulii nostrae provinciae pertineant an ad Forum Iulii Venetiae, quosdam hic apponam, reliquos satis habebo indicare.

294. 'Foroiulii prope portam maiorem'. — *Frat. Iuc.*

T. Vettidius | T. f., Scapt(ia), | Valens, | IIII vir iuridi-*c(undo)*, | quinq(uennalis), pont(ifex), | sibi et | T. Vettidio | Potenti fil(io), equo publico, | annor(um) XX, m(ensium) | IIII, d(ierum) V, t(estamento) f(ieri) i(ussit).

Primus descripsit Frater Iucundus Veronensis cod. Veron. fol. 178 = cod. Magliab. f. 148 r; edidit Orelli 3901 ex Turre, Monum. veteris Antii p. 331. 2. T·F·STA Frat. Iuc. — Quattuorviratum in hoc titulo nominatum non pertinere ad Forum Iulii supra exposui.

295. Nicaeae.

. Flavio, Verini filio, Qu*irina*, | Sabino, decurioni, II viro | Salin(iae), civitatis suae, *ii* viro | Foroiuliensi, *flamini* provinciae | Alpium Maritimarum, optimo | patrono, taber*narii* Salinienses | posuerunt, curantibus Maturo, Mansueto et Albuc*io mag(istris) coll(egii)*, | imp(eratore) Commodo *iii* et Antistio Byrro cos. p. Ch. 181.

Or.-Henzen 2214 ex Zachariae, Excurs. litter. per Italiam p. 54. 1. QVINCTO Or., sub quo nomine latere suspicor tribum Quirinam, quae Alpium Maritimarum est. 3. SVAE VIRO Orelli, quod Henzen mutavit in IIVIRO. vv. 4 et 6 supplementa sunt Orellii.

296. Venafri in Samnio.

Sex. Aulieno, Sex. f., | Ani(ensi) | primo pil(o) II, tr(ibuno) mil(itum), | praef(ecto) levis armat(urae), | praef(ecto) castr(orum) imp(eratoris) Caesar(is) | Aug(usti) et Ti. Caesaris Augusti, |

praef(ecto) classis, praef(ecto) fabr(um), II vir(o) | Venafri et Foro Iuli, flamini | Augustali | Nedymus et Gamus | lib(erti).

Momms., Inscr. R. Neap. n. 4629. Or. 3426.

297. Foroiulii.

D. M. | An . . . . . . | M. Aur(eli) An*tonin* (?) | pr(aefecto) classis . . . . . . | ap . . . . — Murat. 794, 2 (Bim.).

298. Rep. a 1806 Moguntiaci, ubi extat in museo.

C. Iulius Ma|rci f., Aniensis *(sic)* | Foro Iuli, | Macrinus | mil(es) leg(ionis) IIII | Mac(edonicae), an(norum) XXVI | stip(endiorum) VI | h(ic) s(itus) e(st).

Steiner, Inscr. Dan. et Rhen. n. 524.

299. Rep. a. 1806 Moguntiaci.

L. Licinius | L. f. An(iensi) Veru|s, Foro Iul(i), | mil(es) leg(ionis) IIII | Mac(edonicae), *an*(norum) XXV, | stip(endiorum) VIII, | h(ic) s(itus) e(st). — Steiner l. l. n. 525.

Praeterea titulos militum, qui domo Foro Iulii, tribu Aniensi dicuntur esse Grotefend imp. Rom. trib. descr. p. 56 hosce collegit: Murat. 865, 6. Fabretti 705, 253. Kellermann, Vigil. Rom. p. 28 n. 9.

300. Foroiulii 'apud Antelmium' *Maff.*

Dis Manibus | Numisiae Caesiae, G. Numisi f(iliae), | coniugi pientissimae. Vixit | annis LX. L. Solicius Aurelian(us), | Ↄ [i. e. centurio] leg(ionis) V. Mac(edonicae) et leg(ionis) p(rimae) Miner|viae p(iae) fidelis, se vivo et Nu|misius Chrestus libertus sib(i) | et suis fecerunt.

Maff., Gall. Ant. p. 69, unde Murat. 838, 3.

301. 'In oblongo lapide, qui a Foro Iulio duobus fere pass. milibus apud colonicam domum reclinatus iacet: verba tabellam implent huic usui summo lapide sculptam' *Maffei.*

Kalavia, M. | f., Ↄ [i. e. centurionis] leg(ionis) IIX, | hic sit(a), | sacrorum.

Maff., Gall. Ant. p. 71, unde Mur. 828, 3. Or. 2312. De significatione sacerdotali vocabuli *sacrorum* cfr. exempla collata ab Henzen, Ind. ad Orell. p. 55.

302. 'Gabriel Simeonis Florentin vit l'an 1551 cette inscription': *Bouche.*

C. Valerio Placido, | mil(iti) leg(ionis) X, Iulia Ci|licia

C. f. Placida | mater fecit; | in fr(onte) p(edes) IIII, | in agr(o) p(edes) XI.

Grut. 565, 7. Bouche p. 247; uterque ex Simeonio.

303. Foroiulii.

C. Iulio, | Apolloni | f(ilio), Apae, | missicio ex | testamento. Spon, Miscell. in thes. ant. rom. suppl. t. IV. p. 1134 (Peiresc.).

304. 'Apud Antelmium' *Maff.*

C. Iulio | Severo | Petrucorio.

Maff., Gall. Ant. p. 63, unde Mur. 1060,5, qui notat, Petrucoriorum regionem in Aquitania sitam hodie esse *le Périgord (dép. de la Dordogne).*

305. Foroiulii.

M. Caelio Agricolae | parentes; | v(ixit) annis VIII m(ensibus) IIII d(iebus) VIII h(oris) . .

Murat. 1143, 7 (Bim.). Recepi hunc titulum ob cognomen Agricolae Foroiulii paullo memorabiliorem.

306. Foroiulii.

D. M. | M. Iulio Euxino | IIIII Aug. *(sic Bouche).*

Bouche p. 248 (Solery.).

307. Foroiulii rep. 1860.

D. M. | P. Licini | Primi, | sevir(i) Aug(ustalis), | P. Licinius | Eleuther(us) | patron(o) optum(o).

Revue archéol. 1861 p. 459.

308. 'Au milieu du marché aux herbes il y a une grande tour, sur laquelle on lit cette inscription, partagée par le milieu; les deux fragments sont de niveau'. *Millin.*

a) L. Val(erio) Hermero, | sevir(o) Aug(ustali), | b) hered(es) ex *tes*(tamento) | fecer(unt). — Millin, Voy. II. p. 493.

309. Foroiulii.

M. Pullio M. l. Casto, | M. Pullio M. l. Fusco, | purpurario, | Pullia M. l. Prima, | M. Flavius Ianuarius, | M. Pullius Ɔ [i. e. Pulliae] l. Hormus, | purpurarius. — Murat. 973, 6.

IX. ANTIPOLIS.

(Antibes, dép. du Var.)

310. Antipoli.

M. Moltelio C. f. Volt(inia) Secun|dino, flamini, IIviro Antipoli | haeredes ex testamento.

Bouche, Chorogr. p. 290, unde Spon, Miscell. 157, 2. — v. 2. pro FLAMINIIIVIRO est fortasse in lapide FLAMIN·IIIIVIRO; in reliquis quidem oppidis latinis summi magistratus dicuntur quattuorviri.

311. Antipoli.

. . . . | Secundino, equo publico | . . . . . .

Bouche p. 290.

312. Antipoli.

C. Tull(ius) Flamini*n*us | decurionis filius, | domo Catina, ex provin|cia Siciliae, incola Anti|politanus sibi et s(uis).

Grut. 410, 1 (Scal.). Maffei, Gall. Ant. p. 63. Murat. 1025, 5 (Maff.). Orelli 3708. v. 1. FLAMINIVS traditum est. 2 sq. Catinae exortus civis Siciliae *Grut.;* secutus sum apogr. Maff.

313. Antipoli.

Collegio utriclar(iorum) | C. Iul(ius) Catulinus | don(o) pos(uit). — Bouche p. 288.

314. 'Incrustée dans le mur de la rue qui conduit à l'église' *Millin.*

Pueri Septentri|onis, annor(um) XII, qui | Antipoli in theatro | biduo saltavit et pla|cuit.

Grut. 332, 4 (Simeoni). Millin II. p. 511. Orelli 2607.

315. Antipoli.

Ἀντίπολις καὶ οἱ πολῖται τὸ | γενικὸν μον[ομάχων] | καὶ οὐελαρί[ων] καὶ . . . . .

Grut. 173, 10 (Scal.), unde Corp. Inscr. Graec. 6776. Bouche p. 289. — 1 sq. ΟΙ ΓΕ|ΝΙΚΟΙ ΜΟΝ ΚΑΙ ΜΑΤΤΟΝΙ ΚΑΙ ΟΤΕΑΑΡΙΟΝ Bouche. Qui in Corp. Inscr. Graec. edidit titulum Franz Gruteri lectionem sequens *τὸ γενικόν* locum publicum aliquem esse dicit citans Theophan. ed. Bonn. V. 31. Georg. Cedren. ed. Bonn. II. p. 204. Idem v. 2. litteras Gruteri ΜΟΝΚΑΙΜΑΝΓΟΝ ita emendandas putat, ut vocabulum unum efficiatur ΜΟΝΟΜΑΧΩΝ; at quod Bouche quoque habet ΜΟΝΚΑΙ etc., dubia mihi

videtur haec restitutio, atque malim litteras MON per se solas esse *μονομάχων*, in litteris ΜΑΝΓΟΝ autem latere nescio quam speciem gladiatorum. Lectio vero *Ἀντίπολις καὶ οἱ πολῖται* nullo modo potest ferri, siquidem titulum hoc modo putas incepisse neque versus desunt anteriores. De gladiatoriis velariis cfr. Ind. ad Or. p. 189.

Insula Lero *(Ile de Ste. Marguérite).*

316. 'In cippo marmoreo effosso in insula St. Margarita' *Corp. Inscr. Gr.*

Ὑπὲρ τῆς σωτηρ(ίας)	Pro salute
Μ(άρκου) Ἰουλίου Λί[γ]υος,	M. Iul(i) Ligur(is)
ἐπιτρόπῳ Καίσ(αρος),	proc(uratoris) Aug(usti).
Ἀγαθοκλῆς	
δοῦλος	
εὐχ(ὴν) ἀπέ(δωκε) Πανί.	

Corp. Inscr. Gr. n. 6777 ex Millin, Magas. encycl. ann. 1818. t. VI. p. 150. Supplementa sunt Franzii.

Insula Lerina *(Ile de St. Honorat).*

317. Inscriptio columnae (sive cippi rotundi?).

Constantino Augusto Div(i) | *Constanti filio.*

Prosper Mérimée, Notes d'un voyage p. 246.

318. 'Sur le seuil de l'une des portes de la vieille église de l'île de St. Honorat.'

. . . . s | Ferox sibi et . . . . .

Prosper Mérimée p. 251. — Recepi hoc fragmentum, quod testatur, latinam linguam in ea insula sicut in ipsa Antipoli esse usurpatam.

X. ARELAS.

(Arles, département des Bouches du Rhône.)

Lapides Arelatenses Millin vidit in curia urbis, in domo archiepiscopali, per plures domos privatas, in campis quos vocant Elysaeos, in monasterio Fratrum Minimorum, in ecclesia denique eiusdem monasterii Scto. Honorato dedicata, cuius pars

a Fratribus illis in museum erat mutata. Campos autem Elysaeos (*les champs Élysées* sive, ut lingua dicunt provinciali, *les Aliscamps*) ut viam tibi fingas sepulcralem, quae ab urbe ducit ad illud monasterium et, sicut moris erat apud antiquos, ab utraque parte longa monumentorum sepulcralium serie ornata est. Quae via hodie quoque magnam monumentorum suorum partem conservavit; ex reliquis autem locis quaecunque poterant transportari, collecta sunt in museo instituto in media urbe prope curiam.

319. Arelate.

Divo Claudio | ex testamento | L. Valeri Placidi.

Mur. 255, 9 (Bim.), qui ad Claudium Gothicum et annum circa 270 refert. Potest ad hunc titulum, aeque atque ad Orellianum n. 718 disputari de duobus Claudiis; nam Tib. quoque Claudius Divi honorem habuit. Suet. Claud. 45.

320. 'Contre le mur de la maison du côté de l'église St. Anne on voit cette pierre, qu'on appelle vulgairement la colonne Constantine.' *Millin.* Eodem auctore basis statuae potius est quam miliarium.

Imp(eratori) Caes(ari) | Fl(avio) Val(erio) | Constan|tino | p(io) f(elici) Aug(usto), | Divi Constan|ti Aug(usti) | pii | filio.

Murat. 258, 8 = 260, 2 (Bim.). Mill. III. 511.

321. 'Sur une colonne de marbre, que Saxi dit avoir été autrefois dans la maison des Templiers hors de la porte de la cavalerie.' *Estrangin.*

Imp(eratori) Caes(ari) | Fl(avio) Val(erio) | Constan|tino, | p(io) f(elici) Aug(usto) | restitutori.

Mur. 258, 7 (a Saxio). Estrangin, Études sur Arles, Introd. p. IV.

322. Inscriptio tabulae marmoreae, cuius fragmentum est in museo. Superficies lapidis ita corrosa est, ut quaedam partes iam non possint certo legi.

. . . . *A*nnius . . . | . . . . R Camars | . . . . . . X *vir stlit*(*ibus*), iud(icandis) trib(unus) mil(itum) | *leg*(*ionis*) . . . . *sevi*r eq(uitum) Rom(anorum) turm(a) | . . . . *quaest*(*or*), *trib*(*unus*) *pleb*(is), praet(or), proco(n)s(ul) | *prov*(*inciae*) *Narb*(*onensis*), *legatus*) *pr*(*o*) pr(aetore) prov(inciae) Africae | . . . . *vivus* sibi et T. Annio | *fil*(*io*) *fec*(*it*). *Idem* . . . . x arg(enteos) LIrrIco (?) ded|*it* . . . . . . QVAR·MANVTRET | . . . . *dona*vit, item HS n(ummum) $\overline{CC}$ | *dedit*, *quorum ex usur*is omnibus an-

nis | *die natali suo ludi palm*ar(es) aut circen|*ses Arelate ederent*ur; | *item ad nom*(*inis*) *sui mem*oriae aeternitat(em) | *hoc monumentum* extruxit.

Descripsi. Maff., Mus. Ver. 418, 1. Murat. 622, 6 (Bim.). Millin III. p. 624. v. 8. LIBRISCO Millin. 9. MANVPRET Mill. 12. TMETARAVT Mill. T·IHETARAVT Mur. Equidem ante AR nihil certi in marmore legi. v. 6. *provinciae Narbonensis* supplevi, explicandi caussa, cur in hac provincia monumentum Annius extruxerit; quam caussam nequaquam esse certam, haud ignoro.

323. Arelate in museo.

. Cominio | . *f.* Claud(ia) Boi*on*io | *A*gricola*e A*elio | Apro, praef(ecto) cohor(tis) tert(iae) Bracaraugustano(rum), | tribuno *legionis* . . . adiut(ricis), procur(atori) | Augustorum ad annonam | provinciae Narbo*n*ensis | et Liguriae, praef(ecto) al(ae) *mi*liariae[1] | in Mauretania Caesariensi | navic(ulariorum) marin(orum) Arel(atensium) | corp(ora) quinq(ue) patrono | optimo et innocentis|simo.

Descripsi. Maff., Gall. Ant. p. 64. Millin III. 601, unde Or.-Henz. 3655. Supplementa sunt Millini, praeterquam quod suppl. v. 12 indicavit Henzen ad Or. Legiones adiutrices extiterunt I. II., fortasse etiam III. cfr. Henzen, Ind. p. 123—125.

324. Arelate in theatro 'sur divers gradins'.

a) Loc(a) XXX d(ecreto) d(ecurionum); loc(a) . . . .

b) Loca da(*ta*) *d*(*ecreto*) *d*(*ecurionum*) . . . .

c) L(oca) XXV d(ata) d(ecreto) d(ecurionum) . . . .

Estrangin, Études sur Arles p. 34.

325. Reliquiae tituli, qui bis iisdem verbis conceptus et ternis in utraque parte lineis divisus ornat summum podium amphitheatri Arelatensis. Ita autem dispositae sunt duae, quae sequuntur inscriptiones, ut qui introeunt per introitum principalem hodiernum, initium unius habeant a sinistra, finem alterius a dextra. Cum vero ea quae a dextra est, melius conservata sit, hanc propono solam eamque, quantum fieri potest restitutam et ex ipsius fragmentis et ex alterius reliquiis.

1 2 3 4 5 6 7
C. Iun|ius P|riscu|s IIv|ir i|*ur*(*i*) *dic*(*undo*) *qu*|inq(uennalis) |
8 9 10 11 12 13 14 — 22
caud(idatus) | *A*re | la*t*|*e*, *it*|em | fla|*men provinciae Narbonensis*,
23 24 25 1 2 3B 4 5
podiu|m cu*m* | *spectac*|ul|is | et sp|ect(acula) g(raduum) | sept|*em*,

[6] *lo*|*cor*(*um*) | [7] *c*(*entum*), quae | [8] *muni*c(ipibus) Ar|[9] *el*(*atensibus*) *po*|[10] llici-t|[11] us erat | [12] HS CC | [13] d . . . .

Descripsi. Eundem titulum neglegentissime descriptum edidit Estrangin, Études sur Arles p. 35. Quae litteras separant hastae, indicant divisionem lapidum, per quos titulus dispositus est, numeri superpositi lapidum ordinem indicant, lineae II. n. 3 ex sinistrae partis fragmentis receptus est. Quam supra dedi, dimidia fere pars est universi tituli; at et quae restant de secunda linea et quae in tertia legebantur, ex paucis quae conservatae sunt litteris non possunt restitui, agi autem in iis de epulo dato et de sportulis distributis ex quibusdam litteris potest concludi; ipsa haec reliqua fragmenta cum imagine non possim repraesentare, hic reddere supersedeo. Supplementa inde a versu I. 23 sunt Aem. Hübneri, quem ut inscriptionum scenicarum peritissimum consului.

326. 'À Esparron, baillage de Moustiers, au terroir duquel lieu l'on a veu autrefois cette inscription'. *Bouche.*

T. Domitius L. f. Ter(etina) Perdullo | Arelatensis, omnibus | honoribus in colonia | sua functo, Eutychon libertus.

Bouche, Chorogr. de Prov. p. 232.

326a). Aquis Sextiis, 'autrefois en la maison du sieur de Guiran' *Bouche.* Videtur Arelate translata Aquas Sextias.

D. M. | Q. Iuli Q. fil(i), | Ter(etina), Tinemoi (?), | aedil(is), II vir(i), | pont(ificis) et fl(aminis) col(oniae) Iul(iae) | Arel(atensis) Iul(ius) Lici|nianus parenti | dulcissimo.

Bouche p. 197. Maff., Gall. Ant. p. 62.

327. Arelate in museo.

Cn. Cornel(io) | Cn. fil(io), Ter(etina), | Optato | II vir(o), pontific(i), | flamini | naviculari marin(i) | Arel(atenses) patrono.

Descripsi.

328. Arelate in museo.

. . . . lio M. f. Ter(etina) | Marullo duo|vir(o).

Descripsi.

329. Inscriptio lapidis admodum corrosi et fracti, qui extat in museo Arelatensi.

. *Veratio*, ... |o, flamini c(oloniae) Ar(elatensis) *quae-*

st(ori), *ii*|vir(o) *col(onia) Iul(ia)* Pat(erna) Arelate . . . . . | Verat(ia) patri cariss*imo* . . | . . . .

Sequitur consideratio de vita et morte versus longa tredecim et adeo mutila, ut hic eam repetere non referat. — Descripsi.

330. 'Arelate in claustro Dominicanorum, litteris deletis et fugientibus' *Grut.* Extat nunc in museo, quoad non fractus est lapis, insignis litteris pulchris et bene conservatis.

D(ecurionum) d(ecreto). | . Recilio. M. f., | *Teret*(ina), Pompeiano | *ex quin*q(ue) decuriis, | *aed(ili)* munerar(io), fl(amini), ponTif(ici), | *quaesto*ri Arelatenses | *muni*cipes optime de | *se merito* patrono. | *Hic* statuae honore | *contentu*s impendium | *stat(uae)* p(opulo) remisit.

Descripsi. Grut. 463, 7 (Scal.). Millin III. p. 620. v. 6 init. NI Millin. 11. ante primam, quae huius versus conservata est litteram P punctum conspicitur, quod Mill. omisit; deest igitur huius quoque versus initium.

331. 'Dans le couvent des anciens Dominicains' *Millin.*

D. M. | . Iul(i) C. f. Tertullian(i), | flam(inis) col(onia) Apta, | L. Vallius Attilian(us) | nepos.

Millin III. p. 628. Grut. 323, 6 (ab Alloysio). Bouche, Chorogr. p. 221. 1. TERTVLIN Bouche. TERTVLLIN Grut.; apud Millinum extremae litterae ita inter se nexae sunt, ut potius legas: *Tertulliani.* Ceterum possit in lapide Arelate reperto, quamquam agitur de flamine Aptensi, cogitari de tribu *Ter(etina)* et coguomine *Tulliani*; namque flamines saepius ex alienis oppidis eligebantur. Quod dubium relinquens lapidem non Aptensibus, sed Arelatensibus monumentis apposui.

332. 'Dans l'escalier du refectoire du couvent des Minimes' *Lancelot.*

D. M. | L. Domit(i) Domitiani | ex trierarchi class(is) Germ(anicae) | p(iae) f(idelis) Cocceia Valentina | coniugi pientissim(o).

Lancelot in Hist. de l'Acad. des Inscr. t. VII. p. 250. Maff., Gall. Ant. p. 70. Murat. 811, 1 = 880, 5. Millin III. p. 582. Orelli 3600.

333. 'En 1639 on a découvert dans le Rhône près des murs du grand prieuré de St. Gilles, ordre de Malte, un tombeau antique avec cette inscription payenne. On croit que ce tombeau est encore dans le Rhône à la même place: les recherches lors des basses eaux n'ont rien produit.' *Estrangin.* Extat nunc in museo.

D. M. | Liciniae Magnae quae *(sic)* matro|nae Lucius Se-

verus T. Iulius | Valentinus *et* Iulia Valentina | fratres, T. Licinius Rusticus | . . . . *leg*(ionis) III. Aug(ustae) maritus.

Descripsi. Estrangin, Études sur Arles p. 150. — Nota Liciniam nomen habere mariti, non fratrum.

334. Rep. in vico Austriaco *Petronell* sito ad ripam Danubii prope oppidum *Haimburg*, ubi aetate Romana fuit colonia Carnuntum provinciae Pannoniae inferioris.

L. Cornelius | L. f. Firmus, | Terentina Arel|ate, mil(es) leg(ionis) XV | Apol(linaris), an(norum) XXX, | stip(endiorum) X, h(ic) s(itus) e(st). | C. Vibius C. f., mil(es) | leg(ionis) XV Apol(linaris), | *a*(*micus*) *et* h(eres) p(osuit).

Steiner, Inscr. Dan. et Rhen. IV. n. 3446. — v. 3 nota *Terentinam* tribum pro *Teretina*, si quidem recte edidit Steiner. 9. V·B·H·P Stein; fortasse est A. et nexus litterarum ET.

335. Arelate in museo.

*Cl*odiae M. f. In*genuae* | *L*. Licinio Fausto, mili*ti* | cohortis praet(oriae) | *Li*ciniae L. f(iliae) Ingenuae, | . *Clod*io, M. f. Continenti | . . . . DI . . . . — Descripsi.

336. 'Chez M. Constant, curé de l'église principale, dont le logement est dans cet édifice'. *Millin*.

D. M. | L. Hostili Ter(etina) | Silvini | ann(orum) XXVIIII m(ensium) II d(ierum) | XV mater fil(io) piissimo | misera et in luctu | aeternali benefici'o novercae.

Grut. 687, 5 (ab Alloysio). Mur. 173, 8 (ex Donio). Millin III. p. 609. Or. 4604.

337. 'M. Tinellis a dans sa maison, près des cordeliers, un sarcophage, sur lequel on lit l'inscription qui suit.' *Millin*.

D. Cornelio Valeriano | , Teretin(a), | defunct(o) ann(orum) XVIII, | mens(ium) X, dier(um) V Cornelius | Licinianus et Va|l(eria) Materna | filio piissimo.

Grut. 679, 6 (Alloys.). Mur. 1156, 3 (Bim.). Millin III. p. 627.

338. Arelate in museo.

C. Fabius C. lib(ertus) Hermes, | sevir Aug(ustalis) c(olonia) I(ulia) P(aterna) Arel(ate), | vivos fecit sibi et suis et | C. Fabio L. f. Secundo patron(o) | et L. Fabio L. f. Primo fratri | eius. | H(oc) m(onumentum) h(eredes) m(eos) n(on) s(equitur).

Descripsi. Millin III. p. 508.

339. Arelate in museo.

D. M. | Sex. Allius Vitalis Forn(. . .), *(sic)* | sevir *Aug(ustalis) col(onia) Iul(ia) Paterna Arel(ate)* | Meta . . . . . AV . . . sib(i) uxoriq(ue) | suae, quae vixit ann(os) XXI m(enses) II | d(ies) XXVII, sibi posterisquae *(sic)* | suis vivus posuit. — Descripsi.

340. Arelate in museo.

Veriae Filtate *(sic)* | amica dolens | posuit in hono|rem C. Iuli For|tunati, sevir(i) | Augustalis, | uxori.

Descripsi. Mur. 755, 5 (Bim.). Millin III. p. 575. Constructio tituli parum commode procedit.

341. Arelate in museo.

D. M. | P. Publicio | Eutycho | sevir(o) Aug(ustali) | col(onia) I(ulia) P(aterna) Arel(ate). — Descripsi.

342. Arelate in museo.

D. M. | G. Paqui, Optati | lib(erti), Pardalae, IIIIII *(sic)* | Aug(ustalis) col(onia) Iul(ia) Pat(erna) Ar(elate), | patron(i) eiusdem | corpor(is), item patron(i) | fabror(um) naval(ium), utriclar(iorum) | et centonar(iorum) C. Paquius | Epigonus cum liberis suis | patrono optime merito.

Descripsi. Grut. 448, 5 (Scal.). Mur. 1110, 1 (Sax.). Millin III. p. 494.

343. Arelate in museo.

D. M. et | securitáti | Aemiliae Eucar|piae | C. Paquius Pardalas | coniugi cárissimae; | v(ixit) a(nnos) XXXI m(enses) VIII d(ies) X. — Descripsi. Mur. 1110, 3 (Sax.).

344. 'Ad Rhodani ripam' *Mur.*

D. M. | L. Secundio | Eleuthero, | navicular(io) Arel(atensi), | item sevir(o) Aug(ustali) | corpor(ato) c(olonia) I(ulia) P(aterna) A(relate), | Secundia | Tatiana, fil(ia) | patri pientissima *(sic)*.

Mur. 1110, 2 (Sax.).

345. 'In domo archiepiscopali' *Maff.*

C. Iul(ius) Pom*peianus*, | collega fab*rum* | navalium *corp(oratorum) Ar(elate)*, | curator eius | corporis, et . . . . | Severa vivi | posuerunt et | dedicaverunt.

Maff., Gall. Ant. p. 80.

346. Arelate.

D. M. | Q. Candi*di* Benigni, fabri tign(ari) c|orp(orati) Ar(elate),
ars cui summa fuit | fabricae studium doctrin*a* | pudor*que*,
quem magni | artifices semper dixere | magistrum;
doctior hoc ne|mo fuit, *potuit* quem vin|cere nemo,
organa, qui nosse|t facere aquarum aut duce|re cursum.
Hic conviva fui|t dulcis, nosset qui pasce|re amicos, |
ingenio studio | docilis amicoque benig|nus.
Candidia Quintina | patri dulcissimo et Val(eria) | Maxsimina
coniugi kar(issimo).

Henzen 7231 ex Mém. des Antiq. de France V. p. 241. Supplementa sunt Henzeni. Nota, ut mittam alia, hexametros primum, quartum, quintum in septenos pedes esse productos.

347. Arelate in museo.

D. M. | L. Iuli Augus|talis, fabri | tign(ari) corpor(ati) | Arel(ate) L. Iulius | Trophimus, | pater infe|licissimus.

Descripsi. Maff., Gall. Ant. p. 80. Mur. 516, 8 = 960, 4.

348. Arelate in museo.

D. M. | Tit(o) Fl(avio) Tito, cor|p(orato) fabror(um) tig|nario(um) corp(oratorum) | Arel(ate), Tit(us) Fl(avius) In|ventus pa|trono pient(issimo).

Descripsi. Millin III. p. 571. v. 1. COR Mill., at est in lapide CR.

349. Arelate in museo.

D. M. | M. Iunio Messiano | utricl(ario) corp(orato) Arelat(ensi), | eiusd(em) corp(oris) mag(istro) IIII, f(ilio), | qui vixit ann(os) XXVIII, | m(enses) V, d(ies) X, Iunia Valeria — *sequuntur duo versus, qui videntur consilio erasi.*

Descripsi. Grut. 426, 6 = 483, 1 (Scal.). Murat. 531, 5 (Bim.). Millin III. p. 562.

350. 'Arelate nuper eruderatum, servatque domi suae Ianus Alioysius, qui descripsit Scaligero.' *Grut.*

L. Iulio Secundo, | utriclario cor(porato) | c(olonia) I(ulia) P(aterna) A(relate), qui legavit | eis testamento | suo ✱ [i. e. denarios] CC, ut ex usur(is) eor(um) | omnibus annis sacrific|io ei parentetur, | item naut(arum) Druentior(um) | corpor(ato), Mogituma | Epipodius filius, n(auta) A(relatensis), | patri pientissim(o).

Grut. 547, 8, unde Orelli-Henzen 4120.

351. Arelate in museo.

D. M. | Maximini | Festi, pausar(ii) | Isidis tr(iumphalis) Arel(atensis) | collegae.

Descripsi. Henzen 5835 a Bursiano. TPAREL Burs. TRAPEL habeo in apographo meo. Pausarios ad cultum Isiacum pertinentes habes Orelli 1885, Isidem triumphalem 1878.

352. Arelate in museo.

L. Grania L. filio, | Teretina, Romano | M. Iul(ius) Olympus, nego|tiator familiae gla|diatoriae, ob merita | L. Grani Victoris, | avi eius, merenti | posuit.

Descripsi. Grut. 335, 3 (Scal.). Mill. Ill. 610. v. 3. M·TVL Mill.

353. Arelate in museo.

DIs | *Ma*nibus | Primigeni | scaenici ex | factione Eudoxi.
Descripsi.

354. Arelate in museo. Litterae vario modo ornatae et inter se nexae sunt.

Peregrino, | Antistiae Piae | dispensatori, | Antistia, Piae liberta, | Cypare contubernali | pientissimo. — Descripsi.

355. Arelate in museo. Inscriptio est arae insigniori arte confectae.

Bonae Deae | Caiena, PrIscae lib(erta), Attice | ministra.
Descripsi. Millin Ill. p. 506.

AGER ARELATENSIS.

1. **Ernaginum** (*St. Gabriel*, inter Arelate et Tarasconem).

356. Extat in eccelesia vici St. Gabriel.

D. M. | M. Frontoni Eupori, | sevir(i) Aug(ustalis) col(onia) Iulia | Aug(usta) AquIs SextIs, navicular(io) | mar(ino) Arel(atensi), curat(ori) eiusd(em) corp(oris) | patrono nautar(um) Druen|ticorum et utriclarior(um) | corp(oratorum) Ernaginensium, | Iulia Nice uxor | coniugi carissimo.

Dedi ex imagine, quam ad ipsum lapidem confectam accepi a dom. Rouard Aquensi. Bouche, Chorogr. p. 132 ex Scal. ad Auson. 1, 30. Prosp. Mérimée, Notes d'un voy. p. 313.

357. "Pierre trouvée anciennement au village de St. Gabriel près d'Arles, dont les aucteurs Saxy et Sirmond font mention, comme encore

Bartel en l'histoire ecclésiastique de Riez, qui asseure d'avoir veu cette pierre à Aix dans le cabinet de Peiresc'. *Bouche.* À St. Gabriel sur un marbre brisé, dont il manque un fragment, chez M. le chevalier Monrret'. *Prosp. Mérimée.* Nunc extat in museo Avenionsi.

. Severius M. f. | Fab(ia) Viator, flam(en) | Rom(ae) et Aug(usti), IIIIvir, pont(ifex) | col(oniae) Relór(um) Apollinár(ium), | sibi et Kareiae, Karel f(iliae), | Paterclae optim(ae) v(ivus) | fecit.

Descripsi. Bouche, Chorogr. p. 226. Prosp. Mér., Notes d'un voy. p. 314. Grut. 428, 9 = 468, 6 (Scal.). Ex iis, quae de origine lapidis attulimus, apparet non agi hoc loco, ut indicat Henzen ad Orell. 4030, de IIIIviro Nemausensi, pontifice Reiensi, sed utrumque honorem ad Reios esse referendum. Ceterum Reiis quoque incolatus nomine Severium honoribus esse functum probat tribus Fabia, a Reiis, qui Voltiniae ascripti erant, aliena.

2. Pagus Lucretius (hodie *Gemenos* aut *St. Jean de Garguier*, qui vici 5 fere leugis a Massilia distant orientem versus).

358. 'In pago Gemenos in aediculo Delparae' *Spon.* Hodie ubi sit non comperi; fieri autem posse, ut extet Massiliae, ex hace concludo inscriptione musei Massiliensis: 'Ne periret posteritati, ex territorio pagi Gemenos prope Gargariam in hoc palatium transtulit Henricus episcopus an. MDCCLIII.' (Catal. du musée n. 37.) Quod vix ad aliud monumentum potest referri quam ad hoc nostrum.

Pagani pagi Lucreti, qui sunt | finibus Arelatensium, loco Gargario, | Q. Cor(nelio), Marcelli lib(erto), Zosimo, sevir(o) | Aug(ustali) col(onia) Iul(ia) Paterna Arelate, ob | bonorem eius, qui notum *(sic)* fecit | iniuriam nostram omnium seculorum | sacratissimo principi T. Aelio Antonino, | *litter*(as) Romae misit, per multos annos | ad praesides provinciae persecutus est | iniuriam nostram suis impensis, ob hoc | donavit nobis inpendia, quae fecit, | ut omnium seculorum sacratissimi | principis imp(eratoris) Caes(aris) Antonini Aug(usti) | Pii beneficia durarent permanerentque, | quibus frueremur *nos* et balineo gratuito, | quod ablatum erat paganis *p(agi) L(ucreti)*, quod usi fuerant | amplius annis XXXX.

Descripsi. Spon, Misc. 165, 1, unde Orell. n. 202; eandem ego secutus sum lectionem. Papon, Hist. de Provence 1. p. 89 sq., qui dare se dicit apographa abbatis Barthélemy et Thomae Mazauges, quae inter se non differant. Diversae autem Paponi lectiones hae sunt. 6 et 12. SAECVLORVM. 8. ROME. 9. PRESIDES. 10. IM . . . . . . T·OB. 11. IMPENDIA. 15. . . S deest.

3. St. Chamas.

359. Inscriptio duorum arcuum, qui extant ad ripas rivi Touloubre prope vicum St. Chamas vicinum loco, ubi rivus ille influit in stagnum quod dicitur *de Berre*. Describit autem id monumentum Millin his verbis: 'A chaque extrémité du pont que les Romains ont jeté sur la Touloubre et qui traverse l'ancienne voie Aurelia, il y a un arc de 21 pieds 8 pouces de haut; chaque côté est décoré d'un pilastre cannelé, au dessus du pilastre il y a un lion, la frise est ornée d'un enroulement. La sculpture de l'arc du côté de St. Chamas offre des aigles avec des ailes éployées; au dessus de la corniche il y a sur l'architrave une inscription, les lettres en sont différemment disposées sur chaque arc; mais il n'y a d'ailleurs aucune différence.' Imagines monumentorum habes Millin, Atlas, pl. LXXIV. fig. 2. 8.

Ipsa inscriptio haec est:

C. Donnius C. f. Flavos, flamen Romae et Augusti, | testamento fieri iussit arbitratu | C. Donnei Venae et C. Attei Rufei.

Grut. 320, 3. Bouche, Chorogr. p. 319. Millin IV. p. 53. v. 1. C·L·DONNIVS Mill.

XI. GLANVM LIVI

(hodie *St. Remy*, inter oppida Tarascon et Orgon).

---

360. Extat in oppido St. Remy et asservatur in curia.

D. M. et | *memorie* aeternae | . *A*ebuti Agathon*is*, | *se*viro Aug(ustali) corp(orato) *c*(*olonia*) *I*(*ulia*) | *Pat*er(na) Arel(ate), curat(ori) ei*us*|*dem* corp(oris) bis, item se|*vi*ro col(oniae) Iul(iae) Aptae, nau|*t*ae Ararico, curatori | peculi r(ei) p(ublicae) Glanico(rum), qui | vixit annos LXX, | Aebutia Eutychia patro|no erga se pientissimo. — Millin III. p. 407. Orelli 200.

361. Inscriptio celebris mausolei, quod extat prope oppidum St. Remy.

Sex(tus), L(ucius), M(arcus) Iulici, C. f(ilii), parentibus sueis.

Descripsi. Barthélemy in Hist. de l'Acad. des Inscr. t. XXVIII. p. 579. Millin III. p. 407, unde Or. 201. Interpretationem primus indicavit Barthélemy. Imagines monumenti edidit Millin, Atlas pl. LXIII. f. 1. a—d. Antiquissimum fortasse hic habes provinciae nostrae monumentum, neque tamen, id quod probat nomen Iulium, anterius Iulio Caesare.

Tarasco (*Tarascon*, ad ripam Rhodani).

362. Rep. a 1844 ad viam ferratam proxime Tarasconem.

T. Cornelius Vol(tinia) | Planta sibi et | L. Cornelio Laeto, f(ilio), | testamento | fieri iussit.

Revue archéol. t. I. (1844) p. 121.

XII. AQVAE SEXTIAE.

(Aix-en-Provence, dép. des Bouches du Rhône.)

Quae sub finem saeculi proximi et huius saeculi initio ab hominibus privatis, praesertim dominis de St. Vincens, patre et filio, Aquis Sextiis congesta erant monumenta antiqua, anno 1820 a municipio empta et in museum, quod tum instituere coeperunt Aquenses, translata sunt. Eodem detulerunt et alios qui tum per urbem dispersi erant veteres lapides et quidquid postea sive casu sive a quaerentibus repertum est. Ceterum cum collectio Vincentiana monumenta contineat non solum extra territorium Aquense, sed etiam extra provinciam reperta, neque extet catalogus, qui singularum rerum rationem reddat, non desunt, de quorum origine parum constet.

363. Inscriptio quae reperta Reiis Apollinaribus postea translata videtur Aquas Sextias. Millin enim bis eandem dat: II. p. 206, ubi dicit, se eam in aedibus domini de St. Vincens vidisse et III. p. 51, ubi eandem ex fundamentis moenium Reiensium extractam esse et a se in domo privata Reiis repertam affirmat. Fuit autem Aquis Sextiis Millin, antequam pervenit Reios, neque dicit agi de titulo reperto Reiis, translato Aquas, iterum translato Reios. Itaque si Millino fidem habere vis, quoniam fieri vix potest, ut idem titulus duobus locis positus bis eodem modo fractus ad nos pervenerit, necesse est concludas, Reiis hanc inscriptionem primum vidisse Millinum, deinde cum facto itinere in edendis titulis Aquensibus versaretur, comperisse, Aquis tum eum titulum esse apud Vincentium ideoque Aquensibus eundem apposuisse, sibique persuasisse, olim iam Aquis eum fuisse. Quidquid id est, extat hodie in museo Aquensi, ubi vidi ipse.

. . . . | quaest(ori) *urb(ano)*, *tr(ibuno) pl(ebis)*, | prae-*tori*, curator*i* *reip(ublicae)* | Aven*iensis* | patr*ono* | . . . .

Descripsi. v. 2. Millin II. 206 PRAET. III. 51 PRAEF v. 4. Mill. II. 206 AVENN III. 51 AVENI

364. 'Découverte par le comte d'Alais, gouverneur de Provence de 1638 à 1645, près du mausolée appelé la Tour de l'horloge du Palais'. *Millin.* Nunc extat in museo Aquensi. Ipsum monumentum, ad quod pertinuit titulus, destructum est anno 1786.

. . . . ero laticlavio | . . . . *patrono col*oniae, | . . . . *trib(uno) m*il(itum) leg(ionis) VII gem(inae) fel(icis) | . . . . . . *quattuorv*iro, patrono col(oniae), | . . . . *trib(uno) m*il(itum) leg(ionis) VIII Aug(ustae) | *patro*no coloniae.

Descripsi. Millin II. p. 206. Cum inter rudera monumenti positi in honorem patronorum illorum tres urnae reperirentur, quarum una nummum continebat nomine L. Aelii cos. II. signatum sive anni 137 p. Ch., Millin hoc anno monumentum positum esse concludit.

365. Romae in villa Borghesiana.

D. M. | M. Iunio Rufo | Pythioni, | Aquis Sextis, | patrono coloniae, | homini bono | et diserto.

Rouard, Rapport sur les fouilles faites à Aix 1844 p. 61.

366. Aquis Sextiis in museo.

Sex. Acutius, Vol(tinia), | Aquila, praetor | Acuto patri, | Ingenuae matri, | Severae sorori, | Rufo fratri. | H(oc) m(onumentum) h(eredes) n(on) *s(equitur)*.

Descripsi. Grut. 344, 11. Bouche, Chorogr. p. 157. Garrucci in Bullett. d. Inst. arch. 1860 p. 220.

367. Aquis Sextiis in museo.

. . . . . cisius . . . . . | aedil(is), praef(ectus) pro II vir(o), | sibi et | . . . . . . — Descripsi. Murat. 769, 5 (Bim.). Mill. II. p. 204.

368. 'Deux inscriptions, qui paraissent avoir toujours été rapprochées l'une de l'autre comme elles le sont encore. Elles se trouvent aujourd'hui dans une chapelle abandonnée dite de St. Vincent, située dans le domaine de Rians, au nord et à un quart de lieue de Puyricard, où la tradition a toujours placé un temple de Jupiter et où l'on a trouvé plusieurs inscriptions en l'honneur de ce dieu.' *Rouard.*

a) Iovi O(ptimo) M(aximo) | Sex. Iul*ius* Ren(ati) | lib(ertus) Bacchyus.

b) Sex. Iulio Se*x. f.* | Vol(tinia) Verino, *fla*|mini, aedili *mu*|nerario, pa*tri* | trium decur*io*|num cum fil*iis* | vivus sibi fecit.

Rouard, Rapport 1844 p. 39, cuius sunt supplementa. Quas duas inscriptiones ita in unam confuderunt Solery, Manuscr. p. 68 et Bouche, Chorogr. p. 197, ut inscriptio Iovi posita initium sit tituli Verini. Extare autem titulum Solery dicit 'ad muros urbis', Bouche 'en la maison du sieur de Guiran'. Quae cum Rouardi indicatione non convenire apparet.

369. Aquis Sextiis in museo.

D. M. | C. Verati C. fil(i), Pal(atina) Paterni, | equitis Rom(ani), flam(inis) Aug(usti), | C. Veratius Threption | filio piissimo. — Descripsi. Grut. 321, 11 (Scal.).

370. Aquis Sextiis.

L. Virgilio L. f. | Volt(inia), Gratiano | equit(i) R*omano.*
Mur. 870, 4 (Bim.).

371. Rep. Moguntiaci, ubi extat in museo.

M. Cornelius | M. f., Voltinia, | Optatus, Aquis | Sextis, miles leg(ionis) | XXII primigenia *('sic' Stein.)* | > [i. e. centuria] Q. Stati Proxumi, | aeroru(m) XL, test|amento f(ieri) iuss(it).
Steiner, Inscr. Dan. et Rheni n. 426.

372. Rep. Moguntiaci, ubi extat in museo.

M. Vinicius | . f., Vol(tinia) M|esor, Aquis | *Sextis*, mil(es) | *leg(ionis)* . . . . — Steiner l. l. n. 282.

373. Extat Neapoli in museo publico.

D. M. | M. Orbius, M. f., Aquis M . . . . | Sex(tis), optio mil(itum) peregr(inorum), mil(itavit) *an*|nis XVII, vix(it) an(nis) XXXV; re*stabant* | huic dies LI ut fieret > [i. e. centurio]. Fe*cerunt* | M. Val(erius) Dionysius patr*ono et* . | Suetonius Taurus fr*atri*, | her(edes). Faciend(um) cu*ravit M.* | Val(erius) Dionysius sib(i) | post(erisque).

Mommsen, Inscr. Neap. 6816; antea ediderat Marini, Atti p. 434; idem p. 474 sq. egit tam de nomine patriae ac cognomine viri transpositis quam de militibus peregrinis. De quibus cfr. etiam Marquardt, Handb. der röm. Alterthümer 3, 2, 389 sq. Supplementa versuum quattuor primorum sunt Mommseni.

374. Titulus, qui extat Aquis in museo, litteris neglegentissime exaratis.

D. M. | Val(erius) Marcellinus, | mil(es) coh(ortis) I pr(aeto-

riae) p(iae) vi(ndicis), | *centuria* T. Asclepi, stip(endiorum) XII, vixit | annis XXXI. | Aur(elius) Aemillanus, | commanipulus *(sic)* | et curator corporis. | *vivus* bene merenti *posuit.*

Descripsi. v. 3. PB est in lapide. 9. POPVT in lap.

375. Rep. Aquis Sextiis 1833 nunc extat ibi in museo.

C. I*ulio* | L. f. Volt(inia) | AvIto | T. Iulius | Natali*s*.

Descripsi. Rouard, Rapport 1844 p. 24.

376. Aquis Sextiis.

DIs Manibus. | L. Visellius L. f. | Pal(atina) Sedatus; | vixit annos XXII.

Spon, Misc. in Thes. ant. Rom. nov. suppl. t. IV. p. 885.

377. 'Trouvée sur le chemin de Toulon à un mille d'Aix au mois d'août 1804' *Millin;* nunc extat in museo.

M. Caelio Floro, *liberto*, | sevir(o) Aug*ustali*, | Caeliae Restitutae *matri*, | Verecundo fra*tri*, | Florae *sorori* | M. Caelius Clemens *pat*ronus. — Descripsi. Millin II. p. 211.

378. 'Au rapport de Gabr. Simeoni anciennement trouvée dans une cave souterraine près de l'église St. Antoine dans Arles et puis portée à Aix' *Bouche.*

P. Sextius Florus, | sevir Aug(ustalis) col(onia) Iul(ia) | Aquis et col(onia) Arel(ate) | Valeriae, Spuriae f(iliae), Lassinae (?), | uxori pientiss(imae) | Sex. Valerio Procu|lino et suis.

Grut. 469, 1. Bouche p. 54, uterque a Simeonio. — Ad hunc titulum cfr. quae sequuntur fragmenta Gruteriana.

a) 'Lugduni in ingressu templi divi Benedicti':

P. Sextius Florus | sevir Aug(ustalis).

Grut. 469, 2 (Simeoni).

b) 'Ibidem', sc. ubi tit. praec.:

col(onia) Iul(ia) Aquis et | col(onia) Iul(ia) P(aterna) Arel(ate). — Grut. 469, 3 (Simeoni).

379. Rep. Ostiae.

L. Antonio | Epitynchano | lictori dec(uriae) Curia|tiae, quae sacris | publicis apparet, | q(uin)q(uennali) collegi fabrum | tignuariorum Ostis, | seviro Aug(ustali) in provinc(ia) | Narbonensi, colonia | Aquis Sextis.

Grut. 356, 5 (sched. Ursin.), unde Or. 3217. De decuriis licto-

rum cfr. Henzen, Ind. ad Orell. p. 120. Mommsen in Rhein. Museum 1847 p. 1—57.

380 Aquis Sextlis.

T. Lollius T. l. | Masculus, sevir | Bodincomagensis, | positus propter viam, | ut dicant praeterientes: | Lolli ave.

Or. 4737. Zachariae, Excurs. litter. per Ital. p. 49. v. 3. Plin. h. n. 3, 20: *Metrodorus dicit, — Ligurum lingua amnem ipsum* (Padum) *Bodincum vocari, quod significet fundo carentem. Cui argumento adest oppidum iuxta Industria, vetusto nomine Bodincomagum, ubi praecipua altitudo incipit.* Sita erat Industria prope confluentem Duriae et Padi, ubi hodie est *Verrua.*

381. Rep. Aquis Sextiis a. 1840.

D. M. | C. Valci | Victorini, | sev*ir*(i) Aug(ustalis), | item | ex numero | coll(egii) centon(ariorum), | Iulia Marcina | coiugi | piissimo. — Rouard, Rapport 1844 p. 50.

382. Extat Aquis Sextiis in museo.

. . . . | *parietem* incrus*tavit* . . . . . . | . . . . o et horolog*io* . . . | . . . . . *ado*rnavit, aditum . . . . | . . . . . *pa-vi*ment(o) lum*inibusque* | *instruxit* . . . . .

Descripsi. Millin II. p. 203. v. 4. VIMENT · CVMII Millin.

383. Inscriptio tesserae gladiatoriae eburneae in tribus lateribus inscriptae, quam Millin vidit in aedibus dom. de St. Vincens; neque vero, ubi reperta sit, indicat.

a) Hermia b) sp(ectatus) a(nte) d(iem) XV Kal(endas) Dec(embres) c) Q. Fuf(io) P. Vat . . . . *cos.*

Millin II. p. 236. Consules incerti sunt.

384. Titulus qui extat Aquis Sextiis, sed haud dubie ex aliqua Alpium Maritimarum civitate provenit.

L. Allius | Veri f(ilius) Pap(iria) | Verinus, dec(urio), | II vir, flam(en) Aug(usti) | provinc(iae) Alp(ium) Mar(itimarum) sibi et | Fl(aviae), Valentini fil(iae), Cassiae | uxori piissimae def(unctae), Vlattiae M. fil(iae) | Marcellae socrui | optumae v(ivae), | L. Allio Avito f(ilio), dec(urioni), v(ivo), | L. Allio Flaviano f(ilio) v(ivo), | Alliae Avitae f(iliae) v(ivae). — Descripsi. Millin II. p. 205.

XIII. FORVM VOCONI.

Matavo *(Cabasse, dép. du Var, arrond. Brignoles.)*

385. 'Trouvé sur une pierre employée à la bâtisse de l'église de Cabasse; copié sur les lieux par M. Gérard, médecin de Cotignac.'

Pro salute C. Caesaris, | Germanici f(ili), Germanici | pagus Matavo v(oto) s(uscepto).

Papon, Hist. de Provence t. I. p. 37. 3. MATAV. C. V. S *Papon*.

XIV. REII APOLLINARES.

(Riez, dép. des Basses-Alpes.)

386. 'Près de la ville de Riez dans la cour d'une maison qui appartient à M. de Campagne' *Millin*.

*A*uctore *i*mp(eratore) Caesare Trai*ano* | Hadriano Aug(usto) *p(atre)* p(atriae) . . | . . . vias silice ster(nendas) *c(uravit)* | . . . . . .

Millin III. p. 52. v. 4. SIIICE in lapide est.

387. Inscriptio, quae legitur in muro aedificii ex diversis veterum aedium fragmentis extructi, quod vulgo dicitur Pantheon, 'gravée sur une pierre carrée de m. 0, 90 de haut sur m. 0, 62 de large'. *Henry*.

Numinibus | Augustorum | C. V. R. A.

Bouche, Chorogr. p. 226. Millin III. p. 47. Henry, Antiquites des Basses-Alpes p. 201 sq., cuius apographum dedi. 3. CVRA Mill. omissis punctis, quae esse in lapide Henry diserte dicit. Posset cogitari de lectione: ci(vitas) R(eiorum) A(pollinarium), nisi parum conveniret hoc cum lectione tradita.

388. Reiis Apollinaribus.

. . . . . . A . . . . SI . . . . | tribuno mil(itum) leg(ionis) X gemin(ae), | item leg(ionis) XIII gemin(ae), | urbana plebes patrono.

Mur. 874, 1 (Bimard).

389. 'Dans l'église de St. Martin' (vici, siti proxime oppidum Riez) *Bouche*.

A. Iulius Saturninus, | signifer leg(ionis) X | gem(inae) p(iae) f(idelis), IIII vir civ(itatis) *R(eiorum)* | A(pollinarium), vivus fecit | sibi et suis.

Bouche, Chorogr. p. 231 (Solery). 3. CI possit etiam esse c(oloniae) I(uliae).

390. 'À Riez dans la rue de Paris, fragment d'une pierre qui a été sciée pour être employée dans des constructions' *Millin*.

Dis | *Manibus et memoriae* . . . . | Venni . . . . | et Iulii . . . . *IIII vir(i)* | ter, *sacerdotis* . . . . *in quo* | honore *defunctus est* . . . . . | II sacer*dot* . . . . |nio Iulio . . . . . . | leg . . . . — Millin III. p. 49.

391. Reiis Apollinaribus.

Iuliae Daphnae | D. Iul(ius) Epaphro|ditus, sevir | Aug(ustalis), | uxori optimae. — Bouche p. 226. Murat. 708, 5 (ex Donio).

392. Reiis Apollinaribus.

Matri | Deum ob | sacrum | v(otum) s(olvit) | M. Iul(ius), | sevir Aug(ustalis) | c(oloniae) I(uliae) A(ugustae) A(pollinarium). | L(ocus) d(atus) d(ecreto) d(ecurionum).

Murat. 116, 2 (Mazauges). Papon I. p. 60.

393. Inscriptio quae legitur in puteali ex antiquis lapidibus constructo.

Matri Deum | magnaeque Ideae *(sic Mur.)* | L. Decimius Pacatus | et Coelia Secundina | eius ob sacrum | tauropo*lium* f(ecerunt).

Murat. 31, 5 (ex Donio). Millin III. p. 48. 2. IDAEAE Mill. 3. DECIMVS Mill. 6. TAVRORVM Mill. F deest apud Murat.

394. 'Anciennement dans le Panthéon au rapport de Simon Bartel en son histoire ecclésiastique de cette ville' *Bouche*.

Aesculapio sac(rum) M. Caecus | Isidis aedit(uus) p(osuit).

Bouche, Chorogr. p. 63.

395. Reiis 'ad quattuor columnas' *Grut.*; postea in aedibus Peirescii fuisse dicit Henry; hodie ubi sit ignotum est.

Deo Aesculapio | Val(erii) Symphorus et Protis | signum Somni aereum, | torquem aureum ex dra|cunculis duobus

p(ondo) S7 · ⁖, en|chiridium argenti p(ondo) $\frac{cc}{\supset\supset}$ s | anabolium ob insignem | circa se numinis eius effectum | v(otum) s(olverunt) l(ibentes) *m(erito)*.

Grut. 70, 8 (a Scal. et Puteano), cuius secutus sum lectionem. Mur. 141, 1. Henry p. 211 (ex Gassendio). Orelli 1572. 5. P · C · L Henr. 6. PCCCL Henr., quos numeros absurdos esse nemo non videt. Equidem suspicor esse in lapide: v. 5. P · S ≈≋ = $^{11}/_{12}$. v. 6. P · ≈≋Ƹ = $^{11}/_{24}$.

396. 'Au quartier dit *le Pas-de la Val* ou retira trois morceaux d'albâtre qui faisaient partie d'une pierre tumulaire cassée depuis longtemps et dont les autres fragments étaient perdus.' *Henry*. Eadem fragmenta Millin vidit apud incolam vici *Aups* proxime Riez et reperta dicit in vico vicino Puymoisson.

a)	M	*b*)	*c*)
OLTINI		FESTI	L COI
		MTI	AVGV

a et *b* lege: *D.* M . . . . Voltinia, Festi.

Millin III. p. 42. Henry p. 179, qui minus accurate edidit.

397. 'Dans l'église de St. Martin' *Bouche*. cfr. n. 389.

Iulia | Hedoae *(sic B.)* | pro sal(ute) | Vindemiali | v(otum) s(olvit) l(ibens) m(erito). — Bouche p. 231 (Solery).

398. In vico *Moustiers* prope Riez.

Veratio, Moec|timari f(ilio), et | Gratae uxori Vera | f(ilia) parentibus t(itulum) f(aciendum) c(uravit). — Henry p. 171.

XV. CABELLIO.

(Cavaillon, dép. de Vaucluse.)

399. Cabellione.

A. Pompeius Sex. f. Fronto | iter(um), Sex. Luccius C. f. Afric|anus, L. L . . . . f. Labeo, | C. Lareius C. f. Fronto IIII vir(i) f(aciendum) c(uraverunt).

Murat. 481, 7 (Bim.), unde Orelli 4028.

400. Rep. a. 1804 Moguntiaci, ubi extat in museo.

C. Satrius C. f., | Vol(tinia), Cabalio|ne mil(es) leg(ionis) XVI, | ann(orum) XLV, stip(endiorum) | XX, h(ic) s(itus) e(st). *He*|redes ex test|amento p(osuerunt).

Steiner, Inscr. Danub. et Rheni n. 486.

401. Inscriptio tesserae aeneae, quam a Calvetio Aveniensi donatam nunc possidet bibliotheca Parisiensis. 'C'est une espèce de tessère ou de médaille de bronze, comme en portent aujourd'hui à leur boutonnière les charbonniers et les colporteurs de Paris; on y voit d'un côté une outre et de l'autre cette inscription.' *Millin.*

Colleg(ium) utri(clariorum) Cab(elliensium). | L. Valer(ius) Succes(sus.) — Millin, Voy. IV. 89, unde Or. 4119.

XVI. AVENIO.

(*Avignon, dép. de Vaucluse.*)

Extat Avenione museum, quod dicitur *le musée Calvet*, institutum sub finem saeculi proximi a Calvetio, medico Aveniensi, et hodie quoque insigne inter Gallica musea. At in hac collectione qui congesti sunt lapides inscripti, eorum minima pars pertinet ad ipsam Avenionem, sed ex regione vicina quaecunque reperiuntur antiquitatis monumenta, in illud museum solent transferri; itaque fit, ut monumenta urbis *Vaison* prope omnia hic conserventur. Cum autem catalogus extet diligentissime confectus, qui notat ubi quaeque reperta sint, incommoda illa, quae alias habet ratio titulos ex iis oppidis, ubi reperta sunt, in alia transferendi, Avenione evitantur. Hunc catalogum secutus sua cuique oppido monumenta restitui et hoc loco ea tantum proposui, quae aut ad ipsam urbem Avenionem pertinent aut incertae originis in museo Calvetiano asservantur.

402. Lapis extractus Avenione ex ecclesia cathedrali, ubi pro gradu scalae adhibitus erat; nunc extat in museo.

. . . . | *flaminicae* | Iuliae Drusillae, | German(ici) Caesaris) f(iliae), | T*i*berius parenti *piissimae* | honore delat*o*.

Descripsi. Titulum non incipere a vocabulo *Iuliae*, sed fragmentum esse, lapidis quidem forma non indicatur, ut qui ad usum scalae diligenter sit recisus, sed ex reliquis versibus apparet; neque enim potest agi de Tiberio, filio Iuliae Drusillae, sed agitur de filio sacerdotis Drusillae. Iulia Drusilla soror illa est Caligulae, de qua dicit Suet. Calig. 24: *Ex his* (sororibus) *Drusillam — in modum iustae uxoris propalam habuit: — eadem defuncta iustitium indixit — nec unquam postea quantiscunque de rebus ne pro contione quidem populi aut apud milites nisi per numen Drusillae deieravit.* Dion. 59, 11: *καί οἱ* (sc. *τῇ Δρουσίλλῃ*) *τάτε ἄλλα ὅσα τῇ τε Λιουΐᾳ ἐδέδοτο ἐψηφίσθη καὶ ἵνα ἀθανατισθῇ — τότε οὖν Πανθεά τε ὠνομάζετο καὶ τιμῶν δαιμονίων ἐν πάσαις ταῖς πόλεσιν ἠξιοῦτο.*

403. Rep. Avenione a. 1844 in summa rupe prope ecclesiam cathedralem, quae vocatur Notre-Dame-des-Doms. Extat in museo Aveniensi.

T. Carfsius T. f. | pr(aetor) Volc(ano) ar(am) dat.

Descripsi. Revue archéol. 1844 p. 478 sq. Cavedoni in Bull. d. Inst. arch. 1860 p. 208. v. 2. Rev. arch.: *pr(aetor) Volcar(um)*. Cavedoni: *pr(aetor) Volc(ano) Ar* ...., litteras *Ar* pro initio cognominis Volcani habens. Quam ipse recepi lectionem, eam Mommsen litteris mecum communicavit monens neque cogitari posse de praetore Volcarum i. e. gentis, non oppidi, et simplicius titulum explicari collato hoc Gruteriano (1014, 4) reperto Albae Ruffae prope Avenionem:

Q. Terent|ius | Volkano | aram | l(ibens) m(erito).

404. Rep. in vico *Graveson, dép. des Bouches du Rhône*, proxime Avenionem; itaque ad Avenionem hunc titulum referre non dubito. Extat nunc in museo Calvetiano. Ornatus est lapis fascium et sellae curulis imaginibus.

C. OTacilio C. f. Volt(inia) | Oppiano IIIIvir(o).

Descripsi.

405. Fragmentum quod vidi Avenione in aula musei; dixerunt repertum esse intra ipsam urbem.

.... A. f. Vol(tinia) | ATia Sex. f.,
...... us | Postuma.

Descripsi.

406. In museo Aveniensi; origo non est indicata, unde concludo, Avenione hunc tit. esse repertum.

D. Valer(io) | Valenti|no Tess(ia) | Quinta, | centon(ario) | ex testa|mento | eius. — Descripsi. 4. OVINTA in lapide est.

XVII. ARAVSIO.

(Orange, dép. de Vaucluse.)

407. Arausione 'chez M. Nogent, avoué' *Millin.*

Num(ini) Aug(usti). | Matri Deum | pro salut(e) imp(eratoris) | M. Aur(eli) Commo|di Antonini pii | felicis | taurobolium | fecerunt | Sex. Publicius | *et* . . . . . anus.

Maff., Gall. Ant. p. 50, unde Murat. 130, 2. Millin II. p. 154. 7. tauropolium *Maff.*

408. Arausione. Gasparino auctore (hist. d'Orange p. 130) nunc videtur deperdita.

Constantino pio nobili | Caesari, Constantini pii filio.

Lapise, Hist. d'Orange p. 6. Bouche, Hist. de Prov. p. 543. Mur. 259, 8 (Bim.). 2. Divi Constantini *Bim.*, at recte omisit *Divi* Murat., quoniam post Constantini patris mortem iam non Caesar, sed Augustus erat Constantinus II.

409. Inscriptio theatri Arausiensis, bis insculpta in facie perpendiculari secundi gradus, et a dextra et a sinistra parte introitus:

Eq(uitum) g(radus) III [i. e. tres].

Descripsi. E. Hübner in Annal. d. Inst. 1859 p. 129 ex Carestie, Monuments etc. tab. XXXVII. fig. 11. Lectionem ab Hübnero recepi. Idem eodem loco ex Carestie tab. XXXII. fig. 4 alias attulit inscriptiones, quas et ipse vidi et descripsi Arausione, at cum neque possint commode repraesentari neque explicari, hic praetermitto.

410. À la campagne de M. Dumas à un quart de lieue de la ville d'Orange' *Millin.*

T. Licinius | Maxsumus | aedilis | d(e) p(ecunia) s(ua) f(ecit).

Murat. 714, 6 (Bim.). Millin, Voy. II. 157. Gasparin, Hist. d'Orange p. 128. v. 2. MAXIMVS Mur. et Gasp. — vers. 4 deest apud Millinum.

411. Rep. Arausione nunc extat in museo Aveniensi.

M. Arruntio M. l. | Verecundo se|vir(o), Pupae, CIlae f(iliae), | uxorI, | Fulviae, Pupae f(iliae), | SecundInae | heredes ex testam(ento). — Descripsi.

412. 'Vesontione *(Besançon)* in pomoerio Boreali iuxta viam, ubi propugnaculum a St. Claudio denominatum extrui coeptum, a. 1633 erutus'. *Reinesius.*

Geminia *Titulla* | Arausiensis, mater | sacrorum, hic | adquiescit. | D. Iul(ius). P. *f.* Augtus con(iugi) pi|issimae et Aurae | Severi, qui m(e) pro f(ilio) | obser(vat).

Reines., Synt. inscr. p. 362 ex Chifflet, Geminiae matris sacr. titulus, Antverp. 1634, a quo pendent etiam qui reliqui ediderunt Mur. 183, 1. Orelli 2313. v. 1. II·IYLLA Chiffl. Titulla *rest. Reines.* 5. PL AVGTVS Chiffl. v. 7 sq. quae me pro f(ilia) obser(vavit) *Orelli*; quod etsi commodius videtur, tamen non recepi, quia ne ea quidem, quae tradita est lectio, sensu caret.

Praeterea duos titulos, qui commemorant milites ortos ex COL. CL. ARA, ad Arausionem refert Kellermann, Vig. Rom. 219, 5. 293, 3, atque ab imperatore Claudio Arausionem coloniam deductam esse inde concludit. At conditam Arausionem a Claudio non esse aliunde satis constat; titulos autem illos, cum prius ad coloniam Arabrigam retulisset Marini Atti dei frat. Arv. p. 475. Not. 37, iam Arae Agrippinensi Belgicae vindicat Grotefend, imp. Rom. trib. divisum p. 123 sq.

XVIII. VALENTIA.

(*Valence, dép. de la Drôme.*)

413. 'Valentiae Cavarum ad hospitium columbae' *Grut.*

D(is) *ascia* M(anibus) | et | memoriae aeter(nae) | Petroni Casti vet(erani), | missi honesta | missione ex leg(ione) | prim(a) Min(ervia), ex optio|ne, proc(uratoris) ducenar(i) | et Vitaliniae Florae | coniugi eius; | vivi sibi ponend(um) | curaver(unt) et sub | ascia dedicave|runt.

Grut. 556, 6 (Scal.). Long, Mém. présentés à l'Acad. des Inscr. II. sér. t. 2 p. 349. v. 1. AETERNAE Long. 9. VITALINAE Long.

414. 'Trouvé dans la voie Romaine, qui conduit de la citadelle de Valence à Tain, sur la rive droite de l'Isère'. *Millin*, qui ipse vidit Valentiae in horto privato.

MVII | M(atri) D(eum) M(agnae) I(daeae) taurobol*ium* | dendrophor(i) Val*entini* | sua p(ecunia) f(ecerunt).

Millin, Voy. II. p. 89. v. 1. male descriptus videtur; fortasse dies ibi indicatus erat, quo factum est taurobolium.

XIX. CARPENTORACTE.

(*Carpentras, dép. de Vaucluse.*)

415. Arausione olim asservata nunc extat in museo Aveniensi. Inscriptio est basis sarcophagi longae m. 1, 92; litterae altae sunt m. 0, 06. Quae restat pars dimidia est totius monumenti.

D(*is*) M(anibus) | . . . . col(oniae) Iul(iae) Mem(inorum), hered(es) ex testamento.

Descripsi. Maff., Gall. Ant. p. 61. Millin, Voy. II. p. 155.

416. Carpentoracte in bibliotheca.

C. Velelus | FrouTo | fouTem lon(gum) | p(edes) XXX lat(um) p(edes) XV | et viam ad font(em) | lat(am) p(edes) IIII | populo | d(e) s(uo) d(edit). — Millin IV. p. 120.

417. Carpentoracte in bibliotheca.

M. Hirtuleio | M. f. Volt(inia) | Albano, militi | cohortis praet(oriae). — Descripsi. Mur. 819, 5 (Bim.). Millin IV. p. 123.

418. Tabula marmorea rep. Carpentoracte anno 1848; nunc extat ibi in bibliotheca.

Genió | cólóniae | seviri. | L. Iulius Ianuarius, | sevir Aug(ustalis), et Flavia | in hoc opus seviris | HS n(ummum) IIII mil(ia) | d(e) s(ua) p(ecunia) d(ederunt). — Descripsi.

419. Extat Carpentoracte in bibliotheca.

. . . . | *sevir*(o) Aug(ustali) corp(orato) *c*(*olonia*) *I*(*ulia*) *M*(*eminorum*), *qui in arcam* | *sevirorum* HS XXX n(ummum) dedit *sub hac cond*(*icione*), | *ut ex* usuris XV. k(alendas) Decemb(res) *omnibus* | *annis* sportulae vescentib(us) *seviris* |

*divi*derentur; qui signo . . . . . | *basilic*am ˙ exorn*avit* . . . . . |
. . . .

Descripsi. Millin IV. p. 119, sed omissis versu sexto et litteris extremis versuum praecedentium. v. 4 summa sportulae dividendae, v. 5 nomen Dei deest, cui signum est erectum.

420. Carpentoracte in bibliotheca.

*Gen*io . . . . . eli, Phoeb(i) *l(iberti)*, | *Fel*icis, fabr(i) corp(orati) Apt(ensis), | collég(ae). — Descripsi.

XX. APTA IVLIA.

Apt, dép. de Vaucluse.

---

421. In crypta ecclesiae cathedralis Aptensium, quae dedicata est S. S. Annae et Auspicio. 'L'autel de cette crypte est soutenu par une pierre en forme d'autel avec une inscription ainsi conçue':

T. Camullio | T. fil(io) Volt(inia) Aemi|liano, flamini, | IIII viro col(oniae) Iul(iae) Apt(ae) | ordo A*pte*nsium | *pec(unia) pub(lica) pon(endum) dec(revit)*. | *Is* honore con|*tentus* impendium | *remisit*.

Millin III. p. 89. Minus bene descriptam habet Prosper Mérimée, Notes d'un voy. p. 205. Bouche p. 221.

422. Aptae.

L. Allio Severo C. Al|lius Celer patruo | testament(o) poni iussit, | item statuas duas *alias* | patr*uo sua pec(unia) pos(uit;)* quar(um) | statuar(um) dedic(atione) hered(es) | ex form(ula) testament(i) | decur(ionibus) sing(ulis) ✕ [denarios] LXXII | deder(unt).

Murat. 1433, 4 (Bim.).

423. Aptae in ecclesia cathedrali.

C. Allio C. f. | Volt(inia) Celeri, | IIII vir(o), flam(ini), augur(i) col(oniae) I(uliae) | Apt(ae), ex V dec(uriis) | Vordenses pa*gani* | *patrono.*

Spon, Misc. p. 164, unde Or. 197. Prosp. Mérimée p. 205, cuius secutus sum exemplar. v. 6. Pagus Vordensium hodie est vicus *Gordes.*

424. Rep. prope Aptam nunc asservatur in museo Aveniensi.

. . . . . miae l(iberto) | . . . . cato, se|*viro Aug(ustali)*, avo. — Descripsi.

425. Aptae.

L. Veratio | Encolpo | sexviro | Aug(ustali) | An*nia* | f(ilio) p(iissimo) f(ecit).

Murat. 755, 4 (Bim.). v. 5 sq. possit etiam legi: an(norum) . . | f(ilius) p(atri) f(ecit).

426. Rep. in vico *Cadenet* prope Aptam.

Dexsiviae | v(otum) s(olvit) l(ibens) m(erito) | ACOM·SVC *(sic Bouche)*. — Bouche, Chorogr. p. 220 (Solery).

427. 'Trouvée depuis environ 30 ans au lieu de Torrètes, près d'Apt; je l'ay veue autrefois dans le cabinet du curieux J. J. Provençal à Apt.' *Bouche.*

Minerv|a*e Iuli*|a, Anca|lonis | Musae.

Bouche, Chorogr. p. 28. v. 2. AIHVLI Bouche.

Cucurron, dép. de Vaucluse, vicus situs inter Aptam et Aquas Sextias. 'Solery dit, qu'au terroir de Cucurron l'on a veu de son temps les deux suivantes inscriptions.' *Bouche.*

428. Sex. *Iul(io)* Sex. f. Volt*in(ia)* | TERTIAE TERTIO CELIN | L. Iul(ius) Sex. f. Vol(tinia) | Optatus sibi et suis.

Bouche p. 220. 1. SEX·FIL·SEX·F·VOL·M *Bouche*. vers. secundus nisi inspecto lapide corrigi non potest.

429. T. Aemilius . . . . . . | C. Aemilius sevir(i) suis.

Bouche ibid. Hic quoque titulus male descriptus videtur; mutilum esse v. 1 ex coniectura indicavi.

AGER VOCONTIORVM.

Quae agri Vocontiorum loca contributa inscriptiones suppeditant Mons Seleucus, Segustero, Vapincum, pagus Epotius, ea omnia adscripsi Luco Augusto, cui propiora sunt quam Vasioni vel Deae. Vasiensibus autem titulis adieci duos, qui reperti sunt in ea regione quam in descriptione territoriorum Tricastinis attribui; at cum neque prorsus certa sit ea attributio neque maioris momenti sint hae inscriptiones, separatum tractare Tricastinorum territorium supersedi.

XXI. VASIO.

(*Vaison, département de Vaucluse.*)

Monumentorum Vasiensium maximam partem translatam esse Avenionem, supra exposui, ubi egi de museo Aveniensi.

430. Vasione rep. Millini aetate asservata est in castello quod dicitur *château de Vérone* prope Vasionem; nunc extat in museo Aveniensi. Lapis longus est m. 1, 70, altus m. 0, 30; litterae altae m. 0,12.

Divae Aug(ustae) prop(ria) *pecunia* . . . .

Descripsi. Diva Augusta est Livia, uxor Augusti. Quod autem Millinum auctorem supra commemoravi, hoc modo intellegas: affert Millin, Voy. IV. p. 154 hunc titulum: ELLICAE FIAMINICAE *(sic)* | DIVAE AVGVSTAE PROV — adiciens: 'la première ligne de cette inscription est sur un puits de la campagne de M. Boulard, l'autre chez M. de Vérone', neque vero indicat, qua ratione ductus duo illa fragmenta diversis locis collocata ad unum referat titulum. Iam vero quam secundae lineae loco Millin dat inscriptionem, eandem esse atque illam nostram, quae nunc extat in museo Aveniensi, inde apparet, quod haec in catalogo musei ex castello *de Vérone* allata esse dicitur. Ex Millino autem, qui male videtur descripsisse, desumptam edidit E. Breton in Mém. des Ant. de Fr. t. XVI. p. 135 et Ville de Vaison p. 27; a Bretonio rursus desumpsit Henzen n. 6003.

431. Vasione.

Imp(eratori) Caes(ari) | P. Lic(inio) Gallien(o) | invicto p(io) f(elici) | Aug(usto) | Vasien|ses.

Spon, Misc. p. 202. Murat. 254, 2 = 1091, 2 (Bim.). Or. 1006.

432. Vasione rep. Millini aetate extitit in horto domini de St. Véran Vasiensis.

T. Marciano pr(aetori) Vas(iensium).

Millin, Voy. IV. p. 152. Fragmentum potius videtur esse, quam inscriptio integra. Idem Millin p. 151 sq. Marcianorum Vasiensium alias duas inscriptiones affert hasce: a) *D. M.* | *Marcellinae* | *Materni f(iliae)*, *filius* | *Marcianus* | *matri optumae* b) *C. Marciano* | *Cae(lia?) Pitinias*(?) *colibert(o)*.

433. Vasione rep. nunc extat in museo Aveniensi.

Vasienses Voc(ontii) | C. Sappió C. filió, Volt(inia) | Flávó, | práefecto Iúliénsium, tribún(o) | mílitum leg(ionis) XXI Rapácis,

práef(ecto) | áláe Thrácum Hérculániae, práef(ecto) | rípáe flúminis Euphrátis, | qui HS |XII| [i. e. duodecies centena milia] réipublicáe Iúliénsium, | quod ad HS |XXXX| [i. e. quadragies centena milia] íssúris perdú|cerétur, testamentó reliquit, idem | HS L ad porticum anté thermás | marmoribus órnandam légávit.

Descripsi. Grut. 1090, 21 (Sirmond). Breton, in Mém. des Ant. de Fr. t. XVI. p. 142, unde Henzen 6943. vv. 4. 8. *Iulienses* Henzen Foroiulienses esse explicat. Equidem ipsos Vasienses esse malim, Iulienses dictos, quod Vasio appellabatur Iulia, sicut Regini Iulienses dicuntur (Or.-Henz. 3838. 5188. 7017), quod Regium appellabatur Iulium. Si respublica Iuliensium esset Forum Iulii, vix explicares, cur Vasienses Sappium honorarent, quod erga Foroiulienses tantam praestitisset liberalitatem. *Praefecturam Iuliensium* autem suspicor non municipalem esse honorem, sed munus militare, praefecturam scil. cohortis Vocontiorum, delectae ex Vasiensibus, de qua cfr. quae exposuimus in descriptione institutorum provinciae. Praefecturam ripae fluminis Euphratis Henzen confert cum praefectura ripae Rheni, quae aetate Vitellii commemoratur Tac. Ann. 4, 55; praefectum ripae Tibissi Danubii habes Or. 3234.

434. Extat in museo Aveniensi.

Catiae T. fil(iae) Servatae, flam(inicae) | Iul(ia) Aug(usta) Vas(ione) Voc(ontiorum) Q. Secundio | Zmaragdo, sevir(o) Aug(ustali), marito | eius T. Catius Severus frater et h(eres) f(aciendum) c(uravit) | ex testamento.

Descripsi. Breton in Mém. des Antiq. de Fr. XVI. p. 134, unde Henzen n. 5222.

435. Vasione rep. nunc extat in museo Aveniensi.

Iuliae . . . . ae fl(aminicae) Voc(ontiorum) item fl(aminicae) . . . | *I*ulii Politicus et H*ermes* | *patronae opti*mae.

Descripsi. Mém. des Ant. de Fr. t. XVI. p. 138. 1. RE Mém., neque vero distingui potest ante E certa littera.

436. 'Découverte près de la chapelle de St. Quenin' *Long.* Nunc extat in museo.

Maciae Seve | Severine m|emoriae aet|erne Aureli|us Valerian|us se vivo co|iugi et sebe, *(sic)* | civis Ververg|elleses, Maci Se|verini soror, t|relumi legion|is secundes It|alices.

Descripsi. Prosper Mérimée, Notes d'un voy. p. 150. Mém. des Ant. de Fr. t. XVI. p. 133. Long, Mém. présentés II. 2 p. 477. Pro littera E per totum fere titulum forma usurpatur II. v. 1. SIIVF = Sev(eri nae) f(iliae) Mér., at est in lapide SIIVE errore lapidarii, qui initium no

minis sequentis bis posuit. — Universi tituli interpretationem Lénormant apud Prosp. Mérim. l. l. hanc dedit: 'cette inscription est de deux époques distinctes: la première partie indique, que le tombeau a été élevé à Macia Severina par Aurelius Valerianus; puis le père ou le frère de cette Macia Severina Macius Severinus a été inhumé dans le même tombeau par sa soeur qui aurait ajouté la seconde partie de l'inscription.' Neque vero in lapide quidquam inveneris, quod partem inscriptionis posteriori tempore adiectam indicet, atque simplicius de uno duorum coniugum titulo cogitaveris. Postquam enim primum nomina indicavit et coniugis et suum Aurelius, accuratiorem personarum indicationem adicit se profitens ut civem Ververgellesem, coniugem ut sororem Macii cuiusdam Severini, qui tribunus militum fuerit legionis II. Italicae. — Ververgelleses nusquam alibi inveni; fortasse est civis Vercellensis. Legio II. Italica instituta est ab imp. M. Aurelio. cfr. Borghesi in Ann. d. Inst. arch. 1839 p. 179.

437. Vasione.

T. Blaesio T. filio, Vol(tinia), | Cupito | C. Blaesio T. filio, Vol(tinia), | Bellico Erato, | Litucci fil(ia) mater.

Grut. 1121, 4 (Sirmond). 4. EPATO Grut.

438. Vasione.

Q. Passerio Ter|tio, sevir(o) Aug(ustali) | Q. Passerius Va-|lentinus et Q. | Passerius Fortu|natus liberti | patrono optimo | ex testamento.

Spon, Misc. p. 202. Mém. des Ant. de Fr. t. XVI. p. 128.

439. Vasione.

Genio | collegi cen|tonarior(um) | Vas(ione) *corp*(oratorum) s(acrum).

Mur. 76, 11 (Bim.). Mém. des Ant. de Fr. t. XVI. p. 123 (ex Papon). Long, Mém. prés. p. 477. v. 4. VAS. R. S Pap. R. P. R Mur., unde restituendum conieci, quod supra posui.

440. Vasione rep. nunc est in biblioth. urbis Carpentras.

. . . arca . . . | . . . . . AD BITVS . . . . . | . . . . nadium . . . | *colleg.* fabrum . . . | *l*ong. p(edes) V . . . .

Descripsi. Recepi, quod collegii fabrum fit mentio.

441. Vasione rep. nunc extat in museo Aveniensi.

D. Sallustio Ac|cepto opifices | lapidari | ob sepulturam | eius. — Descripsi. Mur. 975, 9 (Bim.). Millin IV. p. 144. Or. 4028.

442. Vasione.

Marti | et Vasioni | Tacitus.

Murat. 110, 6 (Bim.). Henzen 5919.

443. Vasione.

Nymphis Aug(ustis) | Percernibus | T. Gengetius | Dionysius | ex voto.

Papon, Hist. de Prov. I. p. 99, unde Breton in Mém. des Ant. de Fr. t. XVI. p. 123, a quo Henzen 5761.

444. 'Monument trouvé vers 1810 sur l'emplacement de l'antique Vasio Vocontiorum et déposé aujourd'hui dans le vestibule du château de la Villasse près Vaison. C'est un autel en pierre calcaire de 1^{m}, 07 de hauteur et de 0^{m}, 45 de largeur; sur une face est gravée l'inscription grecque; sur la face opposée l'inscription latine.' *Renier.*

I.

Εὐθυντῆρι τύχης | Βήλῳ | Σέξστος θέτο βω|μόν |
Τῶν ἐν Ἀπαμείᾳ | μνησάμενος | λογίων.

II.

Belus, | fortunae rector | Menisque magis|ter |
Ara gaudebit, | quam dedit | et voluit.

Renier, Mélanges d'épigraphie p. 129. 130, ex apographo, quod ei procuravit Deloye, Aveniensis. Henzen 5862. — Renier autem non solum edidit hoc monumentum, sed etiam ingeniosissimo illustravit commentario (l. l. p. 129—146), cuius argumentum hic breviter repeto: Cum qui confecit apographum, titulum latinum valde corruptum esse testetur, Renier verba: *quam dedit et voluit*, quae obscuriora esse iudicat, mutari vult in: *quam dedi et volui*, ita ut nihil aliud iis exprimatur quam formula usitatissima: votum solvi libens merito; ceterum ipse notat Renier difficultatem metricam, quae nascatur ex hac mutatione. Deinde conferens Dion. 78, 8: *Ὁ Ζεὺς ὁ Βῆλος ὀνομαζόμενος καὶ ἐν τῇ Ἀπαμείᾳ τῆς Συρίας τιμώμενος, τῷ Σεβήρῳ ἰδιωτεύοντι ἔτι τὰ ἔπη ταῦτα εἰρήκει·*

Ὄμματα καὶ κεφαλὴν ἴκελος Διὶ τερπικεραύνῳ,
Ἄρεϊ δὲ ζώνην, στέρνον δὲ Ποσειδάωνι

atque notans, prope Lugdunum sive haud longe ab agro Vocontiorum, ubi repertum est monumentum, Albinum a Septimio Severo esse devictum ideoque tum oracula Apameae edita vera evenisse, ad hanc Severi victoriam refert monumentum nostrum. Denique ne eum quidem, qui posuit, ignotum aliquem hominem fuisse vult, immo Sextum illum in inscriptione graeca nominatum censet esse Sextum Varium Marcellum, maritum Iuliae Soaemiadis, patrem Imperatoris Elagabali, cuius titulus

et ipse graece latineque scriptus extat Romae in museo Vaticano, editus in Corp. Inscr. Gr. n. 6627. Orell. 946. — Verum libenter admirans huius argumenti sagacitatem assentiri tamen viro clarissimo non possum. Primum enim non concedo, esse quod mutes lectionem vv. 6 sq. tituli latini, quoniam ut legatur: *quam dedit et voluit* et metrica ratio postulat et sensus permittit. Nam *dedit* aram Belus, compotem voti nescio cuius faciens Sextum atque ita dans sive efficiens, ut esset cur poneretur ara; *voluisse* autem aram Deum facile intelleget qui meminit formulae illius frequentissimae: iussu sive imperio dei alicuius. Deinde auctorem monumenti esse Sextum Varium Marcellum, fateor mihi quidem non probari; cum enim probabile sit, Marcellum illum iam tempore belli contra Albinum gesti insigniorem ab Severo accepisse dignitatem, haud dubie si in honorem imperatoris posuisset monumentum, personam suam alio modo indicasset quam solo praenomine. Si vero ignobilis tum etiam nominis fuit, quid est, quod huic Sexto potius quam alii cuipiam homini ignoto eiusdem praenominis aram illam attribuamus? — Denique de cognomine Beli, *Menis Magistri* cfr. Renier l. l. p. 136, ubi notat, Menis Magistrum idem esse ac Menotyrannum, quem habes Orelli 1900. 1901. 2264. 2353.

445. Inscriptio celtica graecis litteris scripta. Anno 1840 Vasione rep. nunc extat Avenione in museo. Litterae neglegenter in lapide exaratae sunt; ipse lapis altus est m. 0, 25, latus 0, 31.

ϹЄΓΟΜΑΡΟϹ | ΟΥΙΛΛΟΝЄΟϹ | ΤΟΟΥΤΙΟΥϹ | ΝΑΜΑΥϹΑΤΙϹ | ЄΙѠΡΟΥΒΗΛΗ | ϹΑΜΙϹΟϹΙΝ | ΝЄΜΗΤΟΝ.

Descripsi. De la Saussaye, Numism. de la Gaule Narb. p. 163. Mommsen, Röm. Geschichte 3, p. 211 not. (2. Aufl.). Agi videtur de Segomaro (v. 1.) Nemausensi (4.), cuius patrem et cognomen indicant vv. 2. et 3., et qui, siquidem *νεμητον* significat *sacrum*, Deo nescio cui videtur aliquid dedicare. Singula autem interpretari hucusque, quod sciam, nemini contigit. 4. ΝΑΜΑΥϹΑΤΙϹ̆ Sauss. *ναμαυσατιο* Momms. 6. *σαμισοειν* Momms.

446. 'Au terrain de Mirebel (sive Mirabel) près de la chapelle de Notre-Dame de Beaulieu'. *Millin.* Vicus Mirabel situs est inter oppida Vaison et Nyons.

Iovi Axuri | Cadienses | v(otum) s(olverunt) l(ibentes) m(erito).

Millin, Voy. IV. p. 153, cuius est, quam v. 1 dedi lectionem. Iovem Axurem Millin dicit esse Iovem imberbem, Deum Gallicum. Cadiensium pagum in vico *Caderousse* collocat Breton in Mém. des Ant. t. XVI. p. 122.

447. 'Sur un pilastre de l'église de Saint-Galle, canton du Buis (dép. de la Drôme, arrond. Nyons); inscription, dont les lettres sont mal formées.' *Long.*

P. Veratius Rusticus, aed(ilis) | pag(i) Bag(. . . . .), leg(ata et) beneficiaria | ex mul(tis) et aere fracto.

Long p. 453. Supplementa sunt Mommseni, Stadtrechte von Salpensa in Abhandlungen der sächsischen Ges. der Wissensch., hist.-phil. Classe II. 1857 p. 450 n. 175. — v. 1. B · VERATIVS Long. v. 2. PAC. id.

Pagus Aletanus.

448. 'Tauliniani'. *Fabr.* Vicus Taulignan situs est prope Nyons.

Voturia | L. Voturio Maximo, aedili | pagi Aletani, patri | C. Voturi Aviti.

Fabretti, Inscr. ant. p. 657 n. 494 (ex sched. Barberinis), unde Bimard, Proleg. ad Mur. p. 21.

449. Rep. in vico Le Pègue prope Tauliguan.

Dianae | Latinae | M. Iccius | Mummius.

Long p. 455, unde Henzen 5709, qui dicit: 'titulus si genuinus ac bene excriptus est, Dianam in Aventino cultam indicat; Latonam commemorari facile aliquis crediderit.' At Dianam in Aventino cultam in Gallia non ignotam fuisse probat inscriptio arae Narbon. supra n. 1 col. II. 24.

XXII. DEA AVGVSTA.

(*Die, dép. de la Drôme.*)

---

450. Rep. Deae hodie dicitur deperdita. *(Long.)*

M(agnae) D(eum) M(atri) I(daeae) | sacr(ificium) *crio*b(oli) taur(oboli) fecer(unt) | cum suis hostis et apparam(entis) | omnibus L. Dagid(ius) Marius, pon|tif(ex) perpet(uus) civit(atis) Valent(iae), | et Verullia Martina et | Verullia Maria fil(ia) eorum | pro salute imp(eratoris) et Caesar(is) | Philipporum Aug(ustorum) et Otaci|liae Severae Aug(ustae) matris | Caes(aris) et castror(um), praeeun|tibus sacerdotibus Iunio | Tito XV vir(ali) Arausens(i) et | Castricio Zosimione ci|vitat(is) Albens(is) et Blattio | Paterno civitatis Voc(ontiorum) | et Fabricio Orfito Liber(i) | Patris et ceteris adsistentibus sacerdotibus | v(otum) s(olverunt) l(ibentes) m(erito). Loco vires con|ditae die prid(ie) kal(endas) Oct(obres)
p. Ch. 245. imp(eratore) Philippo Aug(usto) et Titi|ano cos.

Spon, Misc. p. 98 n. 59, unde Fabr. p. 609 n. 79, Long p. 380.

Orelli 2332. Supplementa sunt Henzeni ad Orell. v. 13. De XV viris, matris Deum sacerdotibus cfr. Henzen, Ind. ad Orell. p. 58. v. 1. TRIB. Spon.

451. 'Dans le jardin de M. Armand; notre copie est très exacte; elle a été prise sur la pierre par l'estampage à la mine de plomb.' *Long.*

M(agnae) D(eum) M(atri) | pro sal(ute) imp(eratoris) taur(o-bolium) fec(erunt) Tib(erius) Fl(avius) Mar|cellin(us) et Val(eria) Decumilla ex voto, | sacerd(ote) Attio Attiani fil(io), de *p(ecunia) p(ropria).*

Grut. 31, 3 (Scal.). Mém. des Ant. de France t. VII. (1826) p. 63, ubi male descripta est. Long p. 379, cuius lectio, si Gruterianae confers, corrigenda videtur. 1. D. M Long. 2. TIT. L. MAR Long. 4. FIL. DEN Mém. des Ant., ubi adicitur, litteras DEN vix legi posse; unde restitui: DEP·P.

452. 'Dans la cour de la maison de campagne de Chamarges près de Die' *Long.*

Pro sal(ute) imp(eratoris) . . . . . *taurobolium* | *f*ec(it) At*tius* Att*iani filius* | de suo.

Long p. 380. Attius est idem atque in titulo praecedenti. 2. ATNVS Long.

453. Inscriptio, quam Deae olim viderunt et P. Menestier et P. P. Durand et Martenne, auctores libri: Voyage littér. de deux Bénédictins. Paris 1717—24. Nunc videtur deperdita.

Sex. Vencio | Iuventiano, | flamini Divi Aug(usti), | item fla-mini et cura|tori muneris gladi|atori Villiani, adlec|to in curiam Lugudu|nensium nomine | incolatus a splen|didissimo ordine | eorum, | ordo Vocontior(um) | ex consensu et pos|tulatione po-puli | ob praecipuam | eius in edendis | spectaculis li|beralitatem.

Grut. 484, 2 (Scal.), a quo pendent, qui reliqui ediderunt Or. 3725. Boissieu, Inscr. de Lyon p. 166 n. 9.

454. 'Fragment en marbre blanc provenant des remparts; chez M. Long, médecin' *Long.*

. . . . *poscit* | ab hered(ibus), *promittant ord(ini)* | Voc(ontiorum), cum *ipse vita decesse*|rit, se ex red*itu heredi-t(atis)*, *quam* | fecerint, pec*(uniam) dat(uros) HS* . . . . ., *cuius usu*|rae semi*sses colon(is) col(oniae) Deae* | Aug(ustae) V*ocontio-r(um) omnibus* | ann*is dividantur.*

Long p. 468. Hoc fragmentum videtur mihi esse locus testamenti citatus in titulo basis honorariae, hocque sensu conatus sum restituere.

455. 'Fragment en marbre blanc' *Long.*

. . . . per | . . . . emis | . . . . Voc|

Long p. 468. Recepi, quod possit fortasse pertinere ad tit. praecedentem.

456. Rep. Lugduni extat ibi in museo lapidario.

D. *ascia* M. | Atiliae Verulae | Sex. Atili Sabini filiae, | decurionis Vocontio|rum, | T. Aufilleuus Probus, | evocatus | coniugi sanctissimae.

Descripsi. Millin I. p. 476. Boissieu, Inscr. de Lyon p. 167, 10. Long p. 405.

457. 'Dans une petite cour de la maison de M. Armand; on voit à la fin de la première ligne entre deux palmes un oméga gravé superficiellement.'

. . . . . . *ux*ori | sanctissimae | . . . . IVS praetor, flam*en*.

Long p. 378. Illud Ω quidquid est, cave utique, ne cum Longio de signo Christiano cogites. 2. FLAMN Long.

458. 'Trouvé dans les remparts 1844.'

. *Ser*vilius Ianuarius fla*men* | . . . . . minae, uxori optimae.

Long p. 378.

459. Fragmentum tituli rep. a. 1842 in vico Barnave inter Deam et Lucum; inde pervenit Deam.

. . . . r Voc(ontiorum) po*ntifici* | . . . . . . optimo.

Long p. 411.

460. Inscriptio sarcophagi reperti Arelate in campis Elysaeis, postea translati in museum Massiliense, ubi adhuc extat.

D. M. Caeciliae D(ecimi) f(iliae) Aprullae, flam(inicae) | designatae col(onia) Dea Aug(usta) Voc(ontiorum), | Θ(*ανοῦσῃ*) annos XIIII, mens(es) II, dies V | maritus uxori piissimae posuit.

Descripsi. Pontanus, Itiner. Gall. Narb. 1606 p. 71. Grut. 323, 2 (Scal.). Long p. 377. Henzen 5223. v. 3. XLIII Long, qui desumpsit ab Estrangino, teste parum certo. XIIII habent Pontanus et Scaliger atque exhibet meum quoque apographum.

461. In domo Longii.

D. M. | Severi Myron, | Voc(ontiorum) ser(vus), | et Verina | fil(io) kar(issimo). — Long p. 470.

462. Deae 'indiquée par M. Martin'.

D. M. | Valeriae Valer(i) | f(iliae) Martinus ab aer(ario).
Long p. 395.

463. 'Provenant des remparts en 1799; il n'existe plus.' *Long.*

Valentinio | Fortunato, | mil(iti) leg(ionis) I Mi(nerviae) | Aur(elius) Titus, | b(ene)f(iciarius), amico *fecit*.
Long p. 469. v. 3. LEGIMO Long. 5. FCT Long.

464. 'Fragment extrait en 1836 des ruines du château d'Aix, à 6 kilom. de Die: ce château fut bâtie avec les pierres de la démolition de de la cathédrale de Die pendant les guerres de religion.'

. . . . Sex. f. Vol(tinia) patri | . . . . f. Quintilia marito. — Long p. 464.

465. 'Autel encadré dans le mur près de la porte des bureaux de la souspréfecture' *Long.*

Deae Aug(ustae) | Andartae | L. Carisius | Serenus, | sevir Aug(ustalis) | v(otum) s(olvit) l(ibens) m(erito).
Long p. 382. Orell. 1958. Praeterea Long p. 382—383 sex alios titulos affert Deae Augustae Andartae positos.

466. Deae.

L. Iul(io) Cladatae, | sevir(o) Aug(ustali) | L. Iul(ius) Iulianus | patri carissimo | et Iul(iae) Carpime | matri viv(us) f(ecit).
Grut. 421, 10 (Scal.). Long p. 471; qui Aymarium exeripsit.

467. 'Sur une marche d'escalier dans la petite rue qui de l'Armellerie conduit au Serre.'

D. M. | . . . . . v . . . . | Serva*ti*, | sevir(i) *Aug*(*ustalis*) | . . . . . nia p(ecunia) p(ropria). — Long p. 467.

468. 'Trouvée au village de Beaufort à 30 kilom. de Die; elle était divisée en deux fragments dispersés dans un emplacement éloigné; nous venons de nous assurer à Beaufort que le deuxième fragment de cette inscription est égaré ou détruit. Heureusement nous eumes la précaution en 1835 de la relever par l'estampage à la mine de plomb.' *Long.*

. . . . | colleg(ium) venato-r(um) | Deensium, qu-i mi|nisterio a-renario | fungunt. — D(edicaverunt) ex d(ecreto) s(oluto) v(oto).

Long p. 398. Henzen 7209, qui explicat: *ex decreto*, se. dei, cui positum est monumentum. Quae in quoque versu signum – sequuntur, ad fragm. nunc deperditum pertinent.

469. 'Copiée sur une table extraite des remparts en 1816; elle n'existe plus; elle fut relevée par M. le docteur Lamorte; nous ne l'avons pas vue.'

D. M. | Cominicae(?) | iur(is) doctor | vivus sibi | fac(iendum) curavit. — Long p. 395.

470. Deae.

D. M. | Veri Severiani argentari, | ann(orum) XXIX, Severinus et Iulia parentes | infelicissimi et sibi v(ivi) f(ecerunt).

Grut. 639, 6 (Scal.), unde Long p. 395.

471. 'Chez M. Coursange, rue du Marché, au deuxième étage sur la cour.'

D. M. | Marcelli|nae Valeri|anus, librar(ius) | coniugi car(issimae) | et s(ibi) v(ivus) f(ecit). — Long p. 396.

472. 'Extrait des remparts en 1842' *Long.*

D. M. | ..... miae unguentariae Pomp(.....) Iphigeniae | .... an(norum) IX, m(ensium) XI d(ierum) XXIII et sibi vivi fecer(unt). — Long p. 396.

473. 'Sur la terrasse du tribunal, l'ancien évêché' *Long.*

D. M. | liberorum ac con|iugibus Publici Calis|ti et ipsius consecratum | cum bese vineae arep(ennis), | ex cuius reditu omnib(us) | annis prolibari volo | ne minus XV [sc. sestertiis]. V(ivus) s(ibi) e(rexit). H(ic) t(umulus) h(eredem) n(on) s(equitur).

Grut. 897, 18 (Scal.). Mur. 1206, 9 = 2048, 2. Orell. 1, 350, ex quo recepi supplementa. Long p. 467. v. 5. bes vineae arepennis = pedes quadr. 9600. Arepennis enim (hodie *arpent*) a Gallis vocabatur semiiugerum (Columell. 5, 2), cuius mensura est ped. quadr. 14400; bes sive partes duae tertiae semiiug. = 9600.

XXIII. LVCVS AVGVSTI.

(*Luc-en-Diois, dép. de la Drôme.*)

474. 'Il existait autrefois à Luc ce fragment d'inscription.'

.... Felix, praef(ectus) Voc*ontiorum* .... — Long p. 412.

475. Fragmentum, quod Scaligeri aetate extitit Deae Vocontiorum, nunc autem videtur deperditum.

. . *Valer*(ius) Pomp(eianus) sac(erdos) | *col*(*oniae*) Luc(ensis).

Grut. 129, 13 (Scal.). Long p. 413. 473.

476. Inscriptio cinerarii rotundi rep. Luci a. 1838; in medio titulo fractura est.

V(ivus) Iul(ius) . . . . ol|anus, med(icus) *Vocont*(iorum), ciner(arium) *s*(*ibi*) *f*(*ecit*).

Long p. 413. 3. ACO . . . CINEN Long; ad supplementum cfr. Grut. 950, 10: *fratri cinerarium fecit.*

477. Rep. anno 1772 ad viam publicam prope vicum Weissenau vicinum Moguntiaco.

T. Agileius T. f. | Volt(inia) Carus | Luco vet(eranus) ex leg(ione) | VIII Aug(usta) . . . .

Steiner, Cod. inscr. Dau. et Rheni n. 546.

478. Rep. 1804 Moguntiaci; ubi nunc sit, ignotum est.

Sex. Valerius | Sex. f. Vol(tinia) Seve|rus, Luc(o) Aug(usti), | mil(es) leg(ionis) XXII | pr(imigeniae), an(norum) XL, sti(pendiorum) | XIX, h(ic) s(itus) e(st). H(eres) f(aciendum) c(uravit).

Steiner, Inscr. Dan. et Rheni n. 508.

479. Rep. Vindonissae Helvetiorum a. 1794 nunc extat in oppido Königsfelden.

M. Apronius | *M. f. Vol*(*tinia*), Secu|ndus, Luco Aug(usti), | *mi*les leg(ionis) XI C(laudiae) p(iae) *f*(*idelis*) | 7 [i. e. centuria] Veli Fusci anno(rum) | XX*x*VII, *s*tipendio|ru(m) *x*VII, h(ic) *sit*(*us*) est; | testamento fieri | iussit; heredes | faciundu(m) curar|unt.

Mommsen, Inscr. confoed. Helv. n. 251. Eiusdem sunt supplementa. v. 2. 'quadratarius scribere debuit M · F · VOL sive M. F. VVL, quod male solvit in M · FVLVIVS' *Momms.*

480. Rep. a. 1731 Moguntiaci postea translatum est in museum urbis Mannheim.

C. Vibius | C. f. | Volti(nia) Luco | an*no*(rum) XXVI, | stip(endiorum) III, | h(ic) s(itus) e(st). Frat*er* *b*(*ene*) *m*(*erenti*) | pos(uit).

Steiner, Inscr. Dan. et Rh. n. 509. 4. ANO St. 8. FRATR . . . . Stein.

Mons Seleucus

(Mont Saléon, dép. des Hautes-Alpes, arrond. de Gap).

481. Effossa in vico Mont-Saléon a. 1830 una cum variis antiquitatis Romanae monumentis.

Vic(toriae) Aug(ustae) | d(ono) d(edit) | Victor | Vitalis f(ilius) l(ibens) m(erito). — Long p. 431.

482. Rep. in vico Mont-Saléon translata est in urbem Gap.

*Deo in*victo M(ithrae) Iul(ia) Materna | *pos*(uit) ex voto. Millin, Voy. IV. p. 174.

483. Inscriptiones vasorum, quae a Monte Seleuco Vapincum pervenerunt. 'Parmi les nombreuses vases en terre rouge il y en a deux, sur l'un desquels on lit ces mots griffonnés avec une pointe':

a) Audentius Deo invicto — 'et sur une autre':

b) *Eu*porius Deo in*victo*. — Millin IV. p. 174 n. 2.

484. A Monte Seleuco translata Vapincum.

Insidi | Cornelia | Materna | v(otum) s(olvit) l(ibens) m(erito). Murat. 74,1 (Bim.). Millin IV. p. 178. Long p. 429. 1. ISIDI Murat.

485. Inscriptio tabulae aëneae, quae a Monte Seleuco pervenit Vapincum.

C. Lucceius | Apolaustus | v(otum) s(olvit) l(ibens) m(erito) salvo | Novatiano. — Millin IV. p. 175, unde Long p. 430.

486. Rep. in vico Mont-Saléon.

Silvano | D. Roci(us. — Mur. 68, 8.

Vapincum (*Gap, dép. des Hautes-Alpes*).

Quae sequuntur duae inscriptiones, eas Vapinci se vidisse dicit Millin, neque tamen ex monumentorum Vapincensium enumeratione, quam ille dat, perspicuum est, utrum hac quoque a Monte Seleuco translatae sint an Vapinci repertae.

487. L. Attius . . . . | Tertullus . . . . . . | . M populo II . . . .

Millin IV. p. 177. Long p. 431. 3. H pro Longii M Mill.

488. D(is) M(anibus) m(onumentum) f(ecit) | Paterni, Pauli f(ili), piissimi Servat(a), | Catulli f(ilia) sibi *et* | L. [vel T.] Eppio Fortu*nato* | marito viv(is).

Millin IV. p. 178. v. 4. SIBIF. 5. IEPPIO in lapide. Praeterea

plura diversorum monumentorum Vapincensium fragmenta dat Millin IV. p. 177, quae hic repetere non refert.

Pagus Epotius
(vicus *Upaix* inter loca *Ventavon* et *Sisteron*).

489. 'L'inscription suivante se voit à Ventavon, dans les Hautes-Alpes; elle fut découverte au Monestier d'Alemont, village entre Sisteron et Gap.' *Long.*

Dis Man(ibus) | Q. Caetroni Q. fili | Volt(inia) Titulli, veter(ani) | coh(ortis) VI pr*aetor(iae)*, II viri, pon|tif(icis) col(oniae) Aug(ustae) Arim(inensis), prae*f(ecti)* | pagi Epot(i), flam(inis) Aug(usti) et | muner(is) publici curat(oris) | ad Deam Aug(ustam) Voc(ontiorum) | haered(es) ex test(amento).

Bimard, Prol. ad Mur. p. 16, unde Orell. 4025. Long p. 402 sq., cuius apographum dedi. v. 1. MANIB. Bim. 3. PR·LOCOIIVIR Bim. PR. LOC^{O}IIVIR^{I} Long; est fortasse in lapide PRAETO$\overset{R}{I}$IVIR^{I}.

Segustero (*Sisteron, dép. des Basses-Alpes*)
et quae alia titulis insignia sunt loca ad dextram Druentiae ripam sita.

490. Inscriptio incisa in rupe prope vicum *St. Geniez*, qui duabus fere leugis septentrionem versus distat ab oppido *Sisteron;* ipsa rupes vulgo vocatur *peiro escritto (pierre écrite)*. 'La partie supérieure de l'inscription est sur la face verticale du rocher; mais comme la place n'était pas suffisante pour la contenir toute entière, le reste a été écrit au-dessous sur une portion qui saille horizontalement au bas de l'autre sous un angle d'environ soixante-quinze degrés. — La copie que je publie, a été faite avec la plus scrupuleuse attention.' *Millin.*

Cl(audius) Postumus Dardanus, v(ir) inlustr(is) et pa|tric*i*ae dignitatis, ex consulari pro|vinciae Viennensis, ex magistro scri-|nii lib(ellorum), ex quaest(ore), ex praef(ecto) pr*ae*t(orii) Gal-l(iarum), et | N*a*evia Galla, clar(issima) et inl(ustris) fem(ina), materfam(ilias) | eius, loco cui nomen Theopolis est, | viarum usum caesis utrimque mon|tium laterib(us) praestiterunt, muros | et portas dederunt, quod in agro | proprio consti*tu*tum tu*i*tioni om|nium voluerunt esse commune; adni|tente etia*m* v(iro) inl(ustri) com(ite) ac fratre me|morati viri Cl(audio) Lepido, ex consula(ri) | Germaniae primae, ex mag(istro) memor(iae), | ex com(ite) rerum privat(arum), ut erga omni|um salutem eoru|m studium e|t devo|tionis pu*blicae* | titulus poss*it* ostendi.

Millin, Voy. III. p. 67, cuius supplementa recepi; idem imaginem

loci dedit Atlas, planche LIV. 2. Praeterea notat, Dardanum hunc eundem esse atque eum, quem commemorant Hieronym. Epist. 129. Augustin. Epist. 57. Sidon. Apoll. V. 9. — Theopolis ruinas quasdam hodie quoque conspici dicunt proxime *St. Geniez*, ubi locus est qui vocatur *Théou*. — Ex iis, qui ante Millinum ediderunt titulum, satis habeo commemorasse Grut. 151, 6 (Scal.). Spon, Miscell. p. 150. v. 10. TVETIONI in lap. 12. ETIAN in lap.

491. Segusterone.

P. Iul(ius) Gratus | restituit | exs voto.

Henry, Antiq. du dép. des Basses-Alpes p. 125, qui adicit, hanc unam extare inscriptionem in oppido Sisteron.

492. 'À Bignosc au-dessous de Sisteron et près des bords de la Durance' *Henry*.

Silvano | C. Iul(ius) | *P*hallus | ex voto.

Henry l. c. p. 130. 3. PHALLVS Henry.

493. Rep. in vico Reillanne (arrond. Forcalquier).

C. Coelio, | C. lib., | Tertio | C. Coelio C. *l.* Felici | sevir(o) | C. Coelius C. *l.* Faustus | sevir, frater fecit.

Mur. 692, 1 (Bim.). 4. 6. C·F Mur.

494. Rep. in vico Mane sito prope oppidum Forcalquier.

Viator, Sabini f., | Iuliae Ma . . . . ia*e* | coniugi carissi*mae*.

Henry p. 138.

Aquae Griselicae

(*Gréoulx*, prope confluentem fluviorum Verdon et Durance).

Quam hic posui inscriptionem Aquarum Griselicarum, rectius iunxissem titulis Reiensibus, cui oppido attributus erat hic locus.

495. Inscriptio consistens ex quattuor fragmentis, quorum unum finem tituli continens iam Bouche (Chorogr. p. 233) cognoverat, tria reliqua a. 1806 reperta sunt. 'Elle est gravée avec beaucoup de négligence et en charactères peu profonds sur une pierre calcaire grise.' *Henry*.

Annia, M(arci) | *f*il(ia) Faustina, | T. Vitrasi Poll(*ionis*, co(n)-s(ulis) II, pra*ef(ecti)* | *pr*ae*t*(orio) imp(eratoris), ponti*f(icis)*, | *pro-cons*(ulis) Asiae | uxor | Nymphis | Griselicis.

Henry p. 165, cuius apographum imagine expressum secutus sum. Orelli 3421 ex Millin, Magas. encycl. 1811. 5 p. 59. Quomodo v. 1 supplendus sit ex Henzeniana 5477, indicavit Henz. ad Orell. 3421. Eundem Vitrasium Pollionem habes etiam Henz. n. 5290.

XXIV. ALLOBROGES.

1. VIENNA.

(Vienne, dép. de l'Isère).

Postquam Schneiderus quidam, natione Germanus, incola Viennensis, sexaginta fere abhinc annis museum Viennae instituere coepit in ecclesia S. Petri, qui dispersi antea fuerant lapides inscripti, nisi in muris domorum privatarum haerebant, hic congerebantur. Quod museum quamquam locum interim mutavit, tamen adhuc extat atque nunc vetus illud templum, quod Augusti et Liviae dicunt, ad recipienda veteris Viennae monumenta paratur. Quod opus quia cum anno 1861 Viennae degerem, non erat finitum, lapides non ita ut desideravi, perlustrare potui nec nisi partem eorum vidi conservatam interea in eadem illa ecclesia S. Petri.

496. 'Découvert dans l'enclos des religieuses de St. André-le-Haut, aujourd'hui dispary' *Spon.*

Druso Caesar(i), | Tib. Aug(usti) f(ilio), Divi Aug(usti) | nepoti, Divi Iul(i) | pronepoti, trib(unicia) | potest(ate) II. co(n)s(uli) II. p. Ch. 23.

Chorier-Cochard, Antiq. de Vienne p. 547 ex Spon, Antiq. de Lyon, quem librum non vidi.

497. Rep. inter rudera domus archiepiscopalis *(Cochard).*

C. Caesari, | Germanici f(ilio), | Ti. Aug(usti) n(epoti), | Divi Aug(usti) pron(epoti), | Germanico, | pontifici, q(uaestori). p. Ch. 33.

Chorier-Cochard p. 519. Giorn. Arcadico LVI. p. 323, unde Henzen n. 5396, qui notat, Caligulam pontificem factum esse a. p. Ch. 31, quaestorem 33. cfr. Dion. 58, 7. 23.

498. Rep. prope Viennam.

Pro salute Augustorum *nostrorum* | et reditu, et statu civitatis Vi*ennensis*. — Chorier-Cochard p. 361.

499. 'Viennae Allobr. prope portam Avenionensem' *Grut.* Postea lapis pervenit in museum.

Virtute for|tissimo et pie|tate clementis|simo d(omino) n(ostro) Fl(avio) | Constantino maximo et | invict(o) Aug(usto) | M.

Alfius Apron|ianus p(ontifex) p(erpetuus), fl(amen) Viennae, | de-v(otus) n(umini) ma(iestati)q(ue) eius.

Grut. 283, 7 (sched. Verder.). Chorier-Cochard p. 326. Rey, Monum. de Vienne III. part. pl. 18. Praeterea Grut. 283, 6 hanc dat inscriptionem ut diversam a praecedenti desumptamque ex Simeonio: Virtute fortissimo et | pietate clementissimo | d. n. Flavio Constantino | invictissimo maximo p. p. | invicto Aug. | M. Alfius Apronianus v. c. | p. p. flam. Viennae | d. n. m. q. eius. Muratori autem 1094, 7. vv. 8—10 ex sched. Ramberti sic habet: M. Alfius Apronia|nus v. p. p. p. fl. Vienn. | dev. n. mq. eius. — Et Muratoriana quidem eadem videtur esse ac Gruteriana secunda; contra duae Gruterianae possunt revera esse diversae. In secunda V·P est *vir perfectissimus*. Cogitandum hic esse de *viro perfectissimo, patre patrum*, quae Mithriaci cultus dignitas est (Or.-Henzen 2344), vix credo.

500. Rep. in domo archiepiscopali postea pervenit in museum.

M. Iulio C. f. | Vol(tinia) Attico | proc(uratori) provinc(iarum) | duarum. — Chorier-Cochard p. 526.

501. Romae.

*S*ex. Attius | Sex. fil., Volt(inia), | *Cr*eticus Vienn(ensis), | omnib(us) honorib(us) | in patria sua func(tus), | flam(en) pro-v(inciae) Narb(onensis).

Spon, Misc. p. 203, unde Chorier-Cochard p. 543.

502. Viennae 'trouvé sur l'emplacement du temple de Castor et Pollux'. *Rey.* Extat in museo Viennensi.

Loc(us) dat(us) *dec(reto) dec(urionum)* | .... | Voltinia, Cr*eticus trib(unus) mil(itum) leg(ionis)* XXX *U*l(piae) victricis, patronus coloni*ae* | Viennae ux*ori* ....

Rey, Monum. de Vienne II. pl. 7. Chorier-Coch. p. 520. v. 3. Agi de legione XXX Ulpia eo magis credo, quod ex vicino Lugduno novem monumenta huius legionis affert Boissieu, Inscr. de Lyon p. 334—340. 1. DAT deest apud Chor.

503. Chorieri aetate in ecclesia S. Petri.

Bellino Aug(usto) | sacrum | voto suscepto | pro A. Aquilio, | C. f., Pomp(tina), Valente, | IIII v(iro) i(uri) d(icundo) desig(nato), | Phoebus lib(ertus) | v(otum) s(olvit) l(ibens) m(erito).

Chorier-Coch. p. 323. Grut. 36, 11 (Pigh.).

504. Extat Viennae in museo.

C. Passerio P. f. | Vol(tinia) Afro, | trib(uno) milit(um) leg(ionis) XXII˜, | IIII viro, flam(ini) | DivI August(i) d(ecreto) d(ecurionum), | flam(ini) Germ(anici) Caes(aris), | praef(ecto) fabrum III, | M. Valerius Rufus, | P. Tincius Pacatus, | . Tincius Tertius, | L. Tarius *R*ufus, | Sex. Valerius Nator, | . Valer(ius) CrispInus, | Sex. Calvisi*us* C . . . . us, | amIcI.

Descripsi. Henzen 5996 ex Giorn. Arc. LVI. 1832. 9. L·PINCIVS Henz. v. 12 deest ap. Henz. 13. ALBINVS Henz. 14. CALLISTVS Henz.

505. Viennae in museo.

Sex. Passerio | . *f. Voltinia* | . . . . . . | . . . . . . | . *Passerius* | *Sex. f.* | *t*rib(unus) mIl(itum) *leg(ionis)* . . . | praefect(o) *fabr(um)*, *patri* | Passeriaque fIlia | avo.

Descripsi.

506. Fragmenta diversis locis Viennae eruta. Quae leguntur sub litt. a) et b), ipse vidi inter lapides musei eaque reperta esse Chorier dicit 'dans une cave de la maison Augier sur le quai Pajot'. Alta sunt m. 0,78.

a) FIL·VOLT·CAPELLA·IIIIVIR
AQVAS·NOVAS·ITINERA
IS·VIENNENSIVM·DONA
TVENDOS·IN·PERPETVV
HS·N·L·TESTAMENT

Descripsi. Chorier-Coch. p. 441 sv.

b) OLT·CENSOR·AEDILIS
SVOS·FVNDOS
TITVLOS
NSILLA
IT

c) 'tirée des fondations de l'église de St. Sévère' *Cochard.*

IIVIRLSVLPICIVSDF
ERAAQVARVMPER
RVNTTITVLOSP
PENSILLAHSNLTEST
IVSSIT

Chorier-Coch. p. 441.

d) 'à Vienne au pouvoir de M. de Foissin' *Spon.*

VIIIIVIR
ORAEDILIS
ˀ\AQVARVM
NSIVMDONA
NDOSINPER
NLTESTAMENTO

Spon, Miscell. p. 35, unde Chorier-Coch. p. 441.

Quae fragmenta referenda videntur ad tres titulos conceptos iisdem verbis, distributione autem linearum diversos; restituerim autem hoce modo:

a et *d* *c* *b*

. . . . fil., Volt., Capella, IIIIvir, *L. Sulpicius D. f. V*olt., Censor, aedilis *ductus aquarum*, aquas novas, itinera *aquarum per* suos fundos . . . . *populo civitat*is Viennensium dona*verunt idemque* titulos *posuerunt. Ad quos ductus* tuendos in perpetuu*m* . . . . Pensilla
HS. $\overline{\text{n}}$. $\overline{\text{L}}$. testamento *dari* iussit.

In fine v. 2 desidero mensuram itinerum concessorum.

507. Viennae in museo.

D. Titió D. fil(io) | Vol(tinia) Iústo, | IIvir(o) iur(i) dic(undo), | flam(ini) Iuventútis, | Cassia T. fil(ia) Prisca | viro. — Descripsi.

508. 'Ad portam ecclesiae S. Mauritii' *Chorier*.

L. Porcio T. fil(io) V*olt(inia)* | Latino, | equo public*o* | ornato, | praef(ecto) fabrum I., | II vir(o) aer(ari), III vir(o) | loc(orum) publ(icorum) perseq(uendorum) | Porcia T. f. Tutel(a).

Grut. 458, 2, unde Or. 3840. Chor.-Coch. p. 365. v. 8. cognomen Tutelae habes in titulo Narbonensi Grut. 858, 2.

509. Rep. a. 1753 in abbatia, quae vocatur St. André-le-Haut, extat nunc Viennae in museo.

D. Iul(io) D. fil(io) Vo*lt(inia)* | Capitoni, | *fl*am(ini) iu*v*ent(utis), III v*ir(o) loc(orum)* | *pub*lic(orum) perseq(uendorum), II *vir(o) aer(ari)*, | *au*guri, praef(ecto) fa*(brum)*, *trib(uno)* | *m*ilit(um) leg(ionis) II *adiut(ricis)*, *cen|sor(i)* civ*it(atis) Remor(um) foedera*t*(orum)* | . . . .

Chorier-Coch. p. 522. Léon Renier, Mélanges d'épigraphie p. 63, cuius sunt supplementa.

510. 'Viennae in loco Fussini' *Gruter* (cfr. supra n. 506 d); nunc est deperdita. A pluribus male editam restituerunt nuper L. Renier et Mommsen, quorum supplementa nisi in minutiis non differunt. Ne acta ab his inutiliter repetam, satis habeo repetere lectionem a Reniero restitutam.

D. Iul(io) D. f. Volt(inia) | Capitoni | flam(ini) Iuvent(utis), III vir(o) | loc(orum) public(orum) perseq(uendorum), | II vir(o) aerar(i), augur(i), | praef(ecto) fabr(um) trib(uno) | mil(itum) leg(ionis) II adiut(ricis), | censor(i) civit(atis) Remor(um) | foederatae | RemI publice. | L(ocus) d(atus) d(ecreto) d(ecurionum).

Grut. 421, 8 (Scal.). Chorier-Coch. p. 508. Orelli 3841. Renier,

Mélanges d'épigraphie p. 65. Mommsen, Inscr. confoederat. Helvet. n. 90.

Cum titulis n. 509—511 eidem viro positis conferas eos qui infra sequentur Genavenses nn. 591 sq. Quos omnes non solum edidit, sed etiam commentario illustravit L. Renier, Mélanges d'épigraphie p. 61—72.

511. Rep. 1823 inter rudera domus episcopalis; extat nunc in museo.

. . . . | *t*rib(uno) mil(itum) leg(ionis) II | adiutrIcis, censorI | cIvitatis Remor(um) foeder(atorum), | proc(uratori) imp(eratoris) Nervae Traian(i) | Caes(aris) Aug(usti) Germ(anici) DacicI | optimI provinc(iae) Astur(iae) | et Gallaec(iae) | conventus Asturum. | L(ocus) d(atus) d(ecreto) d(ecurionum).

Descripsi. Chorier-Coch. p. 520. Léon Renier, Mél. d'épigr. p. 64.

512. Fragmenta tria reperta in colle, qui vocatur *la colline de l'Ermitage*, prope oppidum *Tain*, situm ad sinistram Rhodani ripam inter Valentiam et Viennam.

a)	b)	c)
Q. Val. C. f. Volt.	divo	
Macedoni	latum c	lavom c
flam. Iuvent. q. c. V.	quaes	optulr
II vir. aer. auguri	et d	etentis i
III vir. . . p. p. huic	excusati	onem aec
sic Grut. . . . . cos. Hadrianus		
		doue
Grut. 479, 3 (Scal.).	b) et c) Chalieu, Antiq. du départ. de la Drôme p. 61.	

Quae tria fragmenta sic ad unum titulum componenda censuit Renier, Mél. d'épigr. p. 68 sq.:

Q. Val. C. f. Volt.
Macedoni
flam. Iuvent. q. c. V.
II vir. aer. auguri
III vir. l. p. p. huic
divos Hadrianus
latum clavom *cum*
quaes*tur*. optul. *urban*.et detentis *ornam*.
excusationem accep
. . . .

Cui Renieri restitutioni ita assentior, ut vv. 5—10 sic potius legendos censeam:

III vir. l. p. p. huic
cum divos Hadrianus
latum clavom *cum*
quaest. *urb*. optul. *re*cus. et detentis *ornam*.
excusationem ac*cep*.

Quae restitutio si accipitur, universus titulus sic est legendus:

Q. Val(erio) C. f. Volt(inia), Macedoni, flam(ini) iuvent(utis), q(uaestori) c(oloniae) V(iennae), II vir(o) aer(ari), auguri, III vir(o) l(ocorum) p(ublicorum) p(ersequendorum). Huic cum divos Hadrian(us) latum clavom cum quaest(ura) urb(ana) optul(isset), recus(avit) et detentis ornam(entis) excusationem accep(it).

Quae reliquae sunt litterae DOVO ad nomen dedicantis videntur pertinere. Ad eundem denique Q. Valerium hoce fragmentum Gruterianum refero:

513. 'Viennae Allobr. in porta S. Severi' *Grut.*

	quae sic emenda:
alce	*Q. Val.* C. *f.*
ole	*Volt.*
edoni	*Mac*edoni
vent	*fl. i*uvent.
frana	*iivir. ae*r*ar.* a-
oiato	*ug.* *l*ato
	clavo a Divo
	Hadrian. donat.

Grut. 898, 7 (Scal.).

514. Inscriptio duarum basium, quae extractae ex muro ecclesiae Lugdunensis St. Stephani nunc asservantur Lugduni in museo lapidario. Ambo tituli iisdem verbis concepti sunt nec nisi versuum distributione et quibusdam scripturae compendiis inter se differunt, et amborum fracta est pars infima, is tamen, quem hic propono, paullo melius conservatus est.

L. Helvio L. filio | Voltin(ia) Frugi, | curatori nau|tarum bis, | II vir(o) Viennen|sium, | patrono Rho|danicorum | et Araricor(um) | *Rho*d(anici) et Arar(ici). | *L(ocus) d(atus) d(ecreto) n(autarum) R*hod(anicorum) *et Araricorum.*

Chorier-Coch. p. 546. Boissieu, Inscr. de Lyon p. 395, 7. cfr. Mommsen, Ann. dell' Inst. archeol. 1853 p. 77. v. 10 in altero lapide integer est. Supplementa vv. 11 sq. dedit Boissieu. — Nautae Rhodanici et Ararici collegium sunt Lugdunense. cfr. supra n. 225.

515. Inscriptio, quae legitur in diademate signi aënei deae, quam Iunonem esse dicunt. Repertum prope Viennam in Rhodano nunc extat Lugduni in museo, ubi vidi ipse.

L. Lil*ugius*, Sex. f. Laena q(uaestor) col(oniae), An*ien*(si).

Martin-Daussigny in Bull. d. Inst. arch. 1860 p. 260, qui eod. loco

iectionem. quam dedimus, proponit, a L. Reniero secum communicatam. ANEN Renier tribum indicare censet Aniensem appositam loco nou suo quidem, sed non prorsus insolito.

516. Viennae in museo.

Anno | imp(eratoris) Caes(aris) Nervae | Traiani Aug(usti) | Germanic(i) IIII | Q. Articulei Paeti *ii* | co(n)s(ulum) | pontif(ex) ex stipe. p. Ch. 101.

Descripsi. Chorier-Coch. p. 61. Henzen 5958. 5. PAETI. II Henz., at II neque iam videtur in lapide neque habet Chorier.

517. Rep. Viennae.

Anno | C. Calpurni Pison*is* | M. Vettii Bolani | co(n)s(ulum) | pontif(ex) ex stipe. p. Ch. 111.

Mém. de la Soc. des Ant. de France IV. (1823) p. 237. Accuratius descriptum habui a Bursiano, cuius dedi apographum.

518. Viennae 'prope templum divi Mauritii' *Grasser*. 'Existant encore aujourd'hui dans la grande rue sur la route de Marseille' *Rey*. 'Les lettres qui ont $4^1/_2$ pouces de longueur sont exécutées avec une pureté sans égal' *Millin*.

. . . . | d(ecreto) d(ecurionum) flaminica Viennae | tegulas aeneas auratas | cum carpusculis et | vestlturls basinm et signa | Castoris et Pollucis cum equis | et signa Herculis et Mercuri | d(e) s(uo) d(edit).

Grut. 98, 8 (ex schedis Verder.). Grasser, Ant. Nem. p. 1068. Millin, Voy. II. p. 54. Rey, Monum. part. III. pl. 18, qui imaginem tabulae dat. Initio deest nomen flaminicae.

519. Rep. Viennae.

D. M. | et quieti | aeternae | Lucill Metrobl, | signo Sapricl, | stator(is) civitatis | Vienes(is), qui vixit | an(nos) XXXVIII, m(enses) II | Divicia Domiti|ola, mater fili|or(um) III, coniugi | karissimo et in|comparabili ponen|dum curavit et fill | sub ascia dedica|verunt.

Grut. 631, 7 (Scal.). Bimard, Proleg. ad Mur. p. 88, unde Or. 2780. v. 5. ad vocem SIGNO, quod idem est ac cognomentum populare cfr. quae attulerunt Bimard et Orell. l. l.

520. Legitur in Aegypto inscriptum in statua Memnonis.

M. Anicius T. f. Vol(tinia) Verus Vienna, | . . . . leg(ionis) III Cyr(enaicae), audi Memnoni VI. Idus | Novembr(es) anno III

imp(eratoris) n(ostri) et VII. K(alendas) Ianuar(ias) | et XVIII K. Febr. et IV. Non(as) *eius*dem et VI. | Id. et XIII. K. Mart. et VII. K. Mart. et XIII Id. Mar. | et VII. Idus Ian. bis, anno IV imp(eratoris) Aug(usti) | et V. K. Mart. et VII. Idus audi*mus* et | VIII Idus Aprilis anni eiusdem, item IV. Non. Iun|ias anni eiusdem.

Henzen n. 5304 ex Létronne, Inscr. de l'Égypte, tab. 31, 3. vol. II. p. 335.

521. 'Reate ad D. Petri' *Grut.*

C. Carantio C. f. | Voltinia | Verecundo | Vienna, veterano | *coh(ortis)* VII. pr(aetoriae), deducto | ab Divo Vesp(asiano) Reate et | Carantio Phoebo et | Carantiae Epenalieni (?) | lib(ertis) posterisq(ue) suis; | in agro p(edes) VI, in f(ronte) p(edes) V.

Grut. 538, 8 (ex Apiano et Manutio). v. 8. 'ETTRAINTINI sched. Verder.' Grut.

522. Rep. a. 1741 Moguntiaci; nunc dicitur deperdita.

C. Rittius C. f., | Vol(tinia), Paulus | Vienna, mil(es) leg(ionis) | XXII prim(igeniae), ann(orum) | XXXVIII, stip(endiorum) XVIII, | h(ic) s(itus) e(st). Et ave et vale.

Steiner, Inscr. Dan. et Rheni n. 354.

523. Rep. 1804 Moguntiaci.

Sex. Vale|rius Sex. f. | Volt. Mansu|etus Vien(na), | mil(es) leg(ionis) IIII | *Mac*(edonicae), an(norum) XXV, | sti(pendiorum) IIII h(ic) | s(itus) e(st). | Heredes f(aciendum) c(uraverunt).

Steiner, Inscr. Danub. et Rheni n. 516.

524. Rep. prope Vindonissam Helvetiae (hodie Windisch).

C. Valeri|us C. f. Vol. | Campanus | Vienna, mil(es) | leg(ionis) XI C(laudiae) p(iae) f(idelis) | *centuria* .... olni, anno*rum* ...., | stip(endiorum) XI, t(estamento) f(ieri) *i(ussit)*. | C. Cominius | Nemausus *h(eres)* | f(aciendum) c(uravit).

Mommsen, Inscr. Helvet. n. 256, qui supplevit vv. 7. et 9.

525. 'Gefunden nicht weit vom Wichelhofe bei Bonn' *Steiner.*

D. Val(erio) D. *f.* | Volt. Va*leri*|ano, Vie*nna*, | mil(es) legionis) .... | ɔ [centuria] Sal ....

Steiner, Inscr. Danub. et Rheni n. 1018.

526. 'Viennae Allobr. in porta S. Severi' *Grut.*

L(ocus) d(atus) d(ecreto) d(ecurionum). | . *Do*mitio | *Se*x. fil(io) Volt(inia) | . . . . dato.

Grut. 909, 13 (sched. Verder.).

527. Ex ecclesia Viennensi S. Romani translata in museum Lugdunense. *Chor.*

Iuliae Felicissimae | Scholasticae *Ag*ape, | quae vixit an|n(os) VII m(enses) VI | P. Iul(ius) P. f. Gal(eria) Felix et Iul(ia) | Novella parentes fil(iae) | dulcissimae et sibi vivi | fecerunt et sub ascia dedicarunt.

Grut. 653, 9 (Scal.). Chorier-Coch. p. 176. 1. FOELICISSIMAE Chor. 2. IIAPE Grut.

528. Viennae.

D. M. | L. Caecili | Pisonis, | civis Araus(iensis), | L. Caecilius | Varianus | et Valerius | Orphitus, | filii patri | piissimo et | Val(eria) Maritima | coniugi | incomparabili.

Spon, Miscell. in thes. ant. Rom. suppl. vol. IV. p. 960.

529. Viennae.

D. M. | Mercatori, | Senilis | filio, civi | Bellova*co* | Callistus, | Pompeia patrono.

Or. 191 ex Chorier, Ant. Vienn. p. 495, 1. — Orelli etiam in fine versuum 2. 3. 5. 6 lacunas indicat, ut videtur, ex coniectura. — Bellovaci, Belgicae civitas, habitabant, ubi hodie est *Beauvais.*

530. Viennae.

Belino | Sex. | Caesernius | Faustus | sevir | v(otum) s(olvit) l(ibens) m(erito). — Grut. 36, 12 (a Pigh.).

531. Viennae in museo.

D. M. | Q. Connio | Sauriae, sevir(o) | Aug(ustali), Q. Connius | Rhodochus, | sevir Aug(ustalis), | patri piissimo, | Q. Connius | Aper avo. — Descripsi.

532. Viennae in museo.

Belen(o) Aug(usto), | in memor(iam) | Marcelli et | Marcellae et | in honorem | Iuliarum | Charites et | Marcellae filiae | et Licin(i) Macron(is) | iunior(is) nepotis | C. Iul(ius) Agathopus | sevir August(alis). | L(ocus) d(atus) d(ecreto) d(ecurionum).

Descripsi.

533. Viennae.

D. M. | Aureliae Primae | L. Vibrius Eutyches, | sevir Augustal(is), | coniugi sanctissimae.

Grut. 488, 2 (Scal.). Chorier-Coch. p. 38.

534. Viennae in museo.

. . . . . . *rius* Mans*uetus*, | sevir Aug(ustalis), | *hor*ologium de su*a* *pec*(*unia*) | *dedit*, resp(ublica) a novo re*stit*(*uit*).

Chorier-Coch. p. 270. Rey, Monum. de Vienne p. I. pl. 9.

535. Viennae in museo.

. . . . | . . . . *cuius in* | *memoria*m ma*g*(*istri*) *coll*(*egi*) | fabrorum a*mici* | sui, id est Att*ius* | Saturnino *(sic) et* | Cassi*us* . . . tian(us) *eo die*, | quo ille defunc|tus est, eo quod fraudem eiusde|*m* funeneris *(sic)* fec|*erunt*, aram ponen|*dam* decreverunt. — Millin, Voy. II. 26. Rey, Monum. p. I. pl. 18.

536. Rep. Lugduni in aede S. Irenaei nunc est deperdita.

D. *ascia* M. | et memoriae aetern(ae) | C. Liberii Decimani, | civi Viennensi, naut(ae) | Ararico honorato, | utriclario Luguduni | consistenti, | Matrona, Martia|n(i) *f*(*ilia*), coniugi ka-|rissimo, qui cum | ea vixsit annis XV, | mensibus III, diebus | XV, sine ulla a|nimi laesione, | ponendum curavit | et sub ascia dedicavit.

Grut. 428, 10 (Scal.). Or. 4244. Boiss., Inscr. de Lyon 389, 2. — 9. init. NI Grut. Boiss., qui legit: *natione italica:* mutata littera I in F simpliciorem reddit lectionem.

537. Viennae in museo.

Scaenici | Asiaticia|ni, et qui in eo|dem cor|pore sunt, | vivi sibi fe|cerunt.

Millin, Voy. p. 21, unde Or. 2642. Chorier-Coch. p. 518. 'On disait *scenici Asiaticiani* les comédiens d'Asiaticus' *Millin.*

538. 'Viennae in aede S. Petri' *Grut.*

D. M. | C. Maximio Cae . . . . . | colliberto *et* con|*iugi*, negotiatori | *v*inario Viennae, | Maximia | Secundilla *uxor* | *con*(*iugi*) piissimo *et* | C. Maximius | . . . . . . | *fil*(*ius*) *patri* | sanctissi*mo*.

Grut. 645, 10 (Scal.). Chorier-Coch. p. 261, qui num ipse viderit dubito. 2. _TO·D·T·CV Grut. D·T·CN Chor. 3. init. PIONI· Grut.

PONI Chor. 6. _LLA XXI Grut. et Chor. 7. PIISSIMO FI Grut. et Chor. 9. V·C·H·VI Grut. et Chor. 10. PIETATI Grut. et Chor.

539. Viennae 'in aede Severi' *Grut.* Nunc extare videtur in museo.

D. M. | P. Vetti Gemelli, | sagari Romaneus(is), | vixit an-n(is) XXI, | mensibus VIII, d(iebus) X | P. Vettius | Profuturus filio | pientissimo. | Sit tibi, f(ili), terra | levis.

Grut. 650, 6 (Scal.), unde Or. 4275. Chorier-Coch. p. 39. 3. sagarius Rom.: 'qui saga conficit ad usum Romanum' Or., quod iam Fabretti proposuerat Inscr. p. 342, conferens pistorem Romaniensem Or. 1455, tignarios Romanenses Or. 3690=4086. Falso id vocabulum apud Chorier. ad urbem *Romans* Viennae vicinam refertur, quae medio demum aevo originem habuit.

540. 'Dans le jardin de l'ancien couvent de St. Marie à St. Colombe' *Chor.* Vicus St. Colombe oppositus est oppido Viennae.

D. M. | *et* quieti aeternae | Silvani Fortunati | Cassia Fortunata filia et | Cassia Lais marito optimo | sarcofagum et sibi viva | iuxta ludicrum iuferius. — Chorier-Coch. p. 150.

Château de Gaulas.

541. Inscriptio arae marmoreae, rep. in castello Gaulas. 'Gaulas est situé sur la commune d'Agnin à quatre lieues au sud-est de Vienne dans la pleine de la Valloire vis-à-vis du village de Chamballu, et dans la partie à l'ouest de cette colline se trouvent des restes encore très-apparents d'un camp romain.' *Mém. des Ant.*

Iovi Optimo Maximo et | caeteris Dis Deabusq(ue) | immortalibus | pro salute imperator(is) | *L.* Septimi Severi et | M. Aureli Aut*onini.*

Mém. des Ant. de France t. XIII. (1837) p. 118, unde Henzen 5653.

2. CVLARO, quae postea fuit Gratianopolis.

(Grenoble, dép. de l'Isère.)

542. Inscriptiones quae sequuntur epistylii portarum duarum Cularensium portae Viennensis et portae Romanae, postquam medio aevo ad reficienda urbis propugnacula adhibitae sunt et diu in moenibus haeserunt, nunc inde extractae et denuo in lucem sunt prolatae.

I. D(omini) n(ostri) imp(eratores) Caes(ar) Gaius Aurel(ius) Valerius Diocletianus | p(ius) f(elix) invictus Aug(ustus) et Caesar Marc(us) Aurel(ius) | Valerius Maximianus p(ius) f(elix) invictus Aug(ustus) muris | Cularonensibus cum interioribus aedificiis

pro|videntia sua institutis adque perfectis portam | Romanam Ioviam vocari iusserunt.

II. vv. 1—5 iidem sunt, atque n. I. v. 6: portam | Viennensem Herculeam vocari iusserunt.

Grut. 167, 1. 2 (Scal.). Bimard, Prolegg. ad Mur. p. 79. Champollion-Figeac, Antiquités de Grenoble p. 28 sqq. Or. 1152. Quam supra dedi, Champollionis est lectio. 1. IMP Bim. 2. PPINVICTVS Grut. AVGVSTVS Grut. Bim. ETIMP·CAES. Grut. Bim. MARCVS AVRELIVS Grut. Bim. 3. PIVS FELIX Grut. AVGVSTVS Grut.

543. Rep. Gratianopoli a. 1805.

D. M. P. Helvius Masso, | dec(urio) Viennensis, | vivos sibi.
Champoll. p. 134.

544. Rep. Gratianopoli a. 1804 in fundamentis portae Viennensis.

D. M. | C. Papio Secu|ndo, decurio|ni c(oloniae) V(iennae), intercep|tus an(norum) XXXX et | Secundano fi*lio*, | ereptus an(norum) X, | Senia Marcul(lina) | coniugi | karissimo | sub ascia | ded*i*cav(erunt).

Champ. p. 77. 6. FILLI Champ. 8. Marcullinae cogn. habes Grut. 903, 5.

545. Gratianopoli 'in via S. Iacobi' *Maff.*; nunc videtur deperdita.

T. Cassio | Mansuet(o), | flamini Vi*en(nensi)*, | *s(acerdoti) c(oloniae)*, *IIvir(o)* ae*rari*, | II v(iro) iur(i) dic(undo) | Cassia Altia | patrueli.

Maff., Gall. Ant. p. 49, unde Mur. 166, 6. Ab eodem pendere videtur Allard, ex cuius sylloge desumpserunt Bimard, Prol. p. 85. Champ. 142. Gudius 119, 18 (cfr. Henz. ad Orell. 2212). Or. 2212 = 4022. v. 3 sq. Maffei: FLAMINI·VIRB | SCRIBAEDIT Gudius: FLAMINIVIRT | S·C·TRIB·AERAR, ex qua lectione Gudiana restitui, quod supra posui. v. 3. possit etiam legi: flamin(i) iu*vent*(utis).

546. Vidit Champ. Gratianopoli.

. . . . | *IIviro* aer(ari), flam(ini) Aug(usti), III viro locor(um) *publicor(um) persequendor(um)* | parentes piissimo filio.
Champoll. p. 82.

547. 'Découvert sur la fin de l'an XII dans le massif de la tour, qui flanquait la porte Viennoise de Cularo et qui a été démolie à cette époque. Sarcophage en pierre de la plus parfaite conservation.' *Champ.*

D. M. Sex. Iul(i) Condiáni, def(uncti) ann(orum) XXV, | flá-minis Iuvéntútis, q(uaestoris) c(oloniae) V(iennae), aedil(is) | M.

Váleriús Iuliánus sócer ét | Vál(eria) Sécundillá cóniugi piissimo.

Champoll. p. 65. Orell. 2213. Renier, Mél. d'épigr. p. 67.

548. Cularone.

T. C. H | Secundo | q(uin)q(uennali) II vir(o).

Bim., Proleg. p. 85 (ab Allard.), unde Orelli 4021. Champ. p. 141 n. 64, qui quamquam legit T·H·C | QQ VIIVIR, tamen haud dubie desumpsit ab eodem Allardo. Utrum fragmentum sit an omnino male descriptum, non potest discerni.

549. Inscriptio quam Reinesius Chorieri historiam Delphinatus sequens Deae Aug. Vocont. attribuit, Champollio Cularoni. Ubi reperta sit, neuter accuratius indicat, neque iam videtur extare.

Devilliae | Atticae, | flaminicae | Herae | designatae.

Reines. p. 378, 38 ex Chorier, Hist. du Dauph. I. p. 239. Champ. p. 142 n. 68. Or. 2225. Nomen Devilliorum habes in hoc titulo Cularensi: Perpetuae ae|ternitati | L. Devillio | Lucino *patri* | et Devi*lliae* | matri ad . . . Bim., Prol. ad Mur. 108, 30. Or. 4452; quam ob rem ad Cularonem sive Viennam illam flaminicam retuli.

550. Cularone.

Hilariae Quintillae, flaminicae | Sex. Attius Miroses, sevir Aug(ustalis) | coniugi karissimae, quae vixit | mecum ex virginitate annos | XXXV, me(n)s(es) II, | d(ies) XI, et sibi vivus | fecit et sub ascia dedicavit.

Bim., Proleg. p. 87 (Chor. et All.). Champ. p. 145 n. 77.

551. Cularone 'in sinistra Isarae ripa effossus' *Bim.*

D. M. | Frontonis, | actoris huius | loci, Materna | coniugi karissimo | Rilusa patri dul|cissimo facien|dum curavit | et Eudrepites | filius parenti | optimo sub ascia.

Bim., Proleg. p. 78. Champ. p. 141 n. 63.

552. Cularone.

D. M. | P. Primitivus, | Augustor(um) | libert(us), stat(or) | Cularon(e,) et | Quartinia Mitan(a) | con(iux) | pro se et | heredibus | donum dant.

Bim., Proleg. ad Mur. p. 89, unde Or. 4015. Champ. p. 142 n. 69. 6. MITANI Champ.

553. 'Inscriptio quam Gratianopoli viderat Chifflet in aede S. Laurentii' *Bim.*

Pompeio | Pollioni, | tribun(o) | milit(um) leg(ionis) I.

Bim., Proleg. p. 94.

554. Cularone.

Dec(imo) Manio Capro, | subpraef(ecto) equit(um) | alae Agrippian(ae). | Qui *honore* sta|tuae *contentus sta*|tuam aeneam *sua* | *pecunia ponendam* | *cura*vit.

Bimard, Proleg. ad Mur. p. 114 ('ex schedis praes. Valbonaesi'). Champ. p. 142 n. 67. vv. 4—8: QVI IN AEREAM STA|TVA ...... | VT ET AENEARVM | ... | .... QVIT Bim. — QVI .... STA|TVA ..... | .. AENEARVM | ...... | Champ.

555. 'Quondam extitit in antiquo Patr. Minimorum coenobio' *Bim.*

D. M. | T. Camuli L. f. Laverti, | emeriti leg(ionis) III Gallic(ae), | honesta missione donati | ab imper(atore) Antonino Aug(usto) Pio, | et ex voluntate imp(eratoris) | Hadriani Aug(usti) torquibus | et armillis aureis suf|fragio legionis honorati | Camulia soror et Patagoria | Emerita patrono optimo | et pientissimo.

Maff., Gall. Ant. p. 69. Bim., Proleg. p. 102. Murat. 802, 3. Or. 3571. Champ. 145 n. 76.

556. Cularone.

Sex. Sammio Volt(inia) Severo | e legione prima Germanica, | qui tempore, quo milit(are) | coepit, aquilifer factus | est, an-n(os) XIII aquilifer | militavit, C. Antistio | Vetere II M. Suillio
p. Ch. 50. Ner|ullino cos. ex test(amento).

Bim., Proleg. p. 91, unde Orelli 3389. Champ. p. 143 n. 72, cuius recepi lectionem, nisi quod v. 7. NERVLLINO posui pro NERVLLIANO, quod habet Champ.

557. Cularone.

C. Vibio L. f. | Vol(tinia) Titullo | fratri.

Bim., Proleg. p. 90, 16.

558. 'Découvert en 1591 lors de la démolition de la porte Romana Iovia et existant encore dans la rue des Vieux-Jésuites' *Champ.*

M. Titio M. f. | Volt(inia) Grato.

Bim., Proleg. p. 90, 18. Champ. p. 94.

559. 'Enchassée dans le mur d'une maison' *Champ.*

Q. Scribonio | Vol(tinia) Lucullo | et Iuliae Luci | fil(iae) Gratillae | uxori. — Champ. p. 94.

560. Cularone.

P. Cassius | Hermetio | v(ivus) s(ibi) p(osuit), | IIIIII *(sic)* Aug(ustalis). — Bim., Proleg. p. 88. Champ. p. 140 n. 58.

561. Cularone.

D. M. | Q. Vet . . . Nob . . . . , | liberti | Q. Epicteti, | sevir(i) Aug(ustalis) | heredes.

Bim., Proleg. p. 88. Champ. p. 140 n. 61.

562. Cularone 'in via dicta Clericorum' *Bim.*

Sextilio Gallo IIIIII *(sic)* Aug(ustali) Attia Attici fil(ia) Bellica | coniugi sanctissi(mo) et sibi viva posterisq(ue) suis.

Bim., Proleg. p. 88. Champ. p. 141 n. 62. v. 2. SVIS FEC Champ.

563. a) Cularone 'rue Mably' *Champ.*

D. M. | T. Ael(io) Aug(ustorum) | lib(erto) Tauro | Sabinus, Marcelli|na, Taurus filii | patri piissimo | et Italica coniu|gi incomparabili. — Champ. p. 95.

b) Cularone 'à la porte de Bonne' *Champ.*

Quieti perp(etuae) | Mammiae Satur|ninae et Tauro | parent(ibus) pientiss(imis) | Ael(ia) Italica et | *T.* Ael(ius) Taurinianu|s fili de suo po|suerunt.

Champ. p. 110. 5 sq. T. quod pertinet ad vers. 6., apud Champ. est initio v. 5.

Ad a) v. 2. *Augg. lib.:* Aelii duo Augusti non fuerunt, cum et M. Aelius Aurelius (Henzen 6315) et L. Aelius Aurelius (Henzen 5200), ex quo fratres imperatores iique Augusti erant, nomen Aeliorum iam non gererent. Itaque si lectionem Champ. tueri vis, debes accipere, Taurum aut libertate quidem donatum esse ab Aeliis Caesaribus, mortuum autem, cum Augusti facti essent, aut id quod indicare possit praenomen Titi, libertum fuisse primum Antonini Pii, deinde eo mortuo transisse in domum Augustorum M. Aureli et L. Veri.

564. VIF (prope Cularonem, meridiem versus). 'On voit à l'angle sud-est du clocher de Vif cette inscription, dont les lettres ont 5 centim. de haut.' *Long.*

Ignibus | aeternis Iul(ius) | Placidianus, | v(ir) c(larissimus), praef(ectus) prae|tori, | ex voto posuit.

Long in Mém. présentés à l'acad. des Inscr. II. sér. t. II. p. 460, unde Henzen 5689. 'Ce voeu aux feux éternels peut se rapporter à la fontaine ardente qui n'est pas bien éloignée de Vif.' *Long.*

3. VICVS AVGVSTVS

(Aoste-St.-Genis, département de l'Isère).

565. Augusti.

Pro salute imp(eratoris) | Caes(aris) M. Aurel(i) Anto|nini Aug(usti) tectum, | porticus | cum suis columnis et | paenul(is) duabus et oper(e) | tecto(rio) Sex. Vireius Sex|tus decur(io) d(e)
p. Ch. 176. s(ua) p(ecunia) d(edit) | Pollione II et Afro II cos.

Maff., Gall. Ant. p. 50, unde Murat. 339, 2 et Orell. 3284. Bim. Proleg. p. 117.

566. Augusti; 'desiderantur tres lineae quasi studio erasae' *Bim.*

p. Ch. 179. . . . . | sacrum imp(eratore) Com(modo) II | P. Martio | Vero II cos.

Bim., Proleg. p. 120, 3 = Mur. 339, 4. Or. 881. Genio imperatoris Commodi dedicatum fuisse credo hoc monumentum et nomen Commodi postea erasum.

567. 'Secus viam, quae Augustum ducit, in cippo colonorum agros disterminante' *Bim.*

C. Atisius Primus, | publ(icus) XX [i. e. vicesimae] libertat(is) | p(rovinciae) G(alliae) N(arbonensis), | Aeliae Saturninae | coniugi karissimae.

Bim., Proleg. p. 133, 16. v. 2 sq. Lectionem iam Bim. invenit, nisi quod *publicanum* voluit pro *publico.*

568. Augusti.

Livi(o) Frontoni, | praef(ecto) equit(um), | IIII viro(o) iter(um) | vicani August(ani).

Bim., Proleg. p. 112, 1, unde Or. 4029. — In dissertatione quam scripsi de Gall. Narb. praetoribus municipalibus p. 27 n. 1 hunc titulum referens ad vicum Aoste-en-Diois erravi. Non est dubium, quin recte Bimard Allobrogibus vindicaverit vicanos Augustanos.

569. 'In castro toparchae Augustani.'

. . . . us praef(ectus) . . . . | . . . . rum suorum . . . . . . | *vicanis Aug*ustanis . . . .

Bim., Proleg. p. 123, 8.

570. 'Augustae Allobr. in maceria templi maximi' *Mur.*

Successus, | Silvani f(ilius), eq(ues) al(ae) | I. Aug(ustae) tur(ma) Iul(i) | Octavi, stip(endiorum) XIIII, | vix(it) ann(os) XL.

Murat. 856, 1.

570. a) 'Augusti in cippo, cui hodie superstat mensa altaris parochialis ecclesiae' *Bim.*

Ulpiae An|thusae | Agrippinens(is) | M. Aurel(ius) Adiutor | Aug(ustorum) lib(ertus) | coniug(i) karissi|mae.

Bim., Proleg. 123, 9. v. 5. Augusti Aurelii sunt M. Aurelius philosophus pater et L. Aurelius Commodus filius. cfr. supra nn. 439. 440.

b) Augusti.

Matris Aug(ustis) exs stipe annua ✱ XXXV et d . . . .

Bim., Proleg. 123, 6.

4. SABAVDIA.

Cum praeter Aquas *(Aix-en-Savoie)* et vicum Albinnensium (*Alby, Basse-Savoye*) certa locorum veterum nomina in hac regione non extent, eas, quas inde traditas inveni inscriptiones, disposui secundum locorum hodiernorum, quae titulos suppeditaverunt, ordinem, procedens a finibus Sabaudiae occidentalibus.

571. 'Au cimetière de l'église de *St. Blaise* à une lieu d'Yenne sur un ancien tombeau' *Guichenon.* Situs autem est hic locus ad ripam sinistram Rhodani.

M. Marvin*io* Mar*cello II vir(o)* | iuri*dic(undo) col(oniae) Viennae*, nau*tarum* | Rhoda*nicor*(um) *et Araricorum Lugu*|du*ni* corpor(atorum), *item navicula*|rior(*um*) *mari*timor(*um*) Val*enti*|*no*r(um) patrono. *M.* Marvinius | Marcellus filius patri | pientissimo *ponend(um) cur(avit)* | *et* s(ub) a(scia) d(edicavit).

Guichenon, Hist. de Savoye p. 30, ex schedis Alphonsi Delbene episc. Albensis et abbatis Altacombae. Titulum sive Guichenon sive Delbene pessime tradiderunt hoc modo: M. Marvino Ma . . n . . . | iuri hina . . . . . . | rhodo . u . . r . . . . . . u|dint . corpor . . . .|ri . . . itimo Val . . . . . . | ior. hi . patrono Marvinius | Marcellus filius patri | pientissimo op. c- | t. t. s. a. d.

572. a) 'Au village de *Vivier* entre Aix et Chambery dans l'église sur une pierre qui soutient l'autel. Vidi.'

Viennae
ordinem in
curuli p. f
Guichenon p. 32.

b) 'Au village de *Voglins* près de Vivier sur une grande pierre devant l'église. Vidi.'

lecto in amplissimum
ter quaestorios edili
etori legato p IV. VI me . . .
. . . . Asiae.
Guichenon p. 32.

Quae duo fragmenta, quamquam diversis locis reperta sunt, apparet tamen partes esse unius inscriptionis, quam sic lege:

. . . . *omnibus honoribus* | Viennae *functo*, *al*lecto in amplissimum | ordinem inter quaestorios, *a*edili | curuli, *pr*aetori, legato pr(*o*) pr(*aetore*) *pro*v(inciae) *Maced*(*oniae*) | *leg*(*ato*) *pr*(*o*) *pr*(*aetore*) *prov*(*inciae*) Asiae.

c) Eiusdem tituli partem continet fortasse aliud fragmentum, quod hoc modo dat Guichenon (p. 32): 'Au village de Vivier en quatre fragmens':

O | TINIA | FVNCTO | NI | M | V·L·S

573. 'Au village de *Vivier*. Vidi. Le tombeau de M. Allo était composé de deux pierres, dont l'une est au cimetière et l'autre en façon de pilier en l'une des portes du cimetière, lesquelles jointes ensemble forment cette inscription':

v. m. f. volvetino M. Alloni | Romano omnibus honorib. Vienn | allect . . . . . issimi ordin. senat. — Guich. p. 32.

v. 2 sq. supple: omnibus honorib(us) Vienn(ae) | *functo*, allect*o in ampl*issim(um) ordin(em) senat*orium* . . . .

In versu primo tribus saltem Voltinia cognoscitur. Praeterea adicit Guichenon: 'Le titre de ce sépulchre est en une autre pierre, où sont ces mots: M. ALLONI ANIVO.'

574—575. **Aquae Allobrogum** (Aix-en-Savoye).

574. 'Pingon lut sur un marbre, que je ne pus trouver':

D. M. | D. Titi Domitini | possessor(es) Aquenses | et D. Titius Domitin(us) | patri.

Abauzit, Oeuvres divers. II. p. 109. Possit dubitari de sinceritate huius tituli, at potius male descriptum iudicaverim quam falsum; correxerim enim v. 3. *possessor*(*is*) *Aquensis* omiserimque v. 3. *et*.

575. 'Dans la basse rue d'Aix':

D. M. | Titiae | Crispinae | D. Titius Apolaustia*nus* | sevir Aug(ustalis). — Abauzit, Oeuvres divers. II. p. 110.

576. 'Au monastère d'Hautecombe (prope Aquas) dans le cloître sur une grande auge de pierre. Vidi.' *Guich.*

Numini Aug(usti) sacrum . | . . . . . . C. fil(ius), Voltin(ia) Sabinus.

Guichenon p. 29. Abauzit, Oeuvres II. p. 110. v. 2. *C. Fl* . . . . . *Voltin.* Abauz.

577. 'En l'église du village de *St. Innocent* au pied de la muraille de la porte sur une grande pierre':

*praef(ectus) f*abr(um), flamen templum | . . . . | . . . TIPSVS ornamentisque | . . . . .

Guichenon p. 33 (ex schedis Alf. Delbene).

578. 'Au village de St. Innocent au pied de la tour des prisons':

C. Vibrio . *f.*, *Volt(inia)* | Punico praef(ecto) | equitum | . . . . p*raef(ecto) coh*or(tis) I. Bri*|tan(nicae)* mi*l(iariae)*, pra*ef(ecto) coh(ortis)* . . . | C. Vibrius *P*unicus | M. OCTAVIAN·NW | patri.

Guichenon p. 33, qui tradit: v. 1. AVOI 4 sq. . . . . IMOPI . . . ORI . B | . . . NI II . PRAIOR4AI | 6. IVNICVS Guich.

579. Vicus Albinnensium. Inscriptio, quae extat in vico St. Marcel inter oppida Rumilly et Alby.

C. Sennius C. f. Vol(tinia) Sabinus, praef(ectus) fabr(um), | balineum, campum, porticus ac(?) aquas iusque | earum aquarum tubo ducendarum, ita ut recte | praeterfluere possint, vicanis Albinnensibus d(e) s(uo) d(edit).

Abauzit, Oeuvres II. p. 112. Maff., Gall. Ant. p. 21, unde Mur. 485, 3. Or. 199.

580. 'Au village de *Fontaines* entre Gresy et St. Pierre d'Albigny, sur divers fragmens d'un ancien monument. Vidi.' *Guichenon.*

*f*il. Volt(inia) T . . . . | . . . . *f*il. Volt(inia) . . . . | *ii vir*(o) *aerar(i) Viennae*, *iii*|vir(o) loco(rum) pub(licorum) perseq(uendorum) | . . . . . aurianus.

Guichenon p. 33, qui tradit v. 3. VI. IIVERIVS. Initium utique male descriptum est.

581. 'Au village de *Gresy* entre Montailleur et St. Pierre d'Albigny au cimetière. Vidi.'

. Martius Taurinus | praef(ectus) fabr(um) II, | praef(ectus) *coh(ortis)* III Gal*lo*(rum), | trib(unus) mil(itum) *l*(egionis) VI. victr*i*-*c(is)* | vivos sibi.

Guichenon p. 33, qui tradit v. 1. IMARTIVS. v. 4. R. VI. VICTOR.

582. 'À *Passy* près de Sallanche.'

Marti Aug(usto) | pro salute | L. Vibi L. fil(i) | Flavini | L. Vib*i*us Vestinus | pater, | II vir iur(i) dic(undo), | III vir lo-cor(um) p(ublicorum) p(ersequendorum) | ex voto.

Guich. p. 35 ('misit P. Fichet ex societ. Iesu').

583. Ibidem.

Marti *Aug(usto)* | A. ISVCTVS A. f. | Volt(inia) *M*aturus, | flamen Aug(usti) | II vir aerari | ex voto.

Guichenon p. 35 ('misit P. Fichet'). v. 3. VATVRVS Guich.

584. '*À Anemasse en Genevois* au devant de l'église. Vidi.'

D. M. | et memoriae a*etern*ae | Tiberiae Maximae Aurelius | Romanus pro*cura*tor ducenarius | coniugi incomparabili.

Grut. 531, 2. Guich. p. 38, qui habent 2. ATTINIAE. 4. PROTECTOR. 3. nomen quoque feminae male videtur descriptum.

585. 'Au château de *Gresy en Genevois* en une chapelle sur une pierre de roche.'

. . . dario | . . . *f*., Volt(inia) | . . . . vasto.

Guich. p. 38 (ex schedis Alf. Delbene).

586. 'Au monastère de Taloire sur une grande pierre de marbre. Vidi.' *Guich.* 'Au vieux Annecy, jadis Bautae sur la voie militaire tirant vers Darantasia'. *Abauzit.*

Horologium cum suo aedificio et | signis omnibus et clatris | C. Blaesius . . fil(ius), Voltinia, Gratus ex HS n(ummum) . . ., | et eo amplius ad id horologium admini|strandum serv(u)m HS n(ummum) $\overline{\text{IIII}}$ [i. e. quattuor milium] d(e) s(ua) p(ecunia) d(edit).

Guich. p. 39, unde Mur. 472, 5. Orell. 3299. Abauzit, Oeuvr. II. 114. 5. SERVVM *Abauzit.* Orelli interpretatur: SERV*andum*; at plus valet, accipere servum, qui horologium administraret. cfr. Becker, Gallus p. 306 sq. (2. Aufl.).

5. GENAVA *(Genève)*.

Vicus Genava qua ratione Allobrogibus adnumerandus sit, exposuit Mommsen in Inscriptionibus Confoederationis Helveticae p. 11. Idem cum in eodem libro (numm. 62—127) titulorum Genavensium syllogen fecerit, equidem autem neque ipse Genavae fuerim neque alia ulla ratione novos titulos Genavenses acceperim, Steineri vero inscriptiones (Inscr. Danub. et Rheni III. p. 225—250) neque copiam titulorum neque criticam rationem auxerint, nihil restitit nisi ut quascunque inter illas inscriptiones Mommsenianas ad huiusce libri usum idoneas inveni, hoc loco reciperem. Quod si ita institui, ut neque de iis inscriptionibus, quae in ipsa urbe Genava sive extant sive extiterunt, loci indicationem apponerem neque lectionis darem varietatem, recte fecisse ideo mihi videor, quod et iis, quae Mommsen proposuit nihil habeo quod novi adiciam et qui criticam harum inscriptionum rationem tractare volunt necesse est ipsum adeant librum Mommsenianum. Ubi igitur loci deest indicatio, Genavae titulum extare intellegas.

587. Numinibus | Aug(usti) | et dom(us) div(inae) | Victor, Aug(usti) | lib(ertus) p(osuit) p(ecunia) s(ua).

Mommsen, Inscr. confoed. Helv. n. 74.

588. Loc(us) empt(us) | ex d(ecreto) d(ecurionum), | factus privat(us), | ita ut consaept(us) est . | . . . . Florus scribit.

Momms. l. l. n. 86. v. 3. Qua ratione agri municipiorum loco privatorum sive *agri soluti* sint, exposuit Rudorff in Schriften der roem. Feldm. II. p. 254.

589. Titulus eidem homini Genavae bis positus iisdemque verbis conceptus. Cuius inscriptionis alterum exemplum nunc est deperditum nec nisi libris traditum est, alterum extat adhuc in museo Genavensi, sed minus bene conservatum. Itaque satis habeo unum proponere illud, quod integrius ut non conservatum, ita traditum est.

L. Iul(ius) P. f. Vol(tinia) Brocchus Val(erianus) | Bassus, praef(ectus) fab(rum) bis, trib(unus) mil(itum) | leg(ionis) VIII Aug(ustae), II vir iur(i) dic(undo), III vir loc(orum) | p(ublicorum) p(ersequendorum), augur, pontif(ex), II vir, flamen in col(onia) Equestr(e) | vicanis Genavensibus lacuus *(sic)* d*at*.

Momms. n. 84; alterum exemplar (ibid. n. 83). v. 4 sq.: *in* col. Equestre vikanis. — Colonia Equestris sive Novidunum hodie est Nyon.

590. T. Iul(io) T. fil(io) Corn(elia) Valeriano, | patrono co-lon(iae), II vir(o) aer(ari), III vir(o) | locor(um) p(ublicorum) per-sequendor(um), trib(uno) milit(um) | leg(ionis) VI. victr(icis), praef(ecto) fabr(um) V, flam(ini) Aug(usti), | pontifici | Iulia, T. f., Vera patri optimo.

Momms. n. 91. — 1. Cornelia tribus est coloniae Equestris. cfr. Momms. nn. 119. 120. 122.

591. D. Iul(io) D. f. Volt(inia) Capit*oni*, | auguri, II viro aerar*i*, | flamini Martis, t*rib*(*uno*) | milit(um).

Momms. n. 90. cfr. supra nostros Viennenses titulos nn. 509—511.

592. Novioduni.

D. Iul(io) L. f. Vol(tinia) Ripano | Capitoni Bassiano, | equo publico honorato, | praefect(o) fabrum, | trib(uno) mil(itum) co-h(ortis) I Gal*l*(*orum*), I *H*isp(anorum) | L. Iul(ius) Brocchus | Valer(ianus) Bassus | filio.

Momms. n. 116, qui Iulios titulorum 509—511, 589, 591, 592 ita inter se discernit, ut patrem dicat L. Iulium P. f. Brocchum (n. 589), filium hunc D. Iul., L. f., Ripanum (n. 592), nepotem D. Iul. D. f. Capito-nem (nn. 509—511. 591).

593. Rep. in vico *Prangins* prope *Nyon*.

C. Iul(io) C. f. Volt(inia) | Sedato, | II vir(o) iterum, | fla-m(ini) Aug(usti), L. Iul(ius) Capito amico | optimo.

Momms. p. 20 n. 118. Inscriptio pertinet ad coloniam Equestrem sive Noviodunum, sed tribus Voltinia hominem origine Genavensem indicat.

594. . Riccio T. fil(io) | Vol(tinia) Frontoni, | II vir(o) ae-rari, | *he*r(edes) ex testamen*t*(*o*).

Momms. n. 89. Supplementa sunt Mommseni.

595. G. Ars*inio* Marciano, op|timo iuveni et pientis|simo, officio inter con|vicanos suos func|to aedil(itatis). Hunc mihi | inique inimica manus ab|tulit coniugem carum | et parentibus infelicissi|mis post ceteros uni|cum natum, Atis Maria coiugi aman|tissimo et merentissimo.

Momms. n. 87; titulus plurimis litterarum nexibus insignis est.

596. . Arutio, Cn. f., Celeri, | *prae*f(ecto) cohortis | *Lu*-sitanorum. — Momms. n. 79.

597. . . Blandio C. *f.* | Vol(tinia) Latino, 7 [centurioni] leg(ionis) | I Ital(icae), 7 leg(ionis) II Aug(ustae), 7 leg. | VIII Hispan(icae), 7 leg. XX | . . . *d*onis dona*to* . | . . . . . .

Momms. n. 77.

598. 'Affixa ecclesiae catholicae vici Carouge prope Genevam' *Momms.*

scutum et hasta.

M. Carantius Macrinus, centurio coh(ortis) | primae urbanae, | factus miles in ead(em) cohorte Domitiano II cos., | beneficiar(ius) Tettieni Sereni, leg(ati) Aug(usti) Vespas(iani) X(?) cos., | cornicular(ius) Corneli Gallicani leg(ati) Aug(usti) equestrib(us) | stipendis Domit(iano) VIIII cos., item Minici Rufi legati Aug(usti), | evocatus Aug(usti) Domit(iano) XIIII cos., centurio imp(eratore) Nerva II. cos., t(estamento) p(oni) i(ussit).

Momms. n. 78. Consulatus sunt v. 3. anni p. Ch. 73. v. 4, ubi lapicidae errorem esse et mutandum in IIX notat Mommsen, a. p. Ch. 77, v. 6 a. 83, v. 7 annorum 88 et 90.

599. Deo invicto | Genio loci | Firmidius Se|verinus, mil(es) | leg(ionis) VIII Aug(ustae) p(iae) f(idelis) | C(onstantis) C(ommodae), stip(endiorum) XXVI, aram | ex voto pro salute | sua v(oto) s(olnto) l(ibenter) m(erito) posita*m* | Muciano et Fabiano cos. p. Ch. 201.

Momms. n. 64. v. 6 supplementa sunt Mommseni.

600. 'Landecy à une lieue de Genève' *Abauzit* (apud Momms.).

P. Decius, Troucetei Vepi f., | Voltin(ia) Esunertus | C. Marcio Censorino | cos. — Momms. n. 80. a. Ch. 8.

601. C. Craxsio | Volt(inia) Hilaro, | annor(um) XXV, | Vitalio pater | filio karissimo. — Momms. n. 95.

602. In ecclesia catholica vici Carouge.

D. M. | D. Iulio, D. | Iuli Festi | fil(io), Volt(inia) Mod|estino, patrono | pientissimo liberti | eius curaverunt.

Momms. n. 97.

603. Q. Stardius Macer, | C. Stardius Paratus, | C. Albucius Philogenes, | C. Statius Anchialus, | C. Novellius Amphio, | P. Cornelius Amphio | IIIIII viri.

Momms. n. 92.

604. Sexto Attio | Carpophoro | sevir(o) Augu*stal(i)* | . . . . ieria Castu . . . . — Momms. n. 88.

605. Deo Silva|no pro salu|*t*e ratiarior(um) | superior(um), a|micor(um) suor(um) | pos(u)it L. Sanct(ius) | Mar*c*us, civis Hel-(vetius), | v(otum) s(olvens) l(ibens) m(erito); | d(ono) d(atum).

Momms. n. 75, cuius sunt supplementa.

606. Diis Manib(us) | Sex. M . . . . . . | atro . . . vi . . | sagar . . . nI . . | Narcissus . . an . . — Momms. n. 109.

XXIV. MASSILIA.

(Marseille.)

Paucissima antiquitatis monumenta, quae post tot mutationes, quas subiit solum Massiliae, et post saeculi proximi turbas civiles conservata sunt, Massilienses nunc congesserunt in museum urbis. Et lapidum quidem inscriptorum maior pars christiana est et prodiit ex crypta ecclesiae Sancti Victoris; plures tamen Romanae antiquitatis lapides reperti sunt a. 1837 prope portum, quo tempore ea pars portus est constructa, quae vocatur *le bassin du carénage;* quaedam denique accesserunt ab Arelate huc translata, ex quibus quae ad huius libri usum idonea reperi, dedi inter Arelatensia.

607. Inscriptio in lapide nigro insculpta; Massiliae reperta nunc extat in museo Aveniensi.

Germanico CaesarI, Ti*b*(*eri*) *Caes*(*aris*) *Aug*(*usti*) *f*(*ilio*), | L. Valerius, | L. Tonneius, L. f., | A. Mevius, | magistrI larum
p. Ch. 18/19. Augu*st*(*orum*), | anno V. Ti(beri) Caes*aris* *Aug*(*usti*).

Descripsi. Quae deest lapidis pars dextra, vv. 2—4 cognomina fortasse magistrorum indicavit.

608. 'Dans une des caves antiques de l'Abbaye St. Sauveur' *Grosson.*

Τ(ίτῳ) Πορκίῳ, Πορκ(ίου) Λουκι|λιανοῦ ἐξοχωτάτου ἀνδρὸς | καὶ προφήτου υἱῷ, Κυρείνᾳ, | Κορνηλιανῷ, ἱερεῖ Λευκοθέας, | χειλιάρχῳ λεγ(εῶνος) ιε' Ἀπολλιναρ(ίας), | χειλ(ιάρ-

χῳ) κοόρτ(ης) ϑ Βαταο[ύ]ων, | πραιφέκτ(ῳ) σπείρ(ας) β Οὐλπ(ίας) [Αὐ]ρηλ(ίας), | πραιφέκτ(ῳ) σπείρ(ας) δ Γάλλων, | πραιφέκτ(ῳ) σπείρ(ας) Δαρδάνων, | πραιφέκτ(ῳ) ἐξπλωρ(ατόρων) Γερμανικῶν, | ἐπιτρόπῳ πρειουάτης διὰ ⅃Φλαμινίας, Αἰμιλ(ίας), Λιγυρίας, | ἐπιτρόπῳ καὶ ἡγεμόνι | τῶν παραθαλασσίων Ἄλ[π]εων.

Grosson, Monum. Marseill. pl. 42 n. 3. Grut. 458, 1 (Scal.). Corp. Inscr. Gr. n. 6771 ex schedis Viscontii in Magas. encyclop. 1799. t. V. p. 100; cuius apographum secutus sum.

609. Grossoni aetate inclusa in muro claustri fratrum Augustinorum nunc extat in museo Aveniensi.

L. Dudistio L. f. Vol*t(inia)* | Novano, | pontif(ici) Laurentinorum, | orn(amentis) flamin(i) colon(iae) Aquens(is) | exorn(ato), praef(ecto) alae Hispanae, | adiutori ad census provin*c*(iae) | Lugudunens(is), proc(uratori) Aug(usti) Alpium | Cottian(arum), Dudisti Eglectus *(sic)* et | Apthonetus *(sic)* patrono optumo.

Descripsi. Grosson, Monum. Marseill. pl. 39 n. 3. Grut. 403, 5 (Scal.). Renier, Mélanges d'épigr. p. 59. v. 6. PROVINO in lapide est.

610. Inscriptio duorum cipporum aequalium alt. 9′ 2″, quos Massilia Vintium translatos esse refert Millin.

I	II
. . . .	. . . .
. . . *respublicae*	Massilien-
sium et Nicaeen	sium
curante ac	dedicante
Iul(io) Honorato	proc(uratore) Aug(usti), ex
p(rocuratore) *et* praesid(e) Alp(ium)	Maritimarum.

Millin III. p. 14 sq., minus bene Murat. 1057, 5 sq. (Joffredi). I. 5. P. P. PRAESID. Mill. Agi de communi et Massiliensium et *Nicaeensium* dedicatione probat et dispositio litterarum, qualis per ambos cippos procedit, et procuratoris Alpium Maritimarum mentio, sub cuius imperio erant Nicaeenses. cfr. Strabo IV. p. 184 C.

611. 'En la cour de l'évêché de Nice au rapport de l'historien de cette ville' *Bouche.*

C. Memmio Macrino | q(uaestori) II vir(o) Massil(iensi) (?), item | praefecto pro II viro, q(uin)q(uennali), | agonothetae, | episcopo Nicaeensium, | amici.

Spon, Recherches d'Ant. p. 193, 2. Bouche p. 88, quibus nituntur Murat. 626, 1. Or. 4024. Versus 2. sic traditus est a Sponio: Q. IIVIRO. MASSIL. Q. Q. ITEM, a Bouchio: Q. IIVIR. MASSIL. Q. IIVIR. Q. Q. ITEM. Restitui ita, ut aliquem sensum haberet lectio; at ne quod restitui quidem verum credo; immo si non universum titulnm, utique honores illos *Massilienses* pro falsis habeo.

612. Massiliae.

Deo Apollini | L. Ael(ius) Nymphi|cus, sevir.

Murat. 22, 1 (Bim.).

613. Rep. Massiliae in litore nunc extat in museo eius urbis; cum vero et aqua marina corrosum esset hoc monumentum et parum commode collocatum, inscriptionem non potui nisi aegerrime legere neque ex omni parte recte me descripsisse confirmaverim.

Cn. Val(erio) Cn. f. Quir(ina) | Pompeiano Valeriano, | equo p(ublico) honorato | a sacratissimis imp(eratoribus) | Antonino et Vero | Aug(ustis), *a*ug(uri) p*e*rpetuo, | ob q(uem) hon(orem) HS Ͻ [i. e. centum milia] n(ummum) . . dedit | agonothet*ae* agoni*bus* | *propone*ndis (?), p*atrono opti*me | de se merito cent*on(ari)* | corp(orati) Massil(ienses) *im*p*ensa sua*.

Descripsi. Tribus Quirina ex Alpibus Maritimis oriundum esse Valerium videtur probare.

614. 'Dans les caves antiques de l'Abbaye de St. Sauveur' *Grosson*. Ceterum cum ipse Grosson Sponium excripserit, illius aetate iam non videtur lapis extitisse.

. . . . flamin(i) | col(oniae) Reior(um) Apoll(inarium), | p*a*t(rono) Re*iens(ium) civ(ium) su*orum | et de*ndroph(ororum) Massil(iensium)*, | dendroph(ori) Massil(ienses). *Is honore content*|us statuae impendium *ut* | redderet, *die* dedicationis ✕ II | *nomine* sportularum corporatis dedit.

Spon, Miscell. in Thes. Ant. rom. nov. suppl. IV. p. 1003 ex schedis Peirescii. Ex Sponio neglegenter descripsit Grosson, Monum. Mars. p. 287 sq. v. 7. Possit etiam legi: impendium | redd(idit) et *die* etc. — Versuum distributio haud dubie alia est in lapide.

615. 'Trouvée à Marseille en creusant le bassin du Carénage, déposée au musée en août 1837, longueur m. 1, 48, largeur m. 0, 30. *Catalog. musei.* Extat adhuc in museo.

EtrIlia LaeTa SyriacI, | ex Hispan(ia) Baet(ica) Italicensis, III *milia* p(assuum) de | M(assilia) via Aquensi. — Descripsi.

616. 'Aeri incisa in palma manus dextrae muliebris aëneae quae longa est 8″ 4‴; digiti medius et annularis deperditi sunt. Locus quo reperta est, non est proditus.' *Corp. Inscr. Gr.*

Σύμβολον | πρὸς | Οὐελαυνίους.

Corp. Inscr. Graec. n. 6778 (ex Montfaucon., Ant. expl. III. part. II. p. 362 tab. 197 et Caylus, Rec. d'Ant. V. tab. 55), ubi qui edidit Franz pro tessera hospitalitatis hanc dextram fuisse exponit. Velaunii 'pertinent ad Galliam Aquitanicam regioque nunc *Vélay* appellatur. De civitate, unde dextra missa est, non constat, graecam fuisse patet, unde titulum in vicinitate Massiliae ponendum duximus.' *Franz.* Cfr. de Velauniis Caes. B. G. 7, 75. Strabo IV. 190 C.

617. In Asiae minoris oppido Foggia Vecchia, quae olim fuit Phocaea, metropolis Massiliae.

Ἡ Τευταδέων φυλὴ | Φλαουΐαν, Μόσχο[υ] θυγατέρα, Ἄμμιον | τὴν καλουμένην Ἀρίστιον, ἀρχιέρειαν | Ἀσίας ναοῦ τοῦ ἐν Ἐφέσῳ πρύτανιν, στεφανηφόρον | δὶς καὶ ἱέρειαν τῆς Μασσαλίας, ἀγωνοθέτιν, τὴν | Φλαουΐου Ἑρμοκράτου γυναῖκα, ἀρετῆς ἕνεκεν | καὶ τῆς περὶ τὸν βίον κοσμ[ιό]τητός τε καὶ ἁγνείας.

Spon, Miscell. p. 349 n. 83, unde Corp. Inscr. Gr. n. 3415. 2. *Μόσχον* traditum est; *Μόσχου* corrigendum esse, notavit iam Spon. 7. *κοσμώτητος* Spon. *κοσμιότητος* corr. Corp. Inscr.

618. Reperta in oppido Foggia Vecchia a Dawkinsio translata est in Angliae urbem Oxford, ubi nunc extat. 'Marmor in medio perforatum formam habet molaris saxi' *Marm. Oxon.*

Ὁ δ[ῆμος] | Δημήτριον, Δημητρίου, Γάλλον τὸν πρύτανιν | καὶ στεφανηφόρον καὶ ἱερέα τῆς Μασσαλίας τὸ γ' | ἥρωα, [ἐπι]μεληθέντος τῆς γυμνασιαρχί[ας [καὶ τῶν . . . . . ω]ν τειμῶν Λουκίου Ἀουιδίου | λ[ειτου]ργί[ας] . . . . υράσγος νέου (?).

Marmora Oxoniensia, Oxonii 1763 II. p. 75 n. 44; ibid. Syllab. p. XIV.; inde Corp. Inscr. Gr. 3413, cuius recepi supplementa et emendationes. 4. ΗΡΩΑ Π . . . ΜΕΑ etc. Marm. Ox.

XXV. LAPIDES MILIARII.

Lapides miliarios quos per Narbonensem provinciam repertos sive ipse descripsi sive in libris descriptos inveni, ita hoc loco propono, ut distribuam ad ordinem viarum, per quas reperti sunt. Quinque autem maiores Romani per Galliam Narbonensem muniverunt vias, Aureliam a Varo flumine Arelatem, Domitiam ab Arelate occidentem versus, viam ab Agrippa secundum Rhodanum ductam, duas denique vias ex Italia per Alpes stratas, ex quibus una per Alpes Cottias, altera per Alpes Graias ferebat; quae quinque viae maiores quomodo et inter se et cum viis extra provinciam ductis fuerint coniunctae, ex tabula Peutingeriana potest erui. — Ordinem vero lapidum cuiusque viae ita a nobis habes institutum, ut ad temporis rationem singuli enumerentur, ipsis autem lapidibus brevis praecedat commentarius. De veteribus itinerariis, quibus qui Galliae Narbonensis geographiam volunt illustrare, maxima ex parte pro fundamento niti debent, longius agere huius loci non est. Ceterum hic quoque non possum non dolere, quod non contigit mihi, conferre dissertationem illam, quam scripsit Léon Renier in *Annuaire de la Société des Antiquaires de France pour 1850* de ea itinerariorum veterum parte, quae pertinet ad Galliam.

1. VIA AVRELIA.

Viam Galliae Narbonensis Aureliam, sive extremam partem eius viae, quae Roma ducebat Arelatem (itiner. Anton. 289, 3 sqq. Wess.) Romani, cum initio Massiliensibus curandam permisissent, postea prorsus inter publicas imperii sui vias receperunt. Quae via cum tractu principali a Varo flumine per Forum Iulii, Aquas Sextias, Massiliam ferret Arelatem, ad eundem finem per compendium ducebat ab Aquis Sextiis per Glanum et Ernaginum. Descriptum autem habes tractum principalem itin. Anton. p. 297, 1 W. — 299, 4, viam breviorem Aquis Sextiis Arelatem in tabulae Peutingerianae segmento II. D, cum quibus conferendus est Geogr. Rav. p. 243 sq. 393 sq. (Pinder et Parthey). Numerabantur vero lapides a Roma quidem uno tenore usque ad fines

provinciae sive fortasse usque ad Forum Iulii; quod probat lapis Henzenianus n. 5101, ut qui Monaci in Italia repertus numerum indicet DCI; atque si ibidem indicatur, inter *la Chiappa* prope *Diano* et *le Pujet* prope *Fréjus* reperta esse octo miliaria illi simillima, hanc similitudinem sic interpretor, reperiri hos lapides usque ad viciniam Fori Iulii eadem ratione numeratos, atque illum Monacensem. Contra inde a Foro Iulii Aquas Sextias versus novam incepisse numerorum seriem demonstrat unus ex lapidibus nostris (infra n. 619), qui repertus in ipso vico *le Pujet* sive ultra Forum Iulii numerum exhibet IV; distat autem ille vicus re vera quattuor milibus passuum a Foro Iulii. Ad hunc numerum quo modo quadret alter ex lapidibus huius regionis qui numerum indicat XXXIIII (n. 624), infra ad ipsum lapidem dicetur. In ea deinde huius viae parte, quae ab Aquis Sextiis per compendium ducebat Arelatem numeros incepisse ab Arelate, demonstrant lapides reperti per campum petrosum *(champ de la Crau)*. De altero tractu superioris quidem aetatis desunt lapides, qui testentur; posteriore autem aetate numeri inceperunt ab Arelate, ut diserte indicat noster n. 625, qui positus est a. p. Ch. 435, atque ratione numerorum viae illius brevioris verisimile est, eandem rationem semper obtinuisse in tractu quoque principali. — Denique notandum est, ab ipsius viae Aureliae mansione Foro Voconii in tabula Peutingeriana procedere viam minorem conducentem Reios Apollinares.

Ductum autem et totius viae Aureliae et viae brevioris a Foro Voconii procedentis nuperrime illustravit Rabou in Revue archéol. 1861 p. 112—128; ubi cum itineraria quidem vetera et locorum quae hodie ibi sunt, condicionem optime et diligentissime pertractaret, lapidum autem non nisi obiter rationem haberet, ne is quidem omnia explanavit.

A) Foro Iulii Aquas Sextias.

619. 'Puget ad Forum Iulii in templo parochiali S. Andreae' *Bergier*. 'Au Pujet une pierre milliaire attestant le passage de la voie a longtemps supporté la coquille du bénitier, et a fini par être creusée en auge pour servir aux fonts baptismaux.' *Rabou.*

Imp(erator) Caesar Divi f. | Augustus imp(erator) XI | tribunitia | potestate XI | IIII. a. Ch. 12.

Bergier in Graev. Thes. Vol. X. p. 305 (a Peirescio). Murat. 442, 6 (ex Donio). cfr. Eckhel VI. p. 143, qui hoc titulo nitens ad annum a. Ch. 12 refert titulum Imperatoris XI, explicans victoria a Tiberio de Pannoniis relata. Dio 54, 33. — Rabou, Rev. archéol. 1861 p. 120 locum tantum, ubi sit, indicat, ipsum titulum non dat.

620. 'En face du golfe Juan, non loin de l'endroit où débarqua Napoléon I[er], au bord de la route impériale, a été trouvée, il y a peu de temps, une borne milliaire, sur laquelle j'ai lu l'inscription suivante':

Tib. Caesar | Divi Aug(usti) f. Aug(ustus) | ponti*f(ex)* ma-
p. Ch. 30/31. xim(us) | trib(*unicia*) potes*t*(*ate*) XXXII | viam refecit.

Rabou, Rev. archéol. 1861 p. 117. — Litteras, quas supplevi, desiderari Rabou quidem non indicavit, sed facile conieceris. Versum 5. litteris inclinatis maioribus expressit Rabou, ut discerni non possit, utrum in lapide sic legatur an ipse suppleverit.

621. Fori Iulii. 'Dans la maison de M. Michel, négociant, qui appartenait autrefois à M. Girardin, auteur de *l'Histoire de Fréjus*, est une inscription dont la moitié est couverte par un petit mur: nous obtinmes la permission de faire enlever la pierre.' *Millin.*

Nero Cla*udius* | DIvI Cla*udi* *f*(*ilius*), | Germanici *Caesaris* | n(epos), Ti. Caesaris *pro*|nep(os), DIvI Aug(usti) *a*bnep(*os*) | Cae-
sar Au*g*(*ustus*) | Germanicus p*ont*(*ifex*) | max(imus), tr(ibunicia)
p. Ch. 58. pot(estate) IIII, imp(erator) II, | cos. III, p(ater) p(atriae) restit(uit).

Millin II. p. 492. — Eiusdem lapidis aliud exemplar integrum, nec nisi versuum distributione ab hoc differens, quod repertum est in vico *le Luc*, dedit Bergier in Graev. Thes. X. p. 305 (Peiresc) = Murat. 445, 5. 2007, 3 (Maff.), unde Orelli 728. Tertium exemplar Rabou l. l. p. 124 indicat repertum esse in via publica prope vicum *Tourves* et anno 1745 collocatum in castello comitis de Valbelle prope Tourves.

622. Fori Iulii eodem loco a Millino visus quo lapis praecedens. 'Elle sert de support à une treille, est très dégradée et barbouillée de plâtre.' *Millin.*

		restitue:
		imp. caesar
	AEL	*t.* AEL*io* . *ha*
	AN	*dri*ANO . *anto*
	AVGIPIMP	*nino* AVG · *PIO* · *P* · *P* ·
	NIMAX	*po* NT · MAX · *trib.*
p. Ch. 145.	VIII	*pot.* VIII *cos. iiii*
	V	*m. p.* V . . . .

Millin II. 493, qui v. 3. dicit IPIMP non certo legi.

623. 'Magnificus cippus, qui Forolulii est in interiore palatii episcopalis impluvio. In sex aut septem alios id genus titulos incidi inter Forumiulii et Aquas Sextias, sed ita exesos, ut ea fragmenta referre nihil iuvet.' *Maff.*

Restitutor(i) orbis | imp(eratori) Caes(ari) | L. D(omitio) Aureliano | pio fel(ici) invicto | Aug(usto), pont(ifici) | max(imo), Germ(anico) max(imo), | Got(ico) max(imo), Part(hico) max(imo), | trib(unicia) p(otestate) IIII, cos. II, | p(atri) p(atriae), proco(n)-s(uli). p. Ch. 273.

Maffei, Gall. Ant. p. 36, unde Murat. 461, 3. Orelli 1030. v. 8. COS. III Maff. quod mutandum esse in COS. II monuit Henzen in Ind. ad Or. p. 79.

624. 'In templo S. Pontii, in pago *Cabasse*, in duobus eiusdem columnae fragmentis sub ara S. Antonii' *Bergier*. 'Dans le cimetière de Cabasse se voit encore une pierre milliaire marquée XXXIIII, placée sous l'empereur Constantin.' *Rabou*, Revue arch. p. 123.

Imp(eratori) Caes(ari) | Fl(avio) Val(erio) | Constan|tino, p(io) f(elici) | Aug(usto), | Divi Maximi|ani | Aug(usti) | nepoti, | Divi Con|stanti Aug(usti) | pii | filio | XXXIIII.

Bergier in Graev. Thes. X. p. 305 (Peiresc). Mur. 463, 7 = 2011, 6 (Bouche). Orelli 1095. v. 10. CONSTANTINI Or. — Quamquam non diserte traditum est, ubi erutum sit hoc miliarium, tamen quin haud longe a vico *Cabasse* steterit, non potest esse dubium; numerum XXXIIII revera in lapide esse, apparet ex iis, quae dicit Rabou. Vicus autem Cabasse rectissima via abest a Foro Iulii 41000 metra Gallica sive 27 vel 28 milia passuum Romanorum, ideoque cum longior utique per viam Aureliam fuerit distantia, ex hac quoque parte nihil obstat, quin numerum XXXIIII accipias ut vere indicantem, quantum interfuerit per viam Aureliam inter vicinam vici Cabasse et Forum Iulii. Iam vero hunc vicum *Cabasse* sive eodem loco sive prope eundem locum fuisse, quo fuit olim pagus Matavo, demonstrat titulus, quem supra dedimus n. 385; Matavo autem commemoratur et in itinerario Antonini (298, 2 Wess.) et in tabula Peutingeriana (segm. II. D), atque haece sunt, quae ibi indicantur mensurae:

Matavone Forum Voconii: tab. Peut. m. p. XXII itin. Ant. p. 298, 1 XII
Foro Voconii Forum Iulii: tab. Peut. m. p. XVII itin. Ant. p. 298, 2 XII (sic Pinder et Parthey ad fidem omnium codicum.)
Matavone igitur Forum Iulii: tab. Peut. m. p. XXXIX itin. Ant. XXIV

Et itinerarii quidem Ant. mensura non solum discrepat a miliario nostro, sed falsam eam esse probant etiam, quae attuli de rectissima inter Matavonem et Forum Iulii distantia; tabula autem Peut. nimis differt a lapide hoc nostro. Verum cum legas apud Ciceronem ad fam. X.

17: *Lepidus ad Forum Voconii castra habet, qui locus a Foro Iulii quattuor et viginti milia abest*, non modo Wesseling in editionem suam itinerarii recepit p. 298, 2: XXIIII, sed etiam Rabou et hanc Wesselingii lectionem, quam solam cognovit, et numerum XII in itin. Ant. p. 298, 1 defendit contra numeros tabulae Peut., probans ex locorum condicione, XXXVI milia passuum afuisse Matavonem a Foro Iulii. Atque id utique apparet, non solum mensuram, quam Planci ad Ciceronem epistula dat, fide digniorem esse quam quod legimus in itinerariis veteribus, sed etiam miliarium hoc nostrum non esse corrigendum ex itinerariis, immo et ipsum ad diiudicandam horum lectionem adhibendum; ideoque hoc lapide primum tabula Peutingeriana refutatur, deinde probatur, in itinerario Ant. 298, 2 corrigendum esse: XXIIII. — Constitutus ergo fuit lapis noster duo milia passuum ante Matavonem.

B) Arelate Aquas Sextias.

a) per Massiliam.

625. Inscriptio cippi rotundi alti metr. 1, 52. Millini aetate fuit 'sur l'escalier de l'Hôtel de Ville', nunc extat in museo.

Salvis d(ominis) n(ostris) | Theodosio et | Valentiniano | p(iis) f(elicibus) v(ictoribus) ac trium(phatoribus) | semper Aug(ustis)
p. Ch. 435. *consulibus* XV | cons(ularis), vir inl(ustris) | *Au*xiliaris, pr(aefectus) *prae*|to(rii) Galli*arum* | Are(late) Mass*iliam* mil*i*|aria poni s(tatuit). M(ille) p(assuum) primum.

Descripsi. Edidit primus Pontanus, Itiner. Galliae Narb. p. 67, post quem permulti alii, ex quibus nomino Grut. 159, 8 (Scal.). Murat. 467, 5 (e Saxio). Millin III. p. 590. Or. 3330. — v. 5. Anno p. Ch. 435 cos. fuerunt Theodosius XV. Valentinianus IIII; numerus igitur consulatuum Theodosii translatus hic videtur etiam ad Valentinianum. — v. 9. Ex hoc versu male lecto fuerunt, qui hariolarentur de cognomine coloniae Arelatensis Mamillariae.

b) per compendium.

Huius viae quaecunque afferam miliaria desumpsi ex Bergieri libello in Graev. Thes. X. p. 306, qui et ipse accepit a Peirescio. Et primum quidem talia proponam, qualia dedit Bergier, infra autem, quomodo restituenda sint indicabo.

626. α) 'in via quae ducit a *Mas de Brau* ad *Salon*.'

ae | Divi f. | pontifex | XII. cos. | atus XIII | potest. XXI |

β) 'in eadem via ad silvam, quae Aurelia cognominatur.'

Caesar Divi f. | Augustus pontif. | maximus . . . cos. | designatus . . . . | . . . potestate | IIII.

γ) 'extat ad viam sede sua prope locum vulgo dictum *lou Ma de Roubiac.*'

pater patriae | imp. Caesar | Divi f. | Augustus | . . . . | . . . . | VII.

δ) 'non procul abest, sed iam prostrata iacens ad eandem viam sic inscripta':

pater patriae | imp. Caesar Divi f. | Augustus pont. | . . . imus cos. | . . . . gnatus XI | . . . . tribunit. | VIII.

ε) 'in eadem via ad locum dictum *lo Parador* mutilata.'

. . . . | imp. XIIII tribuni | X.

ζ) 'ad pagum qui vulgo dicitur *lo Mas de Brau* quasi instar limitis collocata est sic notata':

pater patriae | imp. Caesar Divi f. | Augustus pontifex | maximus cos. XII | . . . . . . gnatus . . . . | . . . . XIIII tribuni | XII.

Cognomina Augusti, quae in his apographis continentur, ut omnia suo quodque loco adhibeantur, hoc modo necesse est restituas:

Pater patriae | imp(erator) Caesar Divi f. | Augustus pontifex | maximus cos. XII cos. | designatus XIII | imp(erator) XIIII tribunitia | potestate XXI.

in fine autem apponas numeros lapidum: IIII (β). VII (γ). VIII (δ). X (ε). XII (ζ). — Inscriptio ita restituta pertinet ad secundam partem anni u. c. 751 = a. Ch. 3 (sive inde ab a. d. V. Kal. Iul. usque ad prid. Kal. Ian. 752). Verum Augustus cum pater patriae Nonis demum Februariis a. 752 appellatus sit a senatu populoque Romano (Kal. Praenest. cfr. Ovid. Fast. II. 125 Merk.), in provinciis hoc nomen paullo prius videtur usurpasse atque, cum novus tum esset is honor eoque insignis prae ceteris, facilius intellegas, cur initio tituli positus sit.

C) A Foro Voconii septentrionem versus.

Ad viam quandam cohaerentem cum illa, quae ducebat Foro Voconii Reios Apollinares, hunc lapidem pertinere censeo:

627. 'Entre la ville de Castellanne et la cité de Senez' *Bouche;* 'inter Castelane et Taulane' *Bergier;* 'au quartier de Sionne (prope Castellanne); on n'y lit qu'avec peine ces mots': *Henry.*

Imp(eratori) Caes(ari) | M. Aur(elio) | Probo p(io) f(elici) | inv(icto) Aug(usto) *tr(ibunicia) p(otestate)* | III, cos. *ii* p(atri) p(atriae) | II. p. Ch. 278.

Bouche p. 520. Bergier p. 313 (a Peirescio). Henry p. 90. 5. COSS · P · P · Henry. COS · P · P · Bouche.

2. VIA DOMITIA.

Munire coeperunt Romani hanc viam statim post occupatos fines Volcarum imperium habente in provincia, ut nomen viae indicat, Cn. Domitio Ahenobarbo a. u. c. 633 sive a. Ch. 121. Ducebat autem, ut maioris momenti loca nominem, ab Arelate per Tarasconem, Ugernum, Nemausum, Cesseronem, Narbonem unam partem versus ad fines Hispaniae, alteram versus ad fines Aquitaniae; praeterea processisse a Cesserone aliam viam ad Cebennam montem indicat tabulae Peutingerianae segmentum I. D. Descriptam habes viam Domitiam qualis ab Arelate ferebat ad Pyrenaeum in itiner. Anton. p. 388, 6 Wess. — 390, 2; 396, 1 — 397, 7, itemque in itiner. Aquarum Apollinarium Henzen 5210; qualis ex Aquitania ducebat Arelatem in itin. Hieros. p. 551, 2 — 552, 10. — Numerandorum autem lapidum quae fuerit ratio, certo non potest dici nisi de ea parte, quae est inter Narbonem et Nemausum, atque alia hic fuit aliis temporibus. Procedebant enim lapidum numeri imperatore Tiberio ab Narbone Nemausum, ut probat n. 629, contra sub Antonino Pio a Nemauso Narbonem, id quod aperte demonstrat n. 632. Quomodo vero inter Nemausum et Arelatem atque ultra Narbonem numeratum sit, qui testentur lapides non cognovi, cum ii, quos inveni, numeros non habeant, nisi forte numero XIII eius, qui sequetur, lapidis n. 630, recte numerum milium passuum censes indicari; quod quomodo se habeat, ad ipsum lapidem dicemus.

A) Narbone Arelatem.

628. Extat in horto musei urbis *Montpellier*.

Imp(erator) *Caesar* | Divi f. Aug(ustus) pont(ifex) | max(i-
a. Ch. 3. mus) cos. XII cos. | desig(natus) XIII, imp(erator) XIIII, | trib(unicia) potest(ate) XX.

Descripsi. Eiusdem lapidis exemplar, sed minus etiam integrum Millin (IV p. 342) vidit inter *Montpellier* et *Agde*, 'près de la porte de l'église de *St. Martin de Crès*' (sive St. Martin du Cran, quo nomine hodie appellari invenio in mappis geographicis). Tertii exemplaris fragmentum a Peirescio descriptum habet Bergier p. 506, qui dicit, extare id in templo vici *Bernis*, siti inter *Montpellier* et Nemausum, distantis a Nemauso kilometra Gallica duodecim; quartum idque integrum Maffei

(Gall. Ant. p. 35 n. 1, unde Mur. 220, 10 = 442, 2. 2005, 4. Orell. 600) vidit in ecclesia vici *Milhaud*, qui medius interest inter *Bernis* et Nemausum, idemque adieit, quattuor alia exemplaria extare prope Nemausum iu vicis *Marguerites*, *Caveirac* et *Teillan*, 'translata omnia atque ex antiquo loco dimota'. — Qui lapides omnes carent numeris.

629. 'Dans les murs extérieurs de l'églisc de *Saint-Aunez*' (prope St. Martin de Crès).

Ti. Caesar | DIvI Aug(usti) f. Aug(ustus) | pontif(ex) max(imus), | trib(unicia) pot(estate) XXXI *ii*, | refecit et restituit | LXIII. p. Ch. 31—32.

Millin IV. p. 341. — v. 4. Millin quidem legit XXXI; sed corrigendum esse XXXIII, docent reliqua eiusdem generis exempla. Extant enim alia exempla haec: numerum LXXIII habes in vico Teillan (quattuor leugis hodiernis a Nemauso) eumque integrum (Maffei, Gall. Ant. p. 35 sq. Mém. des Ant. de Fr. 1835 p. 156), sed nescio utrum suo loco an translatum; numerum LXXXVII Bergier p. 506 (Peiresc) dicit esse 'in via Narbonensi paene medio loco inter vicum *Bernis* et Nemausum'. Idem (l. l.) aliud exemplar numero carentem indicat esse 'inter rudera templi alicuius minoris siti prope viam publicam Nemauso Arelate'. Denique Muratori 443, 6 (ex schedis suis) habet exemplar 'Ampuriis in Provincia' (?) repertum, atque 443, 2. 3 duo dat exemplaria a Guiranio male descripta, quae Nemausi esse dicuntur. — Numeri autem illi LXIII. LXXIII. LXXXVII momenti fortasse alicuius sunt ad explanandas itinerariorum veterum difficultates. Nemausum enim Narbone abesse dicit itiner. Ant. p. 388 sq. milia pass. XCI; id. p. 396 sq. m. p. LXXXVII; Henzen 5210: m. p. a) XCII, b) XC; itin. Hieros. p. 552 m. p. XCIII; tab. Peut. CI. Ex lapidibus autem nostris id quidem apparet, numerum LXXXVII constitutum esse, inter Narbonem et Nemausum 'paene medio loco inter *Bernis* et Nemausum' i. e. afuisse a Nemauso sex fere kilometra Gallica sive quattuor milia p. Rom.; unde verum videtur esse, quod est in itin. Ant. p. 388 sq., proxime ad veritatem accedere, quod est in itinerariis Apollinarensibus.

630. 'Ad tertiam circiter leucam Nemauso Arelate' *Bergier*.

Ti. Caesar | Divi Aug(usti) f., Aug(ustus), | pontif(ex) max(imus) | . . . . | . . . . | XIII.

Bergier p. 507. — Si, ut videtur, lapis hic suo loco fuit Bergieri aetate, numerus XIII quadrat neque ad eam, quam Bergier indicat a Nemauso distantiam, neque ad eam, quae secundum vetera itineraria fuit inter locum ubi lapis constitutus est et Arelatem. Distat enim miliarium hoc ab Nemauso leugas Gallicas fere III sive kilometra Gallica XII sive milia p. Rom. VIII; atque cum Nemausus ab Arelate distet secundum Itin. Ant. p. 388 m. p. XVIII, idem p. 396 XIIII, Henzen 5210 XXIV, itin.

Hieros. p. 552 XXVII, tab. Peuting. XXIV, locus miliarii nostri, si horum numerorum rationem habes, abesse debuit ab Arelate aut m. p. XI aut VI aut XIX aut XVI.

631. Nemausi ad portam Augusti, ubi duo vidi exemplaria.

Ti. Claudius, | Drusi f., Caesar | Aug(ustus) Germanicus |
p. Ch. 41. pontif(ex) max(imus) trib(unicia) | pot(estate), cos. desig(natus) III |
imp(erator) II refecit.

Descripsi. Et Maffei quidem (Gall. Ant. 35 sq.) dicit, undecim huius imperatoris miliaria Nemausi et circa Nemausum se vidisse; unum vidit Millin (IV. p. 357) in ecclesia Sti Dionysii prope Montpellier, atque Bergier quoque (p. 506) tria exemplaria accepit a Peirescio, scilicet unum, quod esse dicit Nemausi in foro, alterum inter rudera templi alicuius minoris siti prope viam publicam Nemauso Arelatem (v. num. praec.); tertii fragmentum fuisse indicat ad tertiam circiter leugam a Nemauso Arelatem versus (p. 507). Illud autem exemplar, quod Peiresc vidit in foro Nemausensi, versum habet septimum, qui numerum exhibet LXXXV, ideoque constitutum fuit inter Ambrussum et Nemausum. Eiusdem denique miliarii exempla reperta in oppido *Beaucaire* sive Ugerni et in vico Teillan prope Nemausum, sed item numeris carentia dederunt Vaissette, Histoire du Languedoc, nouv. édit. p. 635. Mém. des Antiq. de France 1835 p. 156.

632. 'Nemausi extra portam qua ad amphitheatrum itur, unde translata est, ut sit pro limite inter viam publicam et proximam vineam' *Bergier*.

Imp(erator) Caesar, | Divi Hadriani f., | T. Aelius Hadri|anus Antoninus | Aug(ustus) Pius, | pont(ifex) max(imus), trib(uni-
p. Ch. 145. cia) | pot(estate) VIII, imp(erator) II, cos. IIII, | p(ater) p(atriae)
restituit | I.

Bergier p. 506 (Peiresc). Maffei, Gall. Ant. p. 35. 37, unde Mur. 454, 4. Dicit autem Maffei: 'Antonini Pii rotundas columnas quattuor inspexi; quae ante Nemausi portam propugnaculo infixa est, sub titulo miliare prae se fert II; numero I consignata haud procul ab oppido visitur; quae III, ad S. Caesarium *(St. Cézaire)*; quae VIII, in vico *Uchaud* adhuc stans.' Distat autem vicus Uchaud per viam hodiernam a Nemauso kilometra Gallica XII sive m. p. Rom. VIII.

633. 'Dans le jardin de M. Riban aux environs de Montpellier' *Millin*.

Imp(eratori) Caes(ari) | Fl(avio) Val(erio) | Constantino | p(io) f(elici) Aug(usto).

Millin IV. p. 356.

B) Cesserone ad Cebennam montem.

634. a) In horto musei urbis *Montpellier*.

TI. Caesar, | *D*IvI Aug(usti) f., Aug(ustus) | *p*ontif(ex) max(imus) | *t*rib(unicia) pot(estate) XXXII, | refecit et | *r*estituit | m(ilia) IIII. — Descripsi. p. Ch. 30/31.

b) 'À St. Martin de Crès (inter *Montpellier* et *Agde*) à côté de la porte de l'église à droite' *Millin*.

Ti. Caesar, | *D*IvI Aug(usti) f., Aug(ustus) | pontif(ex) max(imus) | *t*rib(unicia) pot(estate) XXXII, *r*efecit et | restituit | m(ilia) VII. — Millin IV. p. 342.

Quos duos lapides equidem et ob numeros IIII et VII, et quod non eodem anno restituti sunt, quo miliaria Tiberiana viae principalis (supra n. 629), ad ipsam viam principalem referre non audeo, immo referendos censeo ad viam illam, quae secundum tabulam Peutinger. procedebat Cesserone. A cuius viae cursu Montpellier et St. Martin de Crès, ubi haec miliaria non reperta sunt, sed conservantur tantum, haud ita longe distant.

3. LVGVDVNO ARELATEM.

Quae a Luguduno secundum sinistram Rhodani ripam Arelatem versus ducebat via, munita est ab Agrippa teste Strabone IV. p. 208 C: τὸ δὲ Λούγδουνον ἐν μέσῳ τῆς χώρας ἐστὶν ὥσπερ ἀκρόπολις — διόπερ καὶ Ἀγρίππας ἐντεῦθεν τὰς ὁδοὺς ἔτεμε — τετάρτη δ' ἐστὶν ἐπὶ τὴν Ναρβωνῖτιν καὶ τὴν Μασσαλιωτικὴν παραλίαν. Fuit autem in Galliis Agrippa a. u. c. 734 (a. Ch. 20). — Quam Agrippae viam in itinerariis veteribus, quae describunt itinera proficiscentium ex Italia sive ex Aquitania, uno tenore descriptam non habes, sed divisam in duas partes, quae cohaerent cum viis per Alpes Cottias et Graias in provinciam Narbonensem ferentibus; cfr. itin. Ant. 358, 2—5 W. Hieros. 553, 1 — 554, 3. tab. Peut. segm. II. D. Et ne numeri quidem lapidum ab uno aliquo loco procedebant, sed numerabatur a Vienna quidem tam Lugudunum versus quam usque ad Valentiam, inter Valentiam autem et Tarasconem a Valentia. Convenit enim haec via Tarascone cum ea quae Arelate ducebat Nemausum, atque lapidem in ipso oppido Tarascone repertum pertinere ad viam, quae incipiebat a Valentia, videbimus ad n. 642. —

De variis vero difficultatibus quas habent numeri traditi in itinerario Antonini p. 358, 2—5, Seneca Apocoloc. c. 6. cfr. quae exposuit Boissieu, Inscriptions de Lyon p. 365 not. 3.

A) Vienna Lugudunum.

635. Miliarium, quod extat in vico *Solaise* 'à l'ouest de la grande route à 14 kilom. de Lyon et à peu-près autant de Vienne' *Boissieu.*

Ti. Claudius Drusi f(ilius) | Caesar August(us) | Germanicus |
p. Ch. 43. pont(ifex) max(imus) tr(ibunicia) pot(estate) III | imp(erator) III
cos. III p(ater) p(atriae) | VII.

Boissieu, Inscript. de Lyon p. 367. — Si locus, ubi is lapis repertus est, abest a Vienna m. p. VII, afuit secundum itinerarium Ant. a Luguduno m. p. IX; quod non discrepare demonstrat Boissieu a mensura viae publicae hodiernae, qua distant duo loca illa 14 kilom.; in eo autem haeret quaedam difficultas, quod quomodo a *Solaise* ad Viennam septem tantum m. p. numeraverint Romani, ex situ locorum difficile intellegas.

B) Vienna Valentiam.

636. 'Inscription, découverte à *St. Vallier (Drôme)*, et transportée à Lyon sur la demande du cardinal Alphonse de Richelieu, archévêque de cette ville. Elle est perdue depuis longtemps.' *Boissieu.*

T. Claudius | Caesar | Germanicus, | pontifex maximus | imperator | p(ater) p(atriae) XXV.

Boissieu, Inscr. de Lyon p. 372, ex Chorier, Histoire du Dauphiné. Lectio Chorieri et emendanda et supplenda est ad exemplum lapidis praecedentis. Mensura autem viae hodiernae a Vienna ad *St. Vallier* est kilom. 41, sive m. p. Rom. fere 27.

637. a) Rep. prope vicum Bancel ad pontem rivi Bancel postea pervenit in hortum praefecti Valentiae.

Imp. Caes. | C. Iul. Verus | Maximinus p. f. | Aug. Germ. Sarm. | Dac. Max. et C. | . . . ius Verus | Maximus | nobiliss. | Caes. | m. p. | IIIXX *(sic Délacr.)*.

Délacroix, Statistique de la Drôme p. 611.

b) Rep. in vico Ampuis prope Viennam ad dextram Rhodani ripam nunc extat in museo Lugdunensi; lapis admodum corrosus est.

Imp. Caes. | . . . . | Verus Ma . . . . . | Aug. Germ . . . . . | Max . . ac. I . . . . . | trib . . imp. V . . | . . im . . . .

A . . . . | . . M . . . . | max. V . . . . . | C. Iul. V . . . . Max. | . . . max. Sarm. max. | . . . nobili . . . | MII.

Boissieu, Inscr. de Lyon p. 369, qui imaginem dat lapidis.

Quas duas inscriptiones sic emendandas et supplendas censeo:

Imp. Caesar | C. Iulius | Verus. Maxim. p. f. | Aug. Germ. max. Sarm. | max. Dac. maxim. | trib. p. III. imp. v. (?) | pont. max. et | princeps iuvent. | Maximini Aug. f. | C. Iul. Verus Max. | Germ. max. Sarm. max. | Dac. max. nobiliss. | Caesar | . . . . . . p. Ch. 237.

Locus, ubi reperta est inscriptio *a)*, distat a Vienna per viam hodiernam 33 vel 34 kilom. sive m. p. Rom. fere XXII, quod est fortasse in lapide. Omnino qui retulit hunc titulum a), non ita certae fidei est, ut non universum titulum ad exemplar Boissievi corrigendum censeam. De inscriptione *b)* autem ut recte iudices, referenda sunt haec, quae de hoc lapide dicit Boissieu: 'on la voyait dans les derniers siècles tout auprès de la commune d'Ampuis, sur les bords du ruisseau de Tartaras et de la route qui conduisait de Sainte-Colombe à Condrieu. Cette colonne, dit Cochard, servit longtemps de pilier de justice; mais à l'époque des premiers mouvements révolutionnaires elle fut renversée de sa base et employée comme support d'une planche destinée au passage du ruisseau auprès duquel elle était.' Unde apparet, fieri posse, ut hoc miliarium, quamquam repertum in dextra Rhodani ripa, tamen constitutum fuerit olim in ripa sinistra ad viam, quae ibi ferebat Vienna Valentiam, atque errare credo Boissievum dicentem, provenire id 'd'une voie romaine qui passait à Ampuis'. Qui vero ultimo versu supplendus sit numerus, cum ubi initio constitutus fuerit lapis non constet, certo dici non potest.

638. Miliarium quod repertum prope confluentem Isarae et Rhodani in dextra Isarae ripa Milliul aetate constitutum erat in horto praefecti oppidi *Tain*.

Imp(eratori) Caes(ari) | Luc(io) Dom(itio) | Aureliano | p(io) fel(ici) inv(icto) | Aug(usto), | pont(ifici) max(imo), | Germ(anico) max(imo), | Gutico max(imo), | Car(pico) max(imo) | pr(incipi) *iuv(entutis)* imp(eratori) | III, cos., | p(atri) p(atriae) XXXVIIII. p. Ch. 270

Millin II. p. 70, a quo Orelli 1029. v. 10. PRO·V·INP Millin, quod legit: PRO*vincia viennensis*; at hoc fieri non posse apparet. Quam supra dedi lectionem, proposuit Orelli; cfr. etiam Or. 1026. — Locus ubi repertus est lapis, abest a Vienna per viam hodiernam kilom. fere 60 sive m. p. Rom. XL.

639. 'Pierre milliaire, déposée dans la cour du collége de Vienne' *Millin*.

Imp(eratori) Cae(sari) | Fl(avio) Val(erio) | Constantino, | p(io) f(elici) | Aug(usto), | Divi | Constanti | Aug(usti) | pii filio.

Millin II. p. 25.

C) Valentia Tarasconem.

640. 'J'ai trouvé parmi les lettres de M. Flaugergues à M. Séguier de Nimes la copie de quelques inscriptions de colonnes miliaires qu'il avait copiées dans les environs de Viviers.' *Millin.* Ex quattuor autem inscriptionibus eiusdem anni, quas refert Millin, hanc proponam.

Imp(eratori) Caes(ari) | T. Aelio Hadr(iano) | Aug(usto) An-
p. Ch. 144. tonin(o) | pio, p(atri) p(atriae), | trib(unicia) pot(estate) VII | cos. III | m(ilia) p(assuum) VI.

Millin II. p. 108. 109. Ex reliquis tribus duae habent numeros, una VIIII, altera XXI, tertia male descripta caret numero. Loca ubi repertae sunt, accuratius non indicantur; oppidum autem *Viviers*, situm in dextra Rhodani ripa, via rectissima distat a Valentia kilom. 54 sive m. p. Rom. XXXVI. — Praeterea Délacroix, Statistique de la Drôme p. 611 hanc habet inscriptionem sexti miliarii, quod extare dicit in vico *la Paillasse*, sex fere kilom. a Valentia:

641. Imp(eratori) Caes(ari) T. Ael(io) Had(riano) | Ant(onino) Aug(usto) pio p(atri) p(atriae) p(ontifici) m(aximo) | tr(ibunicia) pot(estate) X cos. IIII | VI.

At quamquam non inter se pugnant Antonini Pii trib. pot. X et cons. IIII, tamen collatis reliquis eiusdem imperatoris miliariis, quae per hanc viam extant, malim TR. POT. VII COS III, neque magis confidam numero VI, relato a teste haud ita certo.

Ad eandem deinde hanc viam, duo quae sequuntur miliaria refero, quamquam non ad ipsam viam reperta sunt.

642. Cippus rotundus, qui Tarascone repertus nunc asservatur Avenione in museo.

Imp(eratori) Caes(ari) T. Aelio | Hadriano Antonin(o) | Aug(usto) pio *p(atri) p(atriae)* trib(unicia) | pot(estate)*vii*, cos. III. | . . . . . — Descripsi.

643. Nemausi ad portam Augusti; fragmentum est cippi rotundi.'

Imp(eratori) Caes(ari) | *T. Aelio* | *Hadr(iano) Anton*|ino Aug(usto) | pio, p(atri) p(atriae), | trib(unicia) pot(estate) | VII. cos. III. | M(ilia) p(assuum) XXXIII.

Descripsi. Cum quae per viam Nemausensem reperiuntur miliaria Antonini Pii (cfr. supra n. 632) et trib. pot. indicent VIII cons. IIII et omnino aliter concepta sint, haec duo autem, quae modo dedi, ex omni parte consentiant cum reliquis eiusdem imperatoris miliariis, repertis per viam Valentia Tarasconem, dubium esse non potest, quin huic ipsi viae sint attribuenda. Illud igitur quod Nemausi nunc est, si itinerarium sequeris Hierosol. p. 553, 10 — 554, 3, olim constitutum fuit, ubi indicatur mansio Acuno, quae m. p. XXXIII abesse dicitur a Valentia; cum autem m. p. Rom. XXXIII sint kilom. 49,5, secundum mensuram viae hodiernae hunc locum medium fere interfuisse acceperis inter oppidum *Montélimar* et vicum *Malataverne*.

644. 'Hors de la ville de Viviers, devant une maison située le long du grand chemin qui conduit à l'archévèché et au bord de l'eau, est couché un reste de colonne milliaire qui servait autrefois de support au bénitier de la chapelle des pénitens; l'inscription est très-dégradée.' *Millin.*

Imp(eratori) Caesar(i) | *P. Licinio* | Valeriano | p(io) *f(elici)* p. Ch. 254 —260.
Aug(usto) NEPO | . . CON . . | . . V . .

Millin II. p. 111. — v. 4. PI AVG Mill.

645. Rep. in oppido Montélimar postea pervenit in hortum praefecti Valentiae.

Imp(eratori) Caes(ari) | L. Domitio | Aureliano | p(io) f(elici) i(nvicto) Aug(usto), p(ontifici) m(aximo) | *Germ(anico) m(aximo) Got(ico)* m(aximo) *P(arthico)* M(aximo) | . . . .

Chalieu, Recueil de mémoires historiques p. 68. Délacroix, Statistique de la Drôme p. 611. v. 5. S. M Chal. et Délacr., at Sarmaticus alibi non dicitur Aurelianus.

4. VIAE ALPINAE.

Viarum duarum, quae, una per Alpes Graias, altera per Alpes Cottias ex Italia in Narbonensem provinciam ferebant, miliaria nusquam inveni. Itaque cum, quae a veteribus scriptoribus et in itinerariis de viis illis traduntur, huc non pertineant, nihil habeo, quod hoc loco de iis afferam. Contra viis Alpinis appendicis loco adiciam viam quandam minorem, quae cum a Genava secundum lacus ripam meridionalem ferret, agrum Allobrogum sive provinciam Narbonensem tangebat. Cuius viae, de qua nihil invenitur in itinerariis, extant duo qui sequuntur la-

pides, atque egit de ea Mommsen in Inscr. Confoed. Helvet. p. 68.

646. 'Au village de Mesery (sive Meysery) entre Beauregard et Nernier (Savoie-Chablais) sur une colonne de roc ronde à la porte de l'église' *Guichenon.*

Guichenon:

. . . . EPI SEVERI . . . . | CAISABADIAB | M . . . . RIBTOT IX | DESIG . . . . III P. P. ET | ET ANTONIN | T II . . . . . P. C. IIII COS. DESG |

restitue et lege:

Imp(eratori) Caes(ari) L. Sept(imio) Sever(o) *Pio* | *Pertin(aci) Aug*(usto) Arab(ico) Adiab(enico) *Parth(ico)* | *max(imo,) pont(ifici)* *max(imo,)* trib(unicia) pot(estate) IX, *imp(eratori)* | *xi., cos. ii,* desig*nat(o) iii,* p(atri) p(atriae) et *imp(eratori)* | *Caesari M. Au-*
p. Ch. 201. *rel(io)* Antonino *Pio Aug(usto,)* | trib(*unicia*) pot(*estate*) IIII, cos. desig(nato), *procons(uli)* | . . . .

Guichenon, Hist. de la mais. de Savoie I. p. 40, unde Orelli n. 279.

647. Rep. prope vicum Hermance, qui distat a Genava m. pass. Rom. fere VII, nunc extat Genavae in museo.

Imp(eratori) Caes(ari) Flavio | Val(erio) Constantio, | *pio* fe-
p. Ch. 305 —306. l(ici) in(victo) Aug(usto) et | Severo nob(ilissimo) Caes(ari) | VII.

Mommsen, Inscr. Confoeder. Helvet. n. 320. 3. PIO est in lapide

MAGISTRATVS PVBLICI.

Catalogum magistratuum provincialium, qui hoc loco sequitur, ita composui, ut, quotquot extra provinciam deprehendi titulis honoratos hic colligerem, eorum, quorum titulos in ipsius provinciae oppidis repertos supra iam attuli, nomina saltem repeterem, eos, qui apud rerum scriptores commemorantur, suo loco adderem, omnes ordinarem ratione temporis.

I. Proconsules.

648. 'Tibure' *Murat.*

1. Memoriae | Torquati Novelli, P(ubli) f(ili), | Attici, $\overline{\text{X}}$ vir(i) stlit(ibus) iud(icandis), | trib(uni) mil(itum) leg(ionis) I., trib(uni) vexilla(ionum) | quattuor $\overline{\text{I}}$. $\overline{\text{V}}$. $\overline{\text{XX}}$. $\overline{\text{XXI}}$, q(uaestoris), aed(ilis), | *pr(aetoris)* ad hast(am), cur(atoris) locor(um) public(orum), | *legati* cens(uum) accip(iendorum) et dilect(atoris) et | *procons*(ulis) provinc(iae) Narbon(ensis), | *in cuius* honoris fine | *annos* agens XXXXIIII | *die primo* Iulii decessit.

Murat. 750, 9, unde Henzen 6453; Renier, Mélanges d'épigr. p. 48 sq. 73. cfr. Borghesi, Ann. dell' Inst. archeol. 1846 p. 317. Suspectum indicat hunc titulum Mommsen (not. ad Henzen l. l.), quod prodierit ex schedis Muratorianis. Novellius est ille, de quo Plinius hist. uat. 14, 28 haec refert: '*Famam* (bibendo) *apud Graecos Alcibiades meruit, apud nos cognomen etiam Novellius Torquatus Mediolanensis, ad proconsulatum usque e praetura honoribus gestis, tribus congiis, unde et cognomen illi fuit, epotis uno impetu, spectante miraculi gratia Ti. Claudio principe, in senecta iam severo atque etiam saevo alias, sed ipsa iuventa ad merum pronior fuerat* etc.'

649. 'Romae in aedibus Colotianis ad aquam Virginis' *Grut.*

2. . . . . | IIII viro viarum curandarum, | trib(uno) mil(itum) leg(ionis) $\overline{\text{V}}$. Macéd(onicae), q(uaestori) urbanó, | aedili pleb(is) ceriál(i), praet(ori), legató | provinciae Siciliae et Asiae, | procó(n)s(uli) prov(inciae) Galliáe Narbonens(is), | legato legionis VIII Augustáe, | L. Vettius Felix et P. Nóvellius Atticus | amici.

Grut. 492, 9 (ex Smet.). Fea, Framm. di fasti p. XXX, cuius apographum dedi.

3. Hic ponendus est Antistius ille Labeo, de quo Plinius hist. nat. 35, 7 haec dicit: *Parvis gloriabatur tabellis extinctus nuper in longa senecta Antistius Labeo praetorius, etiam proconsulatu provinciae Narbonensis functus.*

650. Rep. 'inter Labicum et Montem Portium, in porticu palatii a Card. Palotta extructi' *Mar.*

4. C. Iulio P. f. Hor(atia) | Cornuto Tertullo, | cos., proconsuli provinciae *Asiae*, | proconsuli provinciae Narbonensis, | legato pro praetore Divi Traiani *Parth(ici)* | provinciae Ponti et

Bith*yniae*, | eiusdem legato pro p*raetore* | provinciae Aquitan*iae* *census*um | accipiendorum, c*uratori viae* | Aemiliae, praefecto aerari Sa*turni*, | legato pro praetore provinc*iae* | Cretae et Cyrenarum, a*dlecto* | inter praetorios a Divis Ves*pasiano* | et Tito censoribus, aedili *cereali*, | quaestori urbano, | ex testamento | C. Iulius P. f. Anicius Varus Cornutus *fratri*.

Marini Atti p. 729, unde Orelli 3659. Borghesi, Memoria sopra il console Burbuleio p. 15 sq., qui et supplevit et illustravit. Erat Cornutus Plinii iunioris in consulatu, quem a. p. Ch. 100 gessit, collega et in provinciae Bithyniae regimine, quod Plinius gessit inde a mense Augusto a. 104 usque ad finem a. 105, successor. Praeterea de ordine honorum haec notat Borghesi l. l.: '*Pel confronto colla lettera Pliniana rimane evidente, che in seguito del consolato egli ebbe premieramente dalla libera collazione dell' imperatore l' Aquitania e la Bitinia e quindi pel dritto di sortizione la Gallia Narbonese toccatagli come uomo pretorio e l' Asia in fine prevenutagli come uomo consolare.*' Erat igitur procos. provinciae Narbonensis utique post a. 106.

651. Petrae in Arabia.

5. Meminio(?) . fil(io) Pal(atina) Sexto Florentino, III viro anr(o) arg(ento) *aer*(*i*) flando *feriundo*, | trib(uno) milit*um* leg(ionis) I. Minerviae, *q*(*uaestori*) *prov*(inciae) *A*chaiae, trib(uno) pleb(is), leg(ato) leg(ionis) VIIII Hisp(anicae), *pr*(*aetori*), | proco(n)s(uli) pro*v*(*inciae*) *Nar*bonensis, leg(ato) Aug(usti) pr(o) pr(aetore) prov(inciae), patritio, ex testamento ipsius.

Borghesi in Ann. instit. arch. 1839 p. 171, unde Henzen 6915. Supplevit Borghesi. Nomen viri idem dicit esse incertum, de aetate autem sic iudicat: *E evidente che questo Fiorentino fu un legato della Arabia morto nella sua provincia, e per conseguenza la sua lapide non può essere anteriore all'* 858 (p. Ch. 105), *in cui quel paese fu conquistato dai Romani, anzi nè meno alla venuta di Traiano in Oriente nell'* 867 (p. Ch. 114) *per la guerra Partica, nella quale occasione gli diede un preside proprio* (Ammian. Marc. 14, 8, 13. cfr. Marquardt, Handbuch 3, 1, 201—203). *Ma è difficile a credere, che costui ne sia stato il primo, si perchè una tale particolarità non si sarebbe probabilmente taciuta nel suo epitaffio, come perchè la mancanza di premj militari nel generale di una frontiera tutta allora ingombra di guerra, consiglia piuttosto a differirne il governo ai tempi più pacifici di Adriano.*'

652. Lambaese.

6. L. Novio Crispino | Martiali Saturnino, | cos. desig(nato),

leg(ato) Aug(usti) pr(o) pr(aetore) | provinciae Africae, proco(n)s(uli) Galliae | Narbonensis, leg(ato) Aug(usti) leg(ionis) I. Italicae, | leg(ato) Aug(usti) iuridico Asturiae et Gallaeciae, | praetori, trib(uno) pleb(is), quaestori pro praet(ore) | provinciae Macedoniae, trib(uno) mil(itum) | leg(ionis) VIIII Hisp(anicae), IIIIviro viarum | curandarum, seviro eq(uitum) Romanorum, | veterani leg(ionis) III Aug(ustae), | qui militare coeperunt Glabrione | et Torquato, Item Asiatico II et Aquilino cos. p. Ch. 124—125.

Renier, Inscr. de l'Algérie n. 19, unde Henzen n. 7420 α. v. 4 sq. 'Numidiam rexit sub Antonino Pio trib. pot. X et XI (Renier l. l. 17. 18), i. e. annis 147 et 148, ita ut anno 146 C. Prastinae Messallino, cos. 147 successisse videatur (Renier l. l. 10. 11).' *Henzen.* Rexit igitur Galliam Narbonensem a. 145.

7. Titulum T. Vitrasii Pollionis (Borghesi in Rhein. Jahrbb. 1843, II. p. 104. Henzen n. 5477), qui consul primum fuit sub Antonino Pio, iterum a. 176 et quem proconsulem Galliae Narbonensis fuisse suspicatur Henzen l. l., cum is proconsulatus coniectura tantum nitatur, hic apponere supersedeo. Tribuit autem Henzen proconsulatum provinciae Narbonensis Pollioni, quod eius uxor Annia in hac provincia Nymphis Griselicis aram posuisse dicitur in titulo, quem supra attulimus n. 495.

653. In vico Dietkirchen prope urbem Bonnam ad Rhenum.

8. Apollini Livic(o) | Cn. Cornelius | Aquilius Niger, | leg(atus) leg(ionis) I. M(inerviae) p(iae) f(idelis), | item proco(n)s(ul) | provinciae Gal|liae Narbonensis, it(em) | sodalis Hadrian(alis).

Steiner, Inscr. Danubii et Rheni n. 1046. Orelli 2021. v. 1. LIVIO recepit Orelli, adnotans lectionem LIVIC; ceterum Steiner dicit, incertam esse lectionem litterae ultimae. Legio I. Minervia pervenit in Germaniam inferiorem post expeditionem Parthicam L. Veri, cuius particeps fuerat, sive post annum 166, ibique restitit usque ad aetatem Gallieni. cfr. Borghesi in Annal. inst. archeol. 1839 p. 140.

654. Romae in villa Albani.

9. L. Fabio M. f. Gal(eria) Ciloni | Septimino cos., praef(ecto) urb(is), | leg(ato) Aug(ustorum) pro | pr(aetore) Pannon(iae) | super(ioris), duci vexill(ationum), leg(ato) pro | pr(aetore) provincia-r(um) Moesiae super(ioris), | Ponti et Bithyniae, | comiti Aug(ustorum), leg(ato) Aug(usti) pro | pr(aetore) prov(inciae) Galatiae, praef(ecto) | aer(ari) militaris, pro|co(n)s(uli) Itemque leg(ato) pro-

v(inciae) Narbonens(is), | leg(ato) leg(ionis) XVI Fl(aviae) f(irmae) Samosate, | sodal(i) Hadrianal(i), | pr(aetori) urb(ano), trib(uno) pleb(is), q(uaestori) prov(inciae) | Cretae, trib(uno) leg(ionis) XI Cl(audiae), X vir(o) stlitibus iudicandis | Mediolanenses | patrono.

Grut. 407, 2. Mur. 345, 3. Quod dedi, apographum est I. B. de Rossi, quod mecum communicavit Henzen. Consul fuit Fabius anno p. Ch. 204; cum vero ad consulatum promotio esset ex praefectura aerarii, eaque praefectura inde ex Claudio gereretur per triennium (cfr. Borghesi, Burbul. p. 45—49), praefectus aerarii Fabius fuit annis 201—203, ideoque cum ad praefecturam pervenisset ex proconsulatu Narbonensi, proconsul a. 200. — Ad eundem virum pertinent tituli Gruteriani 407, 1 (item ex villa card. Alb.), 406, 9 (= Orelli 3561), 406, 10.

10. Decimum proconsulem habes eum, cuius titulum supra dedimus n. 101, C. Aemilium Berenicianum Maximum, qui cum inter tribunicios adlectus dicatur a Divo Magno Antonino sive Caracalla, ad proconsulatum provinciae Narbonensis pervenire non potuit ante aetatem Severi Alexandri.

655. 'Romae in pavimento sacelli, quod est ad templum S. Gregorii in Coelio monte, tabula confracta' *Smet. apud Grut.*

11. . . . Acontio | L. Ranio Optato, v(iro) c(larissimo), cos., | curat(ori) reip(ublicae) Mediolanensium, | curat(ori) reip(ublicae) Nolanorum, proco(n)s(uli) provinciae | Narbonens(is), legato Aug(usti) et iuridico | Asturiae et *Gal*laeciae, cur*at*ori viae | Salariae et curatori reip(ublicae) Urbinatium | Mataures*ium*, legato provinciae | Asiae, prae*tori*, tribuno plebi, | quaestori *prov*inciae Siciliae . . . . .

Smetius, cuius lectionem ex codice Neapolitano (86, 11) descriptam mecum communicavit Henzen. In versu primo apud Smetium ante vocabulum *Acontio* extant reliquiae litterae o. Ex Smetio desumpsit Grut. 463, 4. Eiusdem L. Ranii Optati est titulus Nemausi positus, quem supra habes n. 100. Hunc quoque virum sub Severo Alexandro consulatum gessisse iudicat Borghesi, Mem. sopra il console Burbul. p. 31 sq., neque vero rationem eius iudicii indicat. Praeterea idem Borghesi ibid. p. 44 dicit: '*L'elogio 'praesidi integerrimo' che i Nemausensi attribuiscono a L. Ranio Optato darà grande argomento per credere che attualmente li governasse, e che perciò il suo proconsolato della Narbonese sia posteriore ai suoi fasti non taciuti in quella pietra.*' At si in tituli Nemausensis fine recte suppletur *patrono*, nonne is patronatus caussa et proxima et sufficiens est honoris a Nemausensibus Ranio habiti?

12. Hoc loco ponimus **imperatorem Clodium Pupienum Maximum**, de quo haec dicit Iulius Capitolinus: *inde* (sc. e praetura) *proconsulatum Bithyniae egit et deinceps Graeciae ac tertio Narbonae.* Maximus cum a. 238 ex praefectura urbis ad imperium vocaretur, item sub Severo Alexandro et proconsulatum Narbonensem et ex eo consulatum gessit.

656. Volturni.

13. L. Cestio Gallo Cerri|nio Iusto Iu . . . io Natali, | IIII viro viar(um) curand(arum), trib(uno) | laticlavio leg(ionis) VIII Au-g(ustae), | quaestori urbano, ab | actis senat(us), aedil(i) curul(i), | praetori, leg(ato) Aug(ustorum), leg(ionis) | XXV, proco(n)s(uli) provin|ciae Narbonensis, praef(ecto) | aerar(i) Saturni, *consuli*, | patróno coloniae, | d(ecreto) d(ecurionum).

Mommsen, Inscr. R. Neap. 3537. — Aetas Cestii incerta est, praeterquam quod ex Augustorum commemoratione videmus, non ante M. Aurelium et L. Verum, qui primi Augusti duo fuerunt, proconsulatum ab eo esse gestum.

657. 'Neapoli iuxta Nosocomium populi' *Mur.*

14. . . . . | [πρεσβε]υτῇ ἀντιστρατηγῷ ἐπαρχείας | [Μακε]δονίας, ἀνθυπάτῳ ἐπα[ρ]χῆς | [Ν]αρβωνησίας, ἀγ[ω]-ν[ο]θέτῃ | ἡ πόλις.

Mur. 1062, 4, unde Corp. Inscr. Graec. 5800. v. 2. ΕΠΑΧΙΙΣ Mur. 3. ΑΓΑΝΩΘΕΤΗ Mur. — Si Muratorium sequeris, qui initio v. 3. maiorem lacunam indicat, suppleas: [*Γαλατίας τῆς Ν*]; vocabulum ἐπαρχή pro ἐπαρχεία alibi non inveni; possit tamen esse in lapide.

II. Legati proconsulum.

Cum ex legatis provinciae Narbonensis trium tantum aetas certius possit definiri, hos priore loco posui, reliquos autem secundum ordinem alphabeticum.

658. In vico Latii Grottaferrata, qui est sub monte Albano.

1. Q. Caecilio Q. f. | Arn(iensi) Marcello, | q(uaestori) prov(inciae) Narbonensis, | tr(ibuno) pl(ebis), pr(aetori), in utroque | honore candidato | Divi Traiani Aug(usti), leg(ato) | pro pr(aetore) prov(inciae) Narbon(ensis) et | prov(inciae) Baeticae, proco(n)-s(uli) | prov(inciae) Siciliae.

Grut. 1025, 8, unde Orelli 3179.

659. Rep. Granadae nunc est deperdita.

2. P. Cornel(io) P. f. Gal(eria) Anullino, | Iliber(ritano), praef(ecto) urb(*is*), cos., p*rocos.* | prov(inciae) Africae, pr*ae*t(ori), trib(uno) | pleb(*is*), q(uaestori), leg(ato) prov(inciae) Nar|bonens(is), proco(n)s(uli) *prov*(inciae) | *Ba*etic(ae), leg(ato) leg(ionis) VII gem(inae) *p*(*iae*) *f*(*idelis*), | *leg*(*ato*) Aug(usti) p(ro) pr(aetore) *provin*|*ciae Syriae*.

Hübner in Monatsb. der Berliner Akad. 1861 p. 20 sq., adnotante titulum Mommseno. Supplementa priorum versuum Hübneri sunt, in versibus 7 et 8 lectionem, quam Hübner in manuscr. invenerat: PR. C. V|ECVRAI, emendavit et supplevit Mommsen. Ibidem Mommsen egit de singulari in hoc titulo magistratuum ordine. — P. Cornelium Anullinum Hübner et Mommsen agnoverunt legatum Septimii Severi illum esse, quem Dio 74, 7. 75, 3 refert annis 194 et 195 in Asia contra Nigrum et Adiabenos rem gessisse. Consul iterum Anullinus fuit a. 199.

3. Tertio loco ponendus est ille, quem supra (num. 654) anno 200 provinciam rexisse vidimus, L. Fabius Cilo. Qui cum in illo titulo ad proconsulatum ex legatione in eadem provincia administrata pervenisse dicatur, legatus fuit a. 199.

660. Rep. Tusculi a. 1727 nunc est Romae in domo Falconieriorum.

4. M. Gavio T. f. Vel(ina) | Appalio Maximo, | c(larissimo) v(iro), | sodali Hadria|nali, leg(ato) prov(inciae) | Narbonensis, | q(uaestori) Aug(usti), | Gavius Fortis lib(ertus) | et proc(urator) ob meri|ta eius.

Mur. 192, 1, cuius apographum confirmavit mihi Henzen, qui et locum, ubi hodie est titulus, indicavit.

661. 'Eborae, extra urbem ad D. Virginis' *Grut.* Nunc extat in bibliotheca eius urbis.

5. D(is) M(anibus) s(acrum).

a) Q. Iulio Maximo, c(larissimo) v(iro), | quaestori prov(inciae) Sici|liae, trib(uno) pleb(is), leg(ato) | prov(inciae) Narbonens(is) | Gall(iae), praet(ori) design(ato), | ann(orum) XLVIII, | Calpurnia Sabina | marito optimo.

b) Q. Iulio Claro, c(larissimo) i(uveni), IIIIvir(o) | viarum curandarum, | ann(orum) XXI, | Q. Iul(io) Nepotiano, c(larissimo) i(uveni), | IIIIviro viarum curan|darum, ann(orum) XX | Calp(urnia) Sabina filis.

Grut. 423, 4, quem correxit Hübner in Monatsb. der Berl. Akad. 1861 p. 767.

662. Titulus loci incerti.

6. Magnis Dis | sacrum. | Fl. Valerius Rufus, | v(ir) c(larissimus), pr(aefectus) urb(is), leg(atus) prov(inciae) | Gal(liae) Narb(onensis), quaest(or) prov(inciae) Afr(icae), | . . . . | votum, quod abiens fec(erat), | post reditum de suo | . s(olvit) l(ibens) m(erito).

Grut. 1019, 1. 'Grutero Gutenstenius ex Ursinianis', ob quam originem suspectum hunc titulum iudicat Henzen. v. 9. I·S·L·M Grut.

663. Arimini.

7. M. Vettio M. f. | An(iensi) Valenti, | quaestori provinc(iae) | Macedon(iae), aedili pleb(is), | seviro eq(uitum) Rom(anorum), praet(ori), | leg(ato) provinc(iae) Narbonens(is), | iurid(ico) provinc(iae) Britan(niae), | *leg(ato)* leg(ionis) XV Apollinar(is), | provincia Britannia | patrono.

Grut. 1102, 3. Henzen 6488 (ex apographo Borghesiano).

III. Quaestores.

Hic quoque tres, quorum certius definiri potest aetas, titulos priore loco posui, reliquos ex ordine alphabetico loco posteriori.

1. Primus aetate quaestor provinciae, quem nos quidem cognoverimus, est Q. Caecilius Marcellus, quem sub Traiano quaesturam gessisse probat titulus quem supra attulimus n. 658.

664. Romae.

2. M. Pontio M. f. Pup(inia) | Laeliano Larcio Sabino cos., pon|tifici, sodali Antoniniano Veriano, | fetiali, leg(ato) Aug(usti) pr(o) pr(aetore) prov(inciae) Syriae, leg(ato) Aug(usti) | pr(o) pr(aetore) prov(inciae) Pannon(iae) super(ioris), leg(ato) Aug(usti) p(ro) pr(aetore) | Pannon(iae) infer(ioris), comiti Divi Veri Aug(usti), donato donis | militarib(us) bello Armeniaco et Parthico | ab imp(eratore) Antonino Aug(usto) et a Divo Vero Aug(usto), | *corona* mur*ali vallari classi*ca aur*ea*, *comiti* | Antonini Aug(usti) et M. Veri bello Germanic(o), | item comiti imp(eratoris) Antonini Aug(usti) Germanici Sar|matici, leg(ato) leg(ionis) I. Miner(viae), curatori civit(atis) Araus(iensis) | prov(inciae) Galliae Nar-

b(onensis), praetori, trib(uno) pleb(is) candidato | imp(eratoris) Divi Hadriani ab act(is) senat(us), quaestor(i) prov(inciae) | Narb(onensis), trib(uno) mil(itum) leg(ionis) VI vict(ricis), cum qua ex Germ(ania) in | Britan(niam) transiit, IIII vir(o) viar(um) curandar(um). | Huic senatus auctore M. Aur(elio) Antonino Aug(usto) | Armeniac(o), Medic(o), Parthic(o) Maximo, Germ(anico), Sarmat(ico) | statuam poni habitu civili in foro Divi Traiani | pecunia publica censuit.

Grut. 457, 2. Or. 3186. v. 2. L·AETIANO Grut., quod correxit Marini Atti 2 p. 792. Cos. fuit Pontius a. 163, ergo quaestor primis fere Antonini Pii annis.

665. Tarquiniis rep. a. 1829.

3. Q. Petronio Meliori, viro | co(n)s(ulari), cur(atori) r(erum) p(ublicarum) Tarquiniens(is) | et Graviscanor(um), praefec|to frum(enti) dandi, legat(o) leg(ionis) | XXX Ulpiae, curat(ori) Pyrgens(ium) | et Ceretanor(um), leg(ato) leg(ionis) | VIII Aug(ustae), praet(ori), trib(uno) pleb(is) | kandid(ato), quaest(ori) prov(inciae) Nar|bon(ensis), quaest(ori), sodali Aug(ustali) | Claudiali, sexvir(o) turm(ae) | pr(imae), trib(uno) laticl(avio) leg(ionis) pr(imae) Min(erviae), | Xviro stlitib(us) iudicand(is) ordo et cives Tarqui-|niensium patrono op|timo, quod remp(ublicam) fove|rit et thermas resti|tuerit.

Kellerm. Vig. 246. Bull. inst. arch. 1830 p. 198 sqq. Annal. inst. 1832 p. 152. Henzen 6048. Quibus locis exponitur, vixisse Petronium circa aetatem Severi Alexandri.

666. Ticini.

4. T. Didio M. f. Pap(iria) | Prisco, | III viro capitali, sevir(o) | turm(ae) V. equit(um) Rom(anorum), | trib(uno) milit(um) leg(ionis) III Aug(ustae), | q(uaestori) propraet(ore) provinciae | Galliae Narbonens(is), | trib(uno) plebis, praetori, | municipi patrono, | T. Didius Hermias | indulgentissimo patron(o).

Sched. Marcanovae, unde apographum ex codice Mutinensi (f. 115) desumptum Henzen mecum communicavit. Ex eodem fonte hauserunt Grut. 1093, 7. Mur. 1119, 4. v. 6. PROVINTIAE Cod. Mut.

667. Caiatiae in Campania.

5. Q. Gavio Q. f. | Fal(erna) Fulvio | Tranquillo, | quaest(ori)

urbis, | quaest(ori) provinc(iae) | Narbonensis | ordo dec(urionum) et | populus | patrono mun*ic*(ipi).

Mommsen, Inscr. R. Neap. 3913.

668. Urbini.

6. L. Vettio L. f. Stel(latina) Saturae, | X vir(o) stlit(ibus) iu-d(icandis), trib(uno) milit(um) leg(ionis) II Aug(ustae), | quaestor(i) provinc(iae) Narbonensis, | tr(ibuno) pl(ebis), praetori, IIII vir(o) quinq(uennali) i(uri) d(icundo), | patrono municipI, decuriones | ex aere conlato ob plenissIma | merita eius, quod primus omnium | annuum epulum municipibus suis | daturum pollicitus.

Mur. 757, 4. Or. 3865.

IV. Procuratores.

A) Procuratores Augusti provinciae Narbonensis.

669. Ferentini.

1. T. Pontio T. f. Pal(atina) Sabino, | p(rimo) p(ilo) II, pro-c(uratori) provinc(iae) | Narb(onensis), IIII vir(o) i(uri) d(icundo), quinq(uennali), | flamin(i) et patron(o) | municipI | Valeria L. f. Procula | uxor. | L(ocus) d(atus) d(ecreto) d(ecurionum).

Henzen 5456. Ex inscriptione, quae in parte postica eiusdem lapidis est, apparet, vixisse Pontium sub imperatoribus Traiano et Hadriano.

670. Anconae.

2. Petroniae Sabinae, | filiae | L. Petroni SabinI, | p(rimi) p(ili) bis, | procurator(is) Aug(ustorum) | stationis hereditatium, | item provinciae | Narbonensis, | patron(i) coloniae, | decuriones.

Grut. 451, 3 ('vidit Smetius').

671. In oppido Turuza regni Tunetani.

3. Catio Alcimo Feliciano Pu . . . . ., | vice praef(ecti) prae-t(orio), praef(ecto) anno|nae, vice praefecti(i) vigilum, mag(*istro*) | summae privatae, magis*t*(*ro*) *summar*|um rationum, curatori oper(um) *p*(*ublicorum*), *et* | tri(umphi), proc(uratori) hereditatium . . . ., *proc*(*uratori*) | sacrae monetae per . . . ., *proc*(*uratori*) | prov(inciae) Narbonens(is), proc(uratori) priv(atarum) per Salariam, | Tiburtinam, Valeriam, Tusciam, proc(uratori) per *regio-*

nes | Flaminiam, Umbriam, Picenum, item vice *proc(uratoris) et* | proc(uratori) quadrag(esimae) Galliarum, proc(uratori) aliment(orum) per *reg(iones)* | trans Padum, Histriam, Liburniam, *procuratori)* | fisci provinciar(um) XI, ob eximium amorem in | patriam splendidissimus ordo Turzet(anus) patrono | dedicavit.

Maffei, Mus. Ver. 462, 2, unde Kellermann, Vig. Rom. p. 14.

B) Procuratores Augusti vicesimae heredidatium.

672. Romae.

4. *M. Statio* M. f. Cl(audia) Prisco | *L*icinio Italico, legato Augustorum | pr(o) pr(aetore) prov(inciae) Cappadociae, leg(ato) Aug(ustorum) | pr(o) pr(aetore) prov(inciae) Britanniae, leg(ato) Aug(ustorum) | pr(o) pr(aetore) prov(inciae) Moesiae super(ioris), curat*ori* | alvei Tiberis et cloacarum urbis, *cos.*, | leg(ato) Aug(usti) prov(inciae) Daciae, leg(ato) leg(ionis) XIII g(eminae) p(iae) f(idelis), leg(ato) leg(ionis) | XIIII gem(inae) Martiae victricis, sacerdoti Titiali | *Fl*aviali, pr(aetori) inter cives et peregrinos, tr(ibuno) pl(ebis), quaest(ori), | proc(uratori) Aug(usti) XX hereditatium prov(inciae) Narbonens(is) et Aquita*n(iae)*, | *p(raefecto)* eq(uitum) alae I pr(aetoriae) c(ivium) R(omanorum), tr(ibuno) mil(itum) leg(ionis) I. adiutr(icis) p(iae) f(idelis) et leg(ionis) X *g(eminae)* p(iae) *f(idelis)* | *et* leg(ionis) IIII. Gallicae, praef(ecto) coh(ortis) IIII. Lingonum, vexillo mil(itari) | *d*onato a Divo Hadriano in expeditione Iudaic*a* | Q. Cassius Domitius Palumbus.

Grut. 493, 1, unde Henzen 5480, cuius sunt supplementa, quique vidit, positum esse hunc titulum Statio illi Prisco, qui, cum legatus Cappadociae esset, sub auspiciis L. Veri prospere rem gessit contra Armenios et Parthos (Capit. vit. M. Aur. 9. L. Ver. 7). Consul fuit a. 159, ergo quaestor prov. Narb. circa initium imperii Antonini Pii.

673. Lugduni.

5. a) C. Iul(io) C. fil(io) Quir(ina) | Celso Maximiano, | adlecto annorum quattuor | in amplissimum ordinem | ab imp(eratore) T. Aelio Hadriano | Antonino Aug(usto) Pio p(atre) p(atriae).

b) C. Iul(io) C. fil(io) Quir(ina) Celso, | a libellis et censibus, | proc(uratori) provinc(iarum) Lugud(unensis) et Aquitanic(ae), | proc(uratori) patrimoni, proc(uratori) XX hereditat(ium) Roma(*e*), | proc(uratori) Neaspoleos et Mausolei Alexandriae, pro-

c(uratori) | XX hereditat(ium) per provincias Narbonens*em* | et Aquitanicam, dilectatori per Aquitanica*e* | XI populos, curatori viae ligariae triumpha*lis*.

Appianus, Aug(usti) lib(ertus), tabul(arius) ration(um) ferrar(iarum).

Boissieu, Inscr. de Lyon p. 246, unde Henzen n. 6929. cfr. L. Renier, Mél. d'épigr. 83 sqq.

674. Capuae.

6. . . *Vitr*asio C. f. | . . . *P*ollioni, | *procur*atorI | *imp(eratoris) Augu*sti Gallia|*rum Aquit*aniae et | *Narbonens*is, praef(ecto) eq(uitum) | . . . . . , IIII vir(o) | *i(uri) d(icundo)*, *aed(ili)*, q(uaestori). D(ecreto) d(ecurionum).

Mommsen, Inscr. R. Neap. 3618. V. 6 recepi supplementum Mommseni *Narbonensis;* quod si probatur, ageretur haud dubie de procuratore vicesimae hereditatium; at cum hoc non diserte indicetur, verisimilius mihi videtur, agi de procuratore Galliarum Aquitaniae et *Lugdunensis*.

C) 7. Procuratorem Augustorum ad annonam provinciae Narbonensis et Liguriae habes Cominium Boionium Agricolam Aprum supra num. 323.

V. Curatores civitatum.

675. Rep. Minturnis nunc extat Neapoli in museo.

1. L. Burbuleio L. f. Quir(ina) | Optato Ligariano, | cos., sodal(i) Aug(ustali), leg(ato) imperat(oris) | Antonini Aug(usti) Pil, pro pr(aetore) prov(inciae) | Syriae, in quo honor(e) decessit, leg(ato) | eiusdem et Divi Hadriani pro pr(aetore) prov(inciae) | Cappad(ociae), cur(atori) oper(um) locor(um)q(ue) publ(icorum), praef(ecto) | aerar(i) Saturn(i), proco(n)s(uli) Sicil(iae), logiste *(sic)* | Syriae, legat(o) leg(ionis) XVI Fl(aviae) Firm(ae), curatori reip(ublicae) | Narbon(ensium), item Anconitanor(um), item | Tarricin(ensium), curat(ori) viar(um) Clodiae Cassiae | Ciminae *(sic)*, pr(aetori), aed(ili) pl(ebis), q(uaestori) Ponti et Bithyn(iae), | trib(uno) laticl(avio) leg(ionis) IX Hispan(icae), III vir(o) kapit(ali), | patr(ono) col(oniae) | Rasinia Pietas nutr(ix) filiar(um) eius | s(ua) p(ecunia) p(osuit). L(ocus) d(atus) d(ecreto) d(ecurionum).

Borghesi, sull' iscriz. del console Burb. Nap. 1838. Mommsen,

Inscr. R. Neap. 4060. Henzen n. 6484. Demonstravit Borghesi, praetorem fuisse Burbuleium a. p. Ch. 117; ex praetura autem curam suscepit trium illarum civitatum.

2. M. Pontius Laelianus, curator civitatis Arausiensis, cuius titulum supra habes n. 664.

3. Curatorem civitatis Aveniensis incerti nominis habes supra n. 363.

VI. Munus militare ad prov. Narb. pertinens.

676. Urbini.

L. Petronio L. f. Pup(inia) Sabino Foro Br|ent(ano), corn(iculario) pr(aefectorum) leg(ionis) X Fret(ensis) et IIII Fla(viae), | donis don(ato) *a*b imp(eratore) Marco Antonino in | bello German(ico) bis hasta pura et co|ronis vallari et murali, p(rimo) p(ilo) legion(is) | III Cyren*a*icae, curatori statorum, tr|ibuno cohort(is) provinciae Narbon|ensis.

Sched. Passionei (cod. Angel. V. 4, 18. f. 45). Sched. Borghini (cod. Magliab. P. 10 n. 109 p. 118), quae apographa mihi misit Henzen. Passioneium minus accurate excripsit Murat. 730, 1. — 1. FIL Borgh. 2. BREN Borgh. 3. ANTONIO Borgh. 5. PR. LEGION. Pass. 6. CYRENEICAE Borgh. et Pass. — CARATORI Pass. 7. COH. ET Pass. et Borgh. NERBON Pass. — v. 2. PR·PR·LEG, quod est in ambobus apographis, esse duorum praefectorum notam, indicavit Marini Atti p. 544. — In v. 7 coniciens agi de tribuno cohortis provinciae Narbonensis supposui munus militare, quod insolitum quidem est, defendi tamen mihi videtur inscriptionibus duabus in Sicilia repertis (Corp. Inscr. Graec. 5501. 5598), ubi commemorantur duo eiusmodi tribuni, alter qui dicitur *χιλιαρχήσας πιτάνης* i. e. tribunus cohortis, alter *χιλιαρχήσας ἐν Ἔρυκι*, uterque scilicet tribunus eius cohortis, quae in provincia inermi proconsuli parebat, cuiusque pars in Sicilia pro praesidio erat montis Erycis.

INDICES.

A. INDICES AD DISSERTATIONEM HISTORICAM PERTINENTES.

I.

Breviarium historiae et descriptionis provinciae.

Prooemium: De Galliae meridionalis ante Romanorum dominationem historia pp. 1—36.

Iberes et Ligures antiquissimi Galliae merid. incolae 1—5; Phoenicum in Gallia commercia 6—8; Celtarum et Graecorum adventus 8 sq.; Massiliae initia, cum Carthaginiensibus Etruscisque certamina, coloniae 10—18; Celtarum in Italiam invasiones 18—20; et Celtae et Massilienses ad Gallicas sedes repulsi 20. Massiliensium cum Celtis commercia, coloniarum regimen, reip. administratio 20—24; Gallicarum gentium, quae ante Romanorum adventum cognitae erant, nomina, sedes, cum Massiliensibus coniunctio, mores, instituta civilia 24—36.

Pars I.

Historia Galliae Narbonensis continua ab initiis constitutae provinciae usque ad imperatoris Diocletiani aetatem pp. 37—117.

Caput I. De provinciae Narb. initiis et usque ad Iulium Caesarem historia 37—74.

Romanorum et Massiliensium foedus mutuaque in bellis auxilia 37—42; Romanorum prima in Galliam Transalpinam expeditio 42; Ligures, Vocontii, Salluvii a Flacco tentati 43. Salluvii a Calvino devicti 44; bellum Allobrogicum et Arvernum 45; occupatus Volcarum ager 46; fines provinciae constituti 47; Cn. Domitius formae provincialis auctor 48; constituta colonia Narbo Martius 49; Aquae Sextiae et Tolosa castella 50 sq.; lex provinciae recens constitutae data 51—58 (condicio civitatum Gallicarum 51—55, Graecorum 55, civium Romanorum in prov. degentium 55—58); gentes Alpinae intactae 59; Cimbricum in Narbonensi bellum, clades Silani, Longini, Scauri, Caepionis et Mallii 60 sq.; Teutonicum bellum a C. Mario confectum et provincia pacata 62 sq.; Narbonensis per bella Marianum et Sertorianum lata 63—67; Allobroges bis rebellantes bis profligantur 68 sq.; C. Metellus Celer procos. 70; provinciae Narb. sub optimatium regimine condicio 70—74.

II.

Index alphabeticus nominum et rerum.

(N. Numeri appositi paginas dissertationis historicae indicant.)

A.

D.

E.

F.

O.

P.

U. V.

B. INDICES AD PARTEM EPIGRAPHICAM PERTINENTES.

Cum, quae ad municipalem et provincialem rem pertinent, in dissertatione historica a nobis sint tractata et ex indicibus praecedentibus facile possint inveniri, in his qui sub. n. IV. sequuntur indicibus eas tantum antiquitatum Romanarum partes recepimus, quibus in descriptione provinciae nullus erat locus.

III.

Ordo partium appendicis epigraphicae:

IV.

Index rerum, quae in inscriptionibus commemorantur neque in provinciae Narbonensis descriptione sunt tractatae:

(Not.: Numeri nominibus appositi sunt insciptionum.)

1) Qui extra prov. extant lapides magistratuum prov. Narb. nn. 648—676, eos in hoc catalogo non putavimus respiciendos.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

1. Ad dissertationem historicam.

p. 27 v. 8 sup. lege *Apronem.*
p. 49 v. 3 sup. „ *pacandam.*
p. 110 v. 14 infr. lege *adiecti.*
p. 114 v. 10 sup. supple post Viennenses: *ae Cn. Iulius Agricola Foro iuliensis.*
ibid. v. 11 sup. supple post Romani: *Cornelius Gallus Foroiuliensis, Augusti ille familiaris.*
p. 123 not. 10 lege *habent.*
p. 129 v. 6 inf. adde: *Lugudunum denique Convenarum e nova provinciae forma sublatum et Aquitaniae est ddiectum.*
p. 142 not. 25 lege AAVCALONIS. Eadem inscriptio est in append. epigr. p. 427.
ibid. v. 13 sup. lege *Segusteronem.*
p. 165 v. 14 sup. tolle verba: *ut origo ita.*
p. 179 v. 11 sup. lege *Municipum.*
p. 185 v. 10 sup. lege *frequentiam.*
p. 199 not. 110 lege pro Dig. cfr.: *cfr. Dig. 47, 22 Mommsen etc.*

2. Ad appendicem epigraphicam.

num. 1. col. I. v. 25 (pag. 3) lege: *auspicatus* pro *suspicatus.*
pag. 5. v. 3 sup. supple ante Marquardt: *et legem dedicationis arae Iovis Grut. 23, 5.*
num. 125 v. 6: *legionis iiI* pro *legionis I.*
n. 322 v. 3 post *stlitibus* et n. 346 v. 9 post *organa* dele interpunctiones.
n. 352 v. 1 lege: *Granio.*
n. 495 vers ult. adde: *Cos. II. fuit Pollio a. p. Ch. 176.*
pag. 109: nota '*Cum titulis — 72*' numero 511 est postponenda.
num. 591 v. 4 lege VIIII pro VIII.
pag. 128 v. 9 l. XXV.
pag. 132 v. 1; XXVI.
pag. 146 v. 7 inf.: XXVII. Magistratus etc.